ORATIONVM,

IN RIGENSI ATHENæo habitarum,

PARS ALTERA,

cum

MEMORIA COJENIANA, & repræsentatione materiarum idonea:

Curante

M. JOH. BREVERO,

Eloq. Prof.



BIBL.
ACADEM.
DORPATENS.

Francofurti ad Mœnum,

Sumptibus PETRI HAUBOLDII,

ANNO M.DC.LV.

INCLVTO
REGIÆ IN LIVONIA METROPOLIS,
EMPORIORVM AD MARE BALTHICVM OCELLI,

SENATUI,

EMINENTISSIMO BVRGGRAVIO REGIO, MAGNIFICIS CONSULIBUS, ET TOTI RELIQVORVM NOBILISSIMORUM PROCERUM ORDINI AMPLISSIMO,

PVBLICVM ISTHOC
DEVOTÆ GRATITUDINIS MONUMENTUM
IN ÆTERNITATIS TEMPLO SVSPENSVM,
MENTE AC MANU OFFIC.
D. O.
PATRONIS CLIENS,
JOH. BREVERUS.

Quibus

Quibus enim potiùs, ut priùs meritô? Orationes juventutis Veſtræ ſunt, in Veſtro habitæ Collegio, in quo ſi Veſtris quippiam auſpiciis, noſtrâ qualicunq; operâ, præſtetur, Veſtræ gloriæ, poſt publicam ſalutem, ſerviat. Tanti quidem iſta non ſunt tirocinia, quæ, tot obſeſſi curis, evolvatis, DOMINI; debentur tamen VOBIS, quia audiviſtis etiam, quia pretium feciſtis illis audiendô, ut videri poſſint

tanti. Cum enim, propter graviores occupationes, omnibus, quæ publicè tractãtur, interesse Vobis non liceat, specimina hæc aliaque efficaci animatis præsentiâ, illustribus subinde indiciis testati, quam solicitè curetis illam Civitatis partem, quæ neglecta cæterarum omnium integritatẽ corrumpit; bene culta Reip. felicis argumentum est. Quid? quod laborum tandem ratio reddenda mihi sit, quibus in docenda Eloquentia, me dudum admovistis. Imparem fateor, isti oneri, nec idoneis præsidiis instructum; sed hoc ipsum ad solenne benignitatis

Vestræ

Vestræ pertinet, quæ toties, & tãtis me, tot annos, beneficiis mactavit. Ingratus essem, nisi hæc humiliter agnoscerẽ: impius, nisi æternùm prædicarẽ. Sed quæ agnoscam potissimũ, vel prædicabo? quod me bellicô furore patriâ, Islebiô ejectũ suscepistis? suscepistis quoq; alios: quod inter Musas Vestras educari voluistis? nullis studiorum cupidis hoc denegatum est: quod aliquoties conatûs juveniles & præsentiâ ornâstis Vestrâ, & beneficẽtiâ juvistis? commune mihi fuit & hoc cum non paucis peregrinis. Quod verò plures annos indigum, in Academiis, tot a-

luistis sumtibus: quod absentē adhuc ignarumq; Eloquentiæ Professioni, publicô decretô, admovistis: quod, juxta illam, adhuc aliam præsenti commisistis: quod me sanctiori etiam officio gratiosè destinâstis, hæc, hæc, ut hîc nulli exterorū facta novi: sic potissimùm & agnoscenda mihi existimo, & prædicanda! Gaudeo subinde mecum Domini, effusisq; corā DEO meo, lacrumis gaudeo, dū cogito, quod, nullô patriæ, nullô sanguinis jure, null⁹ cōmēdatus meritis, prensatione nullâ gravis, tot Patronos dicam, an Patres? imò & Patronos, & Patres hîc repererim, qui me, jam viginti annos ipsos,

sos, tam benignè humaniterque habuerūt. Vix ulla civem suum patria curet meliùs; nec potest etiam! omnia per VOS, Patres Mei, hîc possideo, quæ, in mortali vita, homini carissima. Quid rependam? Si officia dūtaxat, non animi remetiamur studium, ingratus procul dubio moriturus sum. Et ea quidem causa est, quod Vobis neque in præsenti agam gratias: satis utique superque mecum computavi, non orationē modò meam; sed omnes planè vires Vestris in me meritis inferiores esse. Id quod, velut publicô, hîc fateor legant & credant noti ignotiq;! Gloriæ

riæ mihi cedet apud bonos, tãta Tantorũ in me beneficia, & imbecillitatẽ meam agnoviſſe. Nulla interim officiorũ tanta eſt religio, nullum tam ſanctũ neceſſitudinis nomen, quô VOBIS non ſim, maneamque obligatiſſimus. DEUM ſupplex veneror, ut Vos omnes atque ſingulos, PATRONI MEI, ſalvos diu felicesque, &, curâ Veſtrâ, Regiam hanc Metropolim, conſervet, ornet, tueatur! Ita neq; ſtudiis benignos & beneficos fautores, neque mihi defuturos novi. Dab. RIGÆ LIVONUM, Menſe Novemb. Anno M.DC.LIV.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

AMAZONUM POLITIA.

Mirabilis omnino Politia, eò, quòd Amazonum, nec niſi fœminarum: quòd tam latè potens undique in viros: quòd tot heroinis incluta: quòd tot ſeculis prudenter & viriliter aſſerta fuit! Ecquod aliud orbis regnum tantis eminet nominibus? Ad cœlum efferuntur Monarchiæ quatuor; neq; id immeritò: DEus ipſe multum extulit; quantillò autem, quæ fuerunt, fuerunt tempore? Aſſyriorum, ut initii: ſic, in ſcriptoribus, ætatis dubiæ videtur. Quantam, quantam verò ſtatuamus, apud Perſas quidem & Macedones nec medium illius ſummæ attigit Reſpublica. Romanas vices nec iudago, nec ad anxias Chronologorum rationes exigo. Variæ omnino ferri atque luti, in quo nunc hæremus, fuêre. Politia Dominarum fœminarum mille amplius annis floruit. Floruit in ea Martiæ virtutis decus, Marpeſia: floruit Lampeto, regiæ prudentiæ exemplar: floruit Orithyia, continentiæ virgineæ ſpeculum: floruit Antiope, conſtantis in raptorem; ſed maritum poſtea, fidei: floruit

Pentheſilea, ſolô minor Achille, quô nullus major alius: floruit Thaleſtris, magna Alexandri magni amica: & quis plures floruiſſe, usque ad interitum iſtius regni, neget? Temporum injuriâ defectúq; ſcriptorum factum eſt, quòd neque à Pentheſilea ad Thaleſtrim plures, neque ab hac ullas nominare poſſimus. Quod quidem malum, malum grave, malum gloriæ bonorum infeſtiſſimum, cum regnis aliis commune habent; illud verò, longè gravius infeſtiusq;, ſola ferunt, quod quidam eas unquam vixiſſe, uſpiam regnâſſe: quidam eas fœminas fuiſſe, largiri nolint. Profectò, eadem ferè cum Amazonibus luditur fabula, qnæ hodie à Ieſuitis cum Gilberta Moguntina. Fuit hæc utique, teſtibus ſcriptoribus ſculptoribusq; pontificiis. fuit quondam Romanus dicam, an Romana? Papa, vicaria, ut volunt, Dei-hominis: imo benè de Republica mereri, pueróq; cive Romam augere voluit. Ingratos verò invidoſq; poſteros! negant, ſuam exſtitiſſe Dominam, Iohannem VIII. negant, peperiſſe ſcortum, quantum terra ſuſtinet, ſacerrimum: negant, dignitatem pompificiam obtinuiſſe: negant, quæ tot ſeculorum aſſenſu firmata ſunt, omnia. O impudentem verò ab illuſtribus autoribus diſſenſum! Quid eſt, quod à conſtanti antiquiſſimorum ex Græcia ſcriptorum ſententia, quod ab aſſertione claſsicorum hiſtoricorum, nos avocet? Nec enim huc, à Monacho Viterbienſi, teſtem Amazonicæ gloriæ arceſſimus Beroſum aliquem, qui tam exacte, vix dilapſis magni cataclyſmi aquis, tot Germaniæ, fortaſsis nondum cultæ, Reges, tot res Regum geſtas, annos, ſtirpes affert, ac ſi vel inter ipſos habitâſſet Chaldæus ſacerdos, vel curſores ſultem armillatos ve-

redoſq; habuiſſet ex Germania continuos. Multô minus provido Naſonis ſubſidiô, ad transformandas in viros fœminas, in fœminas viros, indigemus. Straboni hoc videtur neceſſarium; ſed hic ſtraboni, Fulgentioq;, ſed fuligine opinionis ſequioris obfuſcato, ne verum pervideant. Mira quidem ſunt, & ferè ſupra ſeculum iſtum, quæ, ab Amazonibus præclarè geſta, referuntur; ſed num idcircò ficta à priſcis omnia? Nimirum, UBI de virtute magna atque gloria memorant, quæ ſibi quisque facilia factu putat, æquò accipit animô: ſupra, velut ficta pro falſis ducit. Antiqua iſthæc eſt, quæ antiquitati ſcribitur, dica: quòd fabuloſa appareat. Et ſanè, quantum attinet ad Græcos, admodum frequentes ſunt in ea natione fabulæ: poëtas enim primum habuerunt vetuſtiſſimumq; Doctorum genus. nec aliter Germanis atque Gothis factum: unicum utrúque, in literarum ignoratione, ſubſidium, carmina Poëtarum, quorum proprium, omnia fabulis vel implicare, vel veſtire. Omnianne ergo Amazonica, quæ referuntur ſuſpecta, ficta, falſa erunt? Largiamur, fide Græcâ in miraculum corrumpi quædam potuiſſe; ſed quædam: ipſam Politiam, ipſas in ea Reginas, bella, fœdera, victorias, plurium probatas calculô, quid temere in dubium vocabimus? Amazones deſcribunt multi, ſine ira, ſine ſtudio, quorum cauſas procul habent: hoſtes quoque tantas laudant heroinas, QUORUM utique judicium, cum nihil dare gratiæ ſoleant, ex liquido profectum judicatur; multo certè firmius, quam quod è domo teſtes de noſtris ferunt laudibus. LVCRVM quoddam eſt, ſi ita placet, neque omnibus promiſcuè habere fidem, neque rurſus

omnia, ceu supra fœminarum vires, aspernari. Quid si vires eò tempore natura voluisset ostentare in fœminis? si, non minùs posse sexum, ut appellant, sequiorẽ, quàm virilem, ostendere? si non heroas tantùm semideos; sed heroinas etiam semideas producere? In rebus tam antiquis (loquor cum historico Romano,) si, quæ similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeam. Optanda certè plenior primorum temporum historia! Sed si non fas est, scire omnia: si, judice Quintiliano, inter Grammaticorum virtutes habetur, aliqua nescire, ista quoque nostra virtus sit. feramus, non culpemus, quæ mutare non possumus. Quam pauca primæ ætatis nostræ meminimus? Et prima fermè, aut propinqua primæ, ætas mundi fuit, cum ex regno Scythiæ, regno inter antiquissima laudando, regno utriusque sexûs fortitudine spectabili, mares prodierunt fœminæ: quid mirum, quod tantillum de iisdem novimus? Quæ tamen, ut & sibi altiùs imprimeret, & aliis Iuvenis Nobilissimus, JOHANNES RIGEMANNVS, *consultis passim elegantioribus historicis, hanc Politiam Amazonicam non tantum juxta quatuor formandæ Reipublicæ media disponere; sed concinnandæ etiam Orationis argumentum esse voluit, quam ex memoria d. VII. Aprilis, dante Deo, depromturus est. Haud scio, annon verba perditurus sim, si Te, Amice lector, multis ad audiendum invitem. Rara nobilis materiæ suavitas salivam facile egregiis movet ingentis. blanda est in ipsis fœminis, de quibus agitur, tyrannis. exercebunt eam fortè in Te quoque, ut, notato tempore, ad nostrum Collegium (id quod humiliter hùmaniterq; precamur,) properes; ut Politiæ*

Iliæ Amazonicæ constitutionem, conservationem, amplificationem & destructionem audias. Et oratio, ut spero equidem, & oraturus non permittent, ut Te temporis pœniteat. P. P. *d. 3. April. Anno 1651.*

POLITIA AMAZONVM. ORATIO.

COntemplanti mihi res & actiones hominum, quas vel interpres earundem, Historia, vel Magistra, experientia, hinc inde offerunt, non minùs varia, quàm mira, de plerisque judicia occurrunt. Sunt, qui eas vili nimis pendunt pretio: sunt alii, qui, certo animi decreto ducti, nimis eas venerantur. Non juvat in exempla multa digredi. Unum, de honore sexûs fœminini, judicium hac vice in judicium vocabimus. Quàm pomposè de eodem, imò superstitiosè potiùs, antiquum judicavit Germanorum seculum? Inesse mulieribus sanctum aliquid & providum putârunt, plerasque earum fatidicas, &, ut prudentiæ Magister refert, augescente superstitione, Deas arbitrati. Tanta sexûs hujus erat veneratio, quæ eum non tantùm supra virorum statum; sed & supra hominum conditionem efferebat. A Germanis autẽ istis in diversum nimis abeunt alii, atrociter & transcensis velut postibus, in fœminas, præter

fas & æquum, detonantes, ut impura non rantùm vitiorum omnium mancipia easdem nominent; sed & nomen eisac dignitatem hominis, ausu pertquam inhumano, detrahant. Sed utrumque harum sententiarum & opinionum diversarum præcipitium vitandum: ex ancipiti certamine in viam veritatis, ipsâ Duce, emergendum est. Universum si spectemus, inferiorem quidem locum fœminis, ipsa earum assignat indoles. Sexus imbecillis est; mollis & flexilis plerumque animus. &

pectore in arcto

Mens fragilis facili vitiorum fluctuat æstu.

Quid? quod impares ipsæ laboribus, & celeritate in conficiendis negotiis destituræ. Ne nunc illud, cum Catone, afferam, quod MULIERES, si viris saltem exæquentur, tolerabiles non sint futuræ: extemplo, simul pares esse cœperint, superiores erunt. Nec tamen contra eas ferendi scuriæ isti & scommatum ejaculatores pessimi, sexûs suavissimi tyranni, qui, se ab hominibus originem ducere, non concedunt, ideoque veritati obloquentes manifestissimæ, fœminas esse homines, in quibus tamen humana vident omnia, inficiantur. Quantam verò sibi ipsis ignominiæ notam inurunt, dum ad bruta animantia originis suæ initia referunt? Quantam veritati vim faciunt, dum laude meritâ elegantissimum hunc sexum privant? Neq; enim illi virtutum cultus denegandus, ut non nisi vitiis clareat. Imò nulla est virtutum omnium,

nium, quarum exempla & plurima, & memorabilia hoc in sexu non legantur. NON enim censum virtus eligit aut sexum: nulli hominum præclusa est: omnibus patet: omnes in complexum admittit: tàm fœminis, quàm maribus communiter est exposita. Quot fœminas Natura solertissimas: quot industria literatissimas: quot educatio magnanimas, & pias: quot experientia omni seculo prudentes præstitit. Una Fortitudo Militaris, illa virtutum omnium gloriosissima, & quæ minimè omnium in hunc sexum cadere videtur, tanta tamen in multis fœminis exstitit, ut quandoque viris palmam gloriæ, si non præripere, ambiguam tamen facere possent. Quod ne audaciùs fortasse, quàm verius à me dictum putetur, sistam impræsentiarum, vestris mentibus, Amazonas, Heroinas olim felicissimas, quarum gloria bellica tantis passim deprædicatur laudibus, ut planè in dubium eam vocent nonnulli scriptores. Constans vero pro eadem veterum Historicorum militat consensus, ex quibus ipsis Politiam Amazonicam brevi nunc explicaturus oratione, Vestram, Auditores omnium ordinum honoratissimi, (quanquam mihi ipsa, per se amabilis, delectæ ad dicendum materiæ dignitas satis magnam audiet etiam factura videatur,) tamen magis consuetudine, quàm quod ita necessarium existimem, vestram imploro attentionem, ut mihi, rem ab ævo nostro remotissimam & ampliſſimam, brevibus orationis spatiis in-

cludere paranti, exigui temporis usuram ne denegetis. Inter gentes vetustissimas, quæ præcipuâ armorum felicitate passim celebrantur, Scythæ exstiterunt, quibus cum satis diu, satis etiam feliciter, duo Reges iisdem præfuissent auspiciis, ambitione tandem invalescente, in cædes mutuas ruerunt. Postquam verò alter Regum prosperè pugnâsset aliquoties, factione Optimatum conspirante, Principes, devicti Regis fautores, Ilinon & Scolopitum, Regio natos sanguine, in exsilium ejecit. Ejecti tam illustres viri ingentem juventutem secum traxêre ex Scythia & in Cappadociæ ora, juxta amnem Thermodoontem, considentes, subjectos Themiscyreos campos occupavêre; sed invitis prorsùs incolis, in quos sibi ipsis Imperium, non paucos annos, rapiebant. UT verò aliàs imperia, vi parta, facilè vi dilabuntur: ita ipsi etiam, cum spoliare semper finitimos, suæque libidini obnoxios facere, pergerent, occultâ eorum conspiratione, in abditas Regiones, quasi à fugientibus, prolecti & per insidias trucidati sunt. Quid adhæc relictæ ipsorum uxores? Cum viderent, orbitatem additam exsilio cum lacrumis, gemitibusque nihil effici intelligerent, animum & arma sumere viriliter constituunt, ut mortem virorum subdolè cæsorum, suâ quoq; morte ulciscantur. Ne autem feliciores aliæ aliis viderentur, pares esse voluêre, ideòq; omnes viros, quotquot domi remanserunt, furibundis manibus interficiunt. Et jam crebriùs con-

conventus agitare: jã cædes populorum spirare: jam vindictæ cupiditate exardescere magis subinde magisque incipiebant. Jam, collectâ armatâque fœminarum multitudine, sedes istas suas, tam augustis animis angustiores, relicturæ, vicinis imminebant populis: Sed illi tam ineptos mulierum & inconsultos (ut putabant,) impetûs parum curabant, ideoque otio securius indulgentes, abiisdem, ex improviso, obruuntur, trucidantur, exscinduntur. Quantum ibi in victorum cædibus exsultabat iracundia mulierum? quantum in miseros, sine discrimine statûs, ordinis, ætatis debacchabatur? Putâsses tigridum exercitum, laniatu morsibusq;, in raptores fœtuum suorum sævire: omnes enim ad unum viros miserabiliter interimebant. Nimirum SEXUI huic velut propria vindicta est: licèt imbecillus videatur & impar laboribus, tamen si licentia accedat, sævus, ambitiosus, potestatis avidus est. Quid huic Amazonum furori simile omni ævo reperias? quem non in alios tantùm; sed in suos quoque viros, de se bene meritos, communium parentes liberorum, perfidè exercuerunt. Detestandum fuit Alexandro Magno, omnibusque Ducibus, fœminæ cujusdam facinus, quæ reprehensa gravius à viro, simulatum ei diu obsequium præstitit, & muliebribus adhibitis blanditiis, ipsum omni amoris genere exteriùs prosecuta est. Vindictæ autem cupiditas altâ mente manebat reposita! Cũ igitur Spitamenes, [hoc enim vi-

ro nomen erat,] simulato captus obsequio, de die convivium adpararet, vinoque & epulis gravis, in cubiculum ferretur, Uxor dormienti, gladio, quem veste occultaverat, caput abscindit, & ad Alexandrum perfert. Detestandum fuit, inquem, hujus uxoris in virum facinus; sed magis detestanda crudelitas Amazonum nostrarum, quæ viris sibi reliquis, virisinnocentibus, viris nihil tale opinantibus, misericordamque illarum procul dubio implorantibus, manûs violentas intulêre, unde & viricidæ passim dictæ sunt. Unde autem furor iste? unde inaudita hæc crudelitas? Unde, Auditores, nisi ex communi illo malorum fonte, ex REGNANDI cupidine ac prurigine, quæ, ut omnia jura violare, ita Regna evertere ac devastare passim solet. Hinc, sacris profanisque testibus Historiis, & parentes in liberos, & liberi in parentes, arma sumserunt funestissima, omniqueverentiâ excussâ, omni exutâ humanitate, mutuô se sanguine immaniter conspurcârunt. Quanquam Amazones nostræ non tam eo nomine reprehendendæ videntur, quod mortem virorum suorum occisorum, justo iracundiæ calore ac animi indignatione motæ, ulcisci voluerint. Vim enim viris suis illatam vi repulêre, ut ita, sedibus hostium bellarorum occupatis, novam Politiam, propè fluvium Thermodoontem, constituerent. Quis credat facilè, tantum animi, tantum ad rem tantam ingenii mulieribus fuisse? Constituerunt tamen, singulare seculorum

rum omnium exemplum ausæ, novam Politiam, & satis quidem prudenter, præsicientes sibi initio duas fœminas Principes Marpesiam & Lampedam, trucidatorum Juvenum Conjuges, omnibus animi fortunæque dotibus abundè auctas ornatasque, quibus fatales tantæ potentiæ mulieres oportebat instrui. Nec verò hanc ob causam duas eligebant, quòd eis Principum pluralitas in omni casu utilis videretur; sed quia & domi, & foris tot difficiles labores erant superandi, ut utrique parti una Regina, quantumvis virilem supergressa fiduciam, par esse nequiret. Hinc & iisdem gubernârunt auspiciis, unâ splenduerunt Majestatis gloriâ. LAMPEDA quidem domesticis rebus, & iis negotiis, quæ patrio solo opportuna erant, prudenter curandis vacabat; MARPESIA autem externam curabat militiam, tantâ magnanimitate, ut non quibusvis Ducibus aut Principibus; sed summis Imperatoribus comparanda, imò præferenda putaretur. Mirum est, Auditores, quòd tam feliciter omnia cesserint! IMPERIVM æquè ac majestas impatiens consortis est; sociorum dominatus ingentium plerumq; incommodorum seminarium evadit: naturalem ille fratrum quoque rumpit amicitiam; & hæc tamen Dyarchia recentem Amazonum Politiam nullô mactavit incommodô. Quâquam meditatiùs consideranti omnia, non abs re videri possit, unam revera Imperatricem, unam fuisse Augustam Amazonibus, quæ, cum bellicis

cis alibi expeditionib⁹ occuparetur, ne ſine capite eſſet Imperium, alteram regiminis conſortem conſtituit, eo forſan modo, quo Auguſti olim in Imperio Romano Cæſares, à ſe conſtitutos, ſibi ſociârunt. A memoria enim Diocletiani, & paulò etiam antea, Cæſaris appellatio ſecundariæ in imperio illo poteſtatis nomen fuit, ut Regis Romanorum noſtro tempore, qui vel abſente Imperatore, vel impedito, omnia Imperatoria jura exerceat. Quam verò ſingularis, etiam in hac imperii gerendi ratione, elucet fœminarum prudentia! Nimirum non vulgaris ſeculi iſtius ſexti, poſt ter mille à condito mundo annos, quoad fœminas fuit conditio: aliæ paſſim imperii faſces ſuſtinebant: aliæ, aliis generoſis occupationibus defatigatæ, gloriam viris ſtudebant præripere. In populo Dei Debora Prophetiſſa imperabat, hoſtemque Iſraëlitarum levi exercitu, Deo grandine & imbribus in hoſtes pugnante, profligabat. Jaël itidem, fœmina ſingulari fortitudine, magnum Jabini Ducem interimebat Siſſeram. In Græcia Phœmonoë, filia Apollinis credita, inventrix carminis heroici, oracula vicinis cepit reddere, perque eam Oraculum Delphicum, totius univerſi, ſub Ethnicis tenebris, miraculum, circa id tempus ortum non modò accepit; ſed & multis ſeculis, uſque ad ſalvatoris noſtri incarnationem, ſummè floruit. Quis ſeculum hoc fœmininum jure dici poſſe dubitet? Provida verò in primis ac ſolicita Amazonum noſtrarum, in con-

conſtituendis officialibus, erat cura, ut à ſolis fœminis negotia Regni curarentur, ne, vitio fortè dignitatum occupantibus faſtigia, ipſæ imperio excíderent. Quod quidem tàm prudenter, quàm feliciter caverunt, ut Magnus iſte juſtitiæ apud Græcos cultor, Ariſtides, rationem muliebris illius imperii expendens, non dubitârit, in Panathenaica ſua, aſſeverare: facta ipſarũ naturam ipſam ſuperâſſe! Cum autem ſuam hanc Rempublicam non ſatis eſſe judicarent, bene conſtituiſſe, niſi eadem quoque cura conſervarent ac tuerentur cum vicinis populis, Gargaritis, arctiora inierunt fœdera, eo præſertim fine, ut ex ipſis prolem ſuſciperent. Formidabant enim, (neque id immeritò!) ne, rareſcente fœminarum turba, ipſæ demum penitùs deficerent. Abjecto igitur nubendi animo, externos aliarum gentium concubitus admiſerunt, ea tamen conditione addita, ut vertente anno, viri ad certum locum reverterentur, recepturi à matribus, quicquid maſculini ſexus, anno lapſo, peperiſſent. Sic ergo Martiæ fœminæ ſumſerunt ſibi, quod viri plerumque Martii, &, dum ſtato tempore, ſtataque lege certos admiſerunt viros, conſtante ad partum uſque continentia, ſpeciem præbuerunt conjugalis conſuetudinis; ſed quæ tantummodo cæcitatem Ethnicam, & amenti m præ ſe ferat, qualem de Brachmanibus, de Vxoribus Amnitum, de Madanitis hiſtorici prodiderunt. Quicquid verò fœminini ſuſcipiebant Amazones, ad ar-

ma

ma statim erudiebant strenuè. Cum enim NON facilè quenquam ad virtutum summam matureſcere cognoſcerent, niſi, qui tempeſtivè in ſeminario virtutum generoſiore exercitatus, aliquid inclutum deſignaret, Virgines ſuas non otio enervabant aut lanificio: non ad penſa & colum exercebant; ſed telis, equis, venationibus ac exercitiis adhibebant bellicis, ut ſanguinem, non oſcula delibantes, armorum potiùs, quam amorum officia frequentarent. Tam videlicet curatè in educationem curamque liberorum omnes cogitationes convertebant, nihil molitionibus ſuis profectum facilè ſentientes, ſi, rebus undique motis, homines imperitos ac ſegnes Regno ſuo, poſt ſe, relinquerent: ſuam quoque gloriam haut durabilem futuram, ſi maximarum rerum inſtrumenta, quæ tanta induſtria parabant, ſuccedentium inertia corrupiſſet. Ne verò ſagittarum jactus forſitan impediretur, dextras filiarum mammas, in prima infantia, urebant, unde Amazonum nomen profluxiſſe, rerum ſcriptores autumant. Quanquam rectiùs origine Germanicâ dicatur alos, quaſi die Weiber elemento primo, quod in multis amat fieri vocabulis, addito, quo Patriæ origini hoc nomen vindicetur. Vt verò Regnum eò firmius munirêt ac ſtabilirent, munitiones, firmamenta ejus, paſſim exſtruxerunt. ITA namque facere oportuit, ut impetus hoſtiles & incurſiones validè arcerent, ut ſecuræ bona ſua ſalva ac immunia retinerent à periculis; ut

ut tuta quædam haberent perfugia, ſi ex improviſo repentina vis irrueret. Exciârunt ergo Civitates præſtantiſſimas, non Themiſcyræ tantùm, ubi Regiam Marpeſia ſtatuit; ſed & alibi, poſtquam, felicibus armis, victrices fœminæ ſeſe in toram majorem Aſiam effudiſſent, Armeniam, Galatiam, Syriam, Ciliciam, Perſidem multasque regiones potentiſſimas, potenter ſubjugâſſent, & diuturnas ibi ſedes ſibi elegiſſent. Illis enim ortum ſuum debent Smyrna, Cume, Myrine, Paphe & aliæ urbes olim clariſſimæ: illis ortum ſuum debet magna Epheſus, ubi in honorem Dianæ, quam ob aſſiduum venandi ſagittandiq; ſtudium mirificè coluerunt, templum illud, toto orbe celebratum exſtruxerunt, quod quidam poſtea Heroſtratus, æternum ſibi nomen paraturus, ſceleratis facibus incendit. Quemadmodum autem NULLA gens tam vilis, tam abjectæ conditionis reperitur inter veteres, quæ ſui generis autorem non faciat Deum, aut Deo editum: ſimili modo Martiæ hæ fœminæ originem quoque ſuam ad Martem retulerunt, ejuſdem ſeſe filias dicentes: & hoc non tantùm eum in finem, ut gloria belli major & auguſtior exiſteret, quem Populus Romanus quoq; habuit, ſuum Conditorisque ſui parentem, Martem, potiſſimùm oſtentans; ſed ut autoritas quoque apud vicinos omnes eò tueret ampliùs, qui eas, velut Dei filias, eò magis venerarentur ac metuerent. Rectè enim Alexander Magnus, Dei quoque filium ſe nomi-

nominans: FAMA, inquit, bella conſtant, & ſæpe etiam, quod falsò creditum eſt, veri vicem obtinuit. Ad res namque gerendas primordia q; Regni auguſtiora reddenda conducere hoc, communi gentium inſtituto credebant. Et tanta earum fama, tanta per omnes terræ partes exiſtimatio exſtitit, ut ipſi bellorum Deæ Minervæ, ut ſorori & Conjugi Martis, Bellonæ, ut Chalybum populo ſi non præferrentur, tamen æquiparentur à pluribus. Teſtem hujus venerationis vultis, Auditores? Teſtem ex Poëta hunc vocabo, Phinea vatem, qui, Argonautas inſtructurus, cavere illos ſibi etiam atque etiam jubet ab Amazonibus, ne victricibus earum armis infeſtentur. Sed audiamus ipſum vatem!

Proxima Thermodoon hic jam ſecat arva, memento,
Inclita Amazonidum, magnoq; exorta Gradivo,
Gens ibi: fœmineas nec tu nunc crede catervas;
Sed qualis & quanta viris inſultat Enyo,
Divaq; Gorgonei geſtatrix innuba monſtri.
Ne tibi nunc horrenda rapax ad littora puppem
Ventus agat, ludo volitans cum turma ſuperbo
Pulvereis exultat equis, ululataque tellus
Intremit, & pugnas motâ pater incitat haſtâ.
Non ita ſit metuenda tibi, ſæviſſima quanquâ
Gens Chalybum.

Quod

Quod ſi fortè vatis hujus ſuſpecta fides eſt, ſi Poëticè vaticinari aut Philoſophari vobis videtur, alii profectò, & magni quidem nominis ſcriptores, inprimis Græci, hanc firmare poſſent gloriam. Sufficiat unius ex Romanis teſtimonium, quem parem illis omnibus eruditio, ſuperiorem gloria & potentia fecit, primi nempe illorum Monarchæ, Julii Cæſaris, qui maximam Aſiæ partem Amazonas tenuiſſe, ſeriò aſſerit apud Hiſtoricum. Sed excitatum bellis regnum, bellis itidem aſſerendum erat & ampliandum, ne in pace forſan, velut ferrum rubigine obſitum, ſplendorem ſuum perderet; idcirco, feliciſſimis progreſſibus continuatis, inſtitutum ſuum armis proſecutæ ſunt, bellumque ex bello excitarunt. Ut verò in hoſtes militem haberent fortem ſemper, & periculorum contemptorem, exercitia armorum & virtutis militaris præmia inſtituerunt, equis ad hæc primò omnium uſæ, quibus omnibus animos tanta obfirmarunt fortitudine, ut nulla clade à bellicis auſibus deterreri potuerint, novam ſemper belli aleam ſubire anhelantes. Cumque jam dudum Reginæ Marpeſiæ exercitus omnium pretioſarum rerum ſupellectile divitiisque abundaret, magnam ejus partem, prædis opibusque onuſtam, ad Lampedam, domeſtica negotia curantem, remiſit, ut publica ibi tropæa ſtatuerentur, & ſolennia Diis Deabusque ſuſpenderentur anathemata. Quid fit? Cum Aſiani hac emiſſione potentiam fœminarum plurimum

deminutam animadverterent, &, fœminei regiminis pertæsi, omnes illius excutiendi occasiones captarent, statuerunt, longè honestius esse, semel mori, quàm non peregrinum modò; sed & muliebre imperium perferre. Coactis itaque viribus in prælium prodeunt; sed iisdem masculè Marpesia Regina, fœmineo stipata agmine, occurrit: tandem verò, superata multitudine, postquam fortissimè pugnâsset, postquam ingentem barbarorum stragem edidisset, inter medios hostes interiit. Sed nō interiit cum ea fortitudo Amazonum, aut partum ea in Asianos Imperium: quin potiùs, cum quatuor relictæ ex Marpesia supereſſent filiæ, Orythyia, Antiope, Menalippe, Hippolyte, ex his primogenita, ORYTHYIA, matre ipsa generosior, nec singulari tantùm militaris rei peritia; sed constanti etiam in omne ævum pudicitia celeberrima, communi gentium jure, Matri in Regno Amazonum succedit, &, jugum in cervices rebellium reponens, viros in belles fortium fœminarum imperio reverentius parere coegit. Statim enim arma, telicta ad Regni custodiam sorore Antiope, trans Thanaim tulit, terrorem cum iisdem & victorias circumferens, faustoque progressu in Thraciam usque penetravit, ut ad mare quoque Caspium perveniret, hostesque undecunque obviantes felicissimè compelceret. Quis Imperatricis & victricis hujus glorioſissimæ, admirandam bellicæ virtutis gloriam, digne efferat? Nullius est tantum ingenii

genii flumen nullius tanta dicendi vis, tantaque copia, quæ, non dicam exornare; sed enarrare res Orythyiæ gestas satis valeat. Mirentur alii Semiramidem, quæ tot splendidis victoriis inclaruit, & Assyriaci Imperii fines longè lateque, per fines Indiæ, propagavit! Mirentur Margaretam, Daniæ, Norwegiæ Sueciæque Reginam magnanimam! Orythyia nostra, Amazon invictissima, omnes illas facilè supereminet. Hæc adhuc ampliùs Regnum suum dilatavit: hæc novas propagare colonias instituit: hæc, in ipsam Europam arma deducens, ad paludem, quæ Mæotis vulgo; Scythis autem ipsis, voce ex Germanis petita, temerinda nominatur sedem fixit suis fœminis, quæ tamen postmodum ab instituto vitæ Amazonicæ non nihil declinarunt. Testem hujus facti sistimus Hippocratem, cujus adhuc tempore fœminarum virtus in Europa celebrata fuit. Audiamus senem gravissimum: in Europa, inquit, genus hominum est Scythicum, circa paludem habitans Mæotin, quod à reliquis gentibus maximè differt; harum fœminæ equites sunt, arcubus utuntur, & sagittas ejaculantur, ex equis cum hostibus congredientes, dextram autem mammam non habent. Nam puellis, adhuc infantibus, matres, æreo instrumento igne candefacto, eam auferunt ac exurunt, ne iterum succrescere contingat. Et harum sanguini, (quis credat, nisi testes essent locupletissimi?) harum sanguini non immeritò parta ipsis Sarmatis gloria

accepta fertur. Hæc enim gens magnanimo præcellit pectore cunctis, quod sit Amazonidũ fata divo sanguine, ut de Sarmatis Poëta loquitur. Quanquam Regia dignitas penes Asiaticas Amazonas permanserit. Hæ nnim Regno à se condito fortiter præfuere, illudque ram feliciter & acriter tutatæ sunt, ut multis, & ex his ipsi Athenienſium Regi, Euristheo, istas Martis filias vinci posse, supra vires virorum videretur. Quemadmodum autem nulla uspiam potentia sempiterna exsistit, regnaque fatalibus suis periodis, quibus vel floreant, vel corruant, circumscribuntur: ita neque fœminarum Politia isthæc inconcussa potuit persistere, multo minùs perennare. Rex iste, Euristheus, sibi quoq; Regnoque Græciæ metuens, ne tam stupendi roboris mulier, Orithyia, animum ad illud expugnandum adjiceret, Herculem, Ducum suorum præstantissimum, lectissimo instructum exercitu, cum classe adversus Amazonas, in patria relictas, mittit, qui, subdola usus astutia, Antiopem Pro Reginam, quæ domi Rempublicam fœmininam administrabat, improviso impetu adoritur. Hæc verò, cum, nihil hostile metuens, inopinatum sibi bellum ab hostibus inferri videret, licet ad primum Græcorum impetum animo consternaretur, pristinæ tamen virtutis memor, fœminarum exercitu properè contracto, audaciùs, quam feliciùs in hostes irrupit. A multis namque, & lectissimis viris paucæ superatæ mulieres, à paratis imparatæ multæ occi-

occisæ, nec paucæ captæ, inter quas duæ sorores reliquæ, Menalippe ab Hercule, Hippolyte à Theseo, Athenienſium Principe, in triumfum abductæ sunt. Orythyia, in domandis passim regnis occupata, & turbationis hujus domesticæ ignara penitùs, ubi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Athenienſium Principem, quantùm in Græcos excanduit? quàm gravem in eos vindictam secum commentata est? Dolebat in primis generosam mẽtem, felicissimum armorum suorum cursum impediri, se ad tutandam patriam invitam retrahi, & tum verè demum, cum Hannibale, inter lacrumas ad patriam asserendam ex Italia revocato, sentiebat, QVANTVM sit victoriarum externarum impedimentum, si domi turbemur! In hortandis igitur comitibus anxiè solicita; frustra Pontum, frustra Asiam & Syriam edomitam esse, dicit, si Græcorum non tam bellis, quàm rapinis pateant. Non defuturos belli socios, quibus odiosa hæc insolentia. Quos inter cum sciret Sagillum, Regem Scythiæ, auxilium illius implorare maluit fœmina prudentissima, quam sola dubiam belli aleam subire. Missis proinde ad eum Legatis, genus se Scythicum esse: cladem virorum, necessitatem armorum, belli causas ostendit, asse quutasque virtute, ne segniores viris fœminas habere Scythæ viderentur. Motus statim Rex domestica gloria, mittit cum ingenti equitatu filium, Panasagorum, in auxilium; sed ante prælium dissensione

orta, ab auxiliis turpiter desertæ Amazones, prælio ab Athenienſibus vincuntur. Profectò ut AVXILIA peregrinorum rarò ſatis fida ſunt: ſic in præſenti Amazonicæ ruinæ initia fecêre. Quantum verò hac victoria, quæ illis prima adverſus externum exercitum contigit, ſuperbierunt Athenienſes? Ariſtidis certè oſtentationes in Panathenaica id ſatis docent, qui Græcos primùm fœmininæ potentiæ jugum fregiſſe, operosè jactitat. Neque mirum, quòd accepta clade, præ mœrore, exceſſerit Orithyia è vivis, quòd pertœſa vitæ mortem, promto animo pertulerit. Cognata ergo ejus PENTHESILEA, Heroina itidem generoſiſſima, rerum potita eſt, acceptis ad Atticam cladibus magis irritatum animum, quàm fractum oſtendens. Ideoque ſicut leo, princeps animalium, ad furorem concitatus, omnes vires exſerit, quo furibundum ſatiet animum: ita ipſa mentem vindictæ cupidam in Græcos acuebat, inque omnes occaſiones erat intentiſſima. Ex voto igitur ipſius famoſiſſimum illud, inter Græcos & Trojanos, bellum ortum eſt, ipſaque à Trojanis vocata, egregio cum exercitu, ſuppetias iiſdem attulit, primoque impetu, combuſtis inopinato multis Græcorum navibus, ipſos in fugam vertit. Poſtea non cum Athenienſibus tantùm; ſed univerſis Græcis ſæpius congreſſa, omnes in admirationem virtutis ſuæ rapuit:

Ducit enim (ita Maro cecinit) Amazonidum
lunatis agmina peltis

Pen-

Pentheſilea furens: mediisque in millibus ardit,
Aurea ſubnectens exſertæ cingula mammæ,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Tandem verò ab Achille victa, & ſeminex in fluvium probrosè abjecta eſt. Sic ergo cecidit flos Amazonum in campis Trojanis! ſic miſeranda clade omnes ferè, quæ cum Regina ibi erant, proſtratæ, occiſæ, interemptæ ſunt, fama citiùs, quam nuncio alio, Themiſcyram triſte malum deferente. Hinc excitata nutrix Penthesileæ, Cleta, Maſcula fœmina, quæſitura ea, navigationem ſuſcepit; ſed pulſa ventis venit in Italiam, Civitatem ibi nominis ſui ædificans, in qua diu ſatis regnavit, donec Crotoniatæ eam ipſam Cletam, cum ſuis, penitùs interficerent. Ita nulla calamitas ipſatum ſola fuit! Ita fortuna, ſemel irata, nihil ampliùs bonis indulgere fœminis voluit! Ita, in oris præſertim exteris, nonniſi clades atque damna ſenſerunt, hoſtibus ad diripiendum & turbandum eas undiquaque paratiſſimis! Ita diu victrices Amazones, cum adverſa ſentirent omnia, plurimis provinciis & regnis, bello partis, bello iterum exutæ ſunt, ut vix ſuum ſibi Regnum, adverſus vim externam, tuerentur. O Martem verè dubium! O infelices Martis filias Amazonas! Quarum hæc, poſt tot ruinas, cura fuit, ut prudenter conſervarent ſedes circa Thermodoonta natales, neque, ſicut factum antea, eruptionibus vicinos aliosque, in odium & perniciem ſui, lacceſſe-

rent. Quo in ſtatu, ad Alexandri Magni uſque tempora, verſatas eas eſſe conſtat, ut tamen omnibus inter Caucaſum montem & Phaſim amnem, conſtanter imperitarent. Habebant autem illo tempore Reginam, THALESTRIN, quæ, cupidine viſendi Alexandri Regis accenſa, finibus regni ſui exceſſit, &, trecentis comitata fœminis, ad eum proceſſit. Poſtquam equo deſiliiſſet, interrito regem vultu eſt intuita, habitum ejus haud quaquam rerum famæ parem oculis perluſtrans. Quippe hominibus barbaris in corporum Majeſtate veneratio eſt, (ſicut elegantiſſimus Curtius, ex quo iſthæc refero, ſubjicit,) magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt. Cæterum interrogata: num aliquid petere vellet? haud dubitavit fateri, ad communicandos cum Rege liberos ſe veniſſe, dignam, ex qua ipſe regni generaret heredes; fœminini ſexus ſe retenturam; marem reddituram patri. Alexander, an cum illo militare vellet? interrogat: & illa cauſſata, ſine cuſtode Regnum reliquiſſe, petere perſeverabat, ne ſe irritam ſpei pateretur abire. Compos ergo voti ſui facta Regina, regnum ſuum repetiit. Et ab illo quidem tempore, quo Thaleſtris Alexandrum inviſit, cum nullos ſcriptores ampliùs earum geſta invenerint, nihil quoque ab iiſdem poſtea factum novimus. Bellis interiit Regnum, quod bellando conſtituerant. Quanquam adhuc Pompeii tempore, in bello Mithridatico, inter

inter captivos ab Albanis Iberisque abductos, aliquæ inventæ fuerint, non minora, quàm viri paſſæ vulnera. Imò in triumfo Aureliani Imperatoris, ſeculo poſt Chriſtum natum ſecundo, ductæ ſunt quoque decem Amazones, ut gentem illam tot ſecula pugnaſſe, ex præſtantiſſimis Autoribus certum ſit. Quid igitur Straboni (quem nonnulli ſequuntur alii,) in mentem venit, quòd, hanc Gentem unquam exſtitiſſe, prorsùs, neget? quod fabulis Græcorum totam hanc Politiam annumeret? Ita enim, veluc ex tripode, pronunciat: De Amazonibus, inquiens, quæ dicuntur, miraculoſa ſunt, & à fide plurimum diſtant. Quis enim credat, quod vel exercitus, vel Civitas, vel gens unquam, ex ſolis conſtiterit mulieribus, & nõ ſolum conſtiterit; verùm etiam invaſerit aliena: & non ſolùm vicinis fuerit dominata; Sed & exercitum trans Pontum miſerit uſque in Atticam. Miraculoſa certè ſunt, fateor, quæ de tantis dicuntur fœminis: fortaſſis vanitate quoque Græcula corrupta nonnulla referuntur: nunquid autem propterea tot aſſertoribus de iiſdem omnem fidem derogabimus? Nimirum, VBI de magna virtute atque gloria aliorum memores, quæ ſibi quisque facilia factu putet, æquo animo accipit: ſuprà, veluti ficta pro falſis ducit. Nec verò hiſce tantùm fœminis; ſed & aliis quàm plurimis, heroicæ ejuſmodi adſcribuntur virtutes ac res geſtæ. Non vocabo huc Agilæas aut Myſas mulieres, factis bellicis jam olim celebres: Non

Bracarorum mores vobis explanabo, qui, nonnisi cum mulieribus armatis in bellum proficiscì, nonnisi cum illis ipsis masculè pugnare poterant. Ex recenti superioris seculi memoria habemus, quod, cum Turcæ oppidum Corcyræ nigræ, à viris desertum, magna via aggrederentur, à fœminis, animosè patriam defendentibus, memorabili cum marium Corcyræorum, & ipsorum hostium infamia, fœmineique sexus immortali laude, feliciter rejecti sint. Quis in his & aliis priscarum instar Amazonum non animadverteret? Vnde laudatissimi scriptores bellicosam Heroinam nominaturi, Amazonem dicunt, eò, quod tantas olim illæ res, tam stupendas atque memorabiles gesserint. Interiit quidè illa Politia; sed hoc commune habet cum rebus omnibus. NIHIL genitum æternum est: omnia humana variis rerum vicissitudinibus rotantur. Quid quæso est quod, tanquam fixum aut constans, ostentare liceat? Satis tamen diu floruit: supra mille annos, ad Alexandri Magni usque tempora, permansit. Quot Regna florentissima longè brevioribus includuntur spatiis? Nondum septingentos annos Assyriorum Monarchia floruit: vix ducentos stetit altera; ad trecentos usque Macedonum Monarchia vix pervenit: quid de aliis dicam? Attollite oculos ad tot busta maximorum Regnorum, quæ, præter nomen suum & ruinam, jam dudum nihil ad nos transmisere! Interiit Regnum Amazonicum: Amazones tamen, hoc est, heroinæ bellicosissimæ, omnibus seculis, ad hæc usque tempora, viguere. Taceo Artemisiam, malculam Xerxis, adversus Græcos bellaturi, sociam, cujus animosis consiliis si obsecutus fuisset Rex superbus, melius pugnasset. Præterea Tomyrin, Scytharum Reginam, Magni Cyri victricem. Omitto Pheretimam, Cyrenæ Reginam, cædem filii sui, Arcesilai, masculè vindicantem. Nec Amagen, Medosacci, Regis Sarmatici, cõjugem, hucaffero, quæ, marito, minùs ad regnandum apto, & Regnum suum, adversus varios hostium impetus, viriliter defendit, & populis vicinis, contra insolentes inimicos, suppetias tulit felicissimas, unde gloria ipsius, apud ipsos etiam Scythas, valdè celebrata fuit. Vnam ex veteribus Zenobiam, venustissimam castissimamque Palmyrensium Reginam, veram sui temporis Amazonem, tacere nequeo, quæ, cum, defuncto viro, Orientis & Ægypti Regna adversus Romanos; at quantos hostes? aliosque tueretur, armata in virili veste exercitui præfuit, & Imperatoris nomen merito suo tulit. Undetanto omnibus terrori fuit, ut se non Arabes, non Saraceni, non Armenii commoverent, omniumque judicio, historici indicio, virago melius, quàm Princeps mulierosus, imperio potiretur. Quanta se ejusmodi Amazonum, heroicarumque fœminarum in recentioribus offert copia? Dies me deficeret, Auditores, si Valascæ, Reginæ Bohemiæ, Rempublicam Amazonicam restaurare volentis, facta memorabilia:

bilia: Si Margaretæ, Daniæ primùm & Norvegiæ, poſt & Sveciæ Reginæ, res in bellis geſtas, multis referrem. Quantopere Mariam, Ducem Pozzuolenſem, Italam, miratur Petrarcha, rerum ab ea cum ſtupore omnium geſtarum inſpector? Tantopere profectò miratur, ut, ſibi exinde omne de Amazonum virtute atque Politia exemptum dubium, profiteatur, cum in Italia, poſt Camillam, fœminino itidem exercitu olim inſtructam, tantam Heroinam viderit. Quot bella? quot annos Margareta, Angliæ Regis Henrici VI. uxor, pro marito fortiſſimè geſſit? Quæ bella? quot annos geſſit Iſabella, Eduardi, Regis ſecundi ejuſdem Regni uxor, filii cauſa? Quanquam omnes, quas habuit Anglia, Heroinas, circa finem ſeculi ſuperioris, vicerit Eliſabetha Regina, cujus virtus & in bello, & in pace eò aſſurrexit, ut ſuis vita eſſe, amicis præſidium & ſolatium, inimicis horror, communi orbis ſuffragio diceretur. Quis neget, maſculas harum omnium virtutes, res felicitſſimè fortiſſimeque geſtas, priſcam Amazonum indolem oſtendere? Imò, quis invictam earum virtutem ſupereſſe neget, qui unius modò Heroinæ, quaquaverſum, noſtro ſeculo triumfatricis, Heroinæ auguſtiſſimæ, ineffabilem & in pace gloriam expenderit? Hæc enim, cum vera Amazonum progenies, & velut altera Orithyia ſit, non tamen pro finibus Thermodonticis adverſus imbecilles Græculos aut Aſianos; ſed contra potentiſſimas bellicoſiſſimasque nationes,

pro libertate Orbis, qua nihil auguſtius; pro Regnorum ſuorum vigore, quo nihil habet ſanctius, maſculè pugnavit hactenus, nec pugnavit tantùm; ſed tot etiam felicitatis ſuæ noſtes, innumeris fractos cladibus & conciſos, à domeſticis focis & fortunis heroicè avertit. Facilè, Auditores, me tacente, intelligitis, quam hic deſignem Heroinam: Sereniſſimam nimirum Reginam atque Dominam noſtram, CHRISTINAM, quam ut grata Germanorum devotio invictam meritò Amazonem nobiſcum prædicat: ita totus mundus, erecto veluti, ad inſpectandam ejus gloriam incomparabilem, capite, tot gentium, terrarum, imperiorum domitricem & pacificatricem, cum horrore ſacro, veneratur. Utinam auguſtas auguſtiſſimæ hujus Amazonis noſtræ laudes mente aſſequi, aut nonnihil ſaltem verbis efferre liceat! Surgite cognatâ cœlo ingenia! Surgite eruditorum numina & lumina, viresque veſtras, quanquam fruſtra hîc futuras, periclitamini! Nec enim ego, in conſeſſu hoc ampliſſimo, infantiæ meæ balbutiem prodigam in illis aut prodam: gloriæ mihi cedet, ſpero, Majeſtatem hujus noſtræ Amazonis intactam illibatamque humillimo ſilentii cultu, venerari. Quis verò, ex allatis, de Amazonum regimine, hiſtoriis, divinam in Regnis mundi providentiam non æſtimet? Deus certè eſt, qui regna nova ſurgere: Deus eſt, qui regna creſcere, Deus eſt, qui Regna decreſcere ſinit. Admirando Dei

ductu

ductu ista fœminarum Politia constituta, & diu satis conservata est, ut, in sexu isthoc imbecilli, immensa ejus eluceſceret potentia. Cumque Dei hujus nostri, Regis Regum optimi, maximi, Imperio Imperatores imperent, Dei nutu reges regnent, Dei consilio universa orbis imperia stent & cadant, devotissimos ad eum animos & oculos levamus, humillimè supplicantes, ut Amazonem, Reginam nostram augustissimam, semper felicem, invictam semper & incolumem paternè præstet, sceptrumque ejus subditis amoris lilium, gladius domi tutelaris, Militiæ semper triumfalis, Corona curiæ sublica, aræ columna, agris flora, sacra miseris ancora constantissimè exsistat, ipsaque imperium securum, domum tutam, senatum fidelem, exercitum fortem, populum probum, orbem quietum, ad vota sua, semper habeat: id quod, Majorum nostrorum, in Ecclesia nascente, ritu, ardentissimè & constantissimè precamur!

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

DILIGITE PEREGRINUM VT VOSMETIPSOS.

DEi hoc mandatum est: quid mirum, si hominibus, qui non, quæ Dei; sed quæ sua, curant, mirum est? Haut dubiè ex ipso Dei populo hæserunt multi, &, quid ita honorandus peregrinus? commentati secum sunt. Erant certè ipsi sanctum Domini peculium; peregrini autem maledicta stirpis: Idumæi & Ægyptij præsertim, qui frequentius Israëlitis miscebantur. Quàm miserè sub his, & satis diu, rapti, fatigati, cæsi, & non unâ clade macerati fuerant? Deus tamen ne contristent eos, multò minus opprimant, severè præcipit; quinimò, diligant eosdem, & ardenter quidem constanterq; diligant: diligant, ut semetipsos. Quid hac dilectione, inter homines, impensius? quid honoratius? Causam ejus si quis quærat? Deus præcipit: si modum? Deus exprimit: autoritas præcipientis, ratio, ratio præcepti: regula amandi peregrinũ, amor nostri est: vox enim ista Dei est: Diligite peregrinum, ut vosmetipsos! O paternam prorsus hanc solicitudinem! Dei Domini, nostri est, non hominum. Hos inter quidem paucos admodum reperias, qui verbum istud capiunt, aut sequi cupiunt. Multos incon-

inconsultus sui, & suorum amor sic infatuat, ut peregrinos, tanquam lateritios, habeant, aut hybridas: ut nomen istud ceu vicinum probro, miseris objiciant. Fortasis ex familia L. Torquati sunt, qui, ut parentem Vrbis Dominæ, Ciceronem, grandi fulmine prosterneret, ut contumeliâ sauciaret horridâ peregrinum nominabat. Imò Spartanorum mores sapiunt, qui, ne contactu exterorum se polluerent, nullos admiserunt. Simius simillimi! hæ enim, spretis aliorum animalium fœtibus, suam solum prolem amant, suam osculantur, suam ostentant simiam. SED inhumanum est, hominem, quicunq; demum sit, ab homine pelli, nisi manifestum scelus faciat: ferinum est, & dirius, societatem fugere illorum, quos eadem natura nobis sociat. Fera feram ex natali silva non propellit. Non hic mesleombus, non ursis est: unde ergo tanta hominum non-hominum immanitas? Auscultandum esset voci cœlo lapsæ: Diligite peregrinum, ut vosmetipsos! Qui ad hanc amussim vitam ducerent, non facile obliquo limarent oculo, si, in sua civitate, florem & honorem advenæ cujusdam viderent. Benignos se præstarent potiùs, cor sibi ipse non instar insula, quæ terris aliis avellitur; sed continentiú, quæ conjungitur, probantes. Verum enimvero, INSITUM naturæ est mortalibus, crescentem exteri felicitatem agre intueri oculis. VITIUM parvis magnisq; civitatibus commune, ignorantia recti & invidia. Tacitiana verba sunt, magistri prudentiæ: matrem ille filiamq; duas pestes, copulat. Illam vocat recti ignorantiam: hæc enim nisi plurimorum excœcaret animos, ne adhonesti solem efferantur, non ita exterorum commo-

di aegrescerent. Hanc invidiam appellat, quæ, ut verè fidum virulentum est: sic grave, præsertim in peregrinorum capita. Nullum est adversus eam propugnaculum, quo sese tueantur: nubus ullibi secessus, ubi latitent: cacumen nullum, quò adscendant: nullæ naves, quâ elabantur: nullum sacrificium, quo expientur, licet omnia Caligulæ in eam sacra implorent. Quid ergo? UNA optimum perfugium, prudens patientia, patiens prudentia. Sic magni utriusq; doctores asserunt. Non juvat, nomina illorum dictis addere. Satis impræsentiarum est, divinam admirari curam, quæ pro peregrinis, tam solicitè suscipitur. Beatos, qui sequuntur Deum, homines! Beatos Deos inter homines, qui Deum & officio referunt, & studio! Diligite peregrinum, ut vosmetipsos! IMPIUS est, quicunq; supercilioso negligit! blasphemus, qui ferociter contemnit! alienus ab humanitate, qui officia humanitatis, qui amorem ferium, qui peregrino adminicula vivendi, si quæ commodè præstare potest, denegat! Amore atq; more, ore etiam & re illi inservire decet, quem, ut nosmetipsos, adamare Deus præcipit. Omnino, quod privatas attinet necessitudines. Num enim ad honores publicos, ad Reip. officia quæcunque extendendum, quod hîc Deuss dicit anceps est. Immensò certè hoc ab illo distat spatio, quod ipse Deus alibi insinuat. Cum ergo dubia sit isthæc quæstio: Num peregrinis, quanto quanto aliâs amore, jussu Dei, complectendi sint, ad dignitates publicas, ad munia Reip. viam aperire, Reip. expediat? eruditionis oratoriæ, in evolvenda illa, facere periculum voluêre Iuvenes Ornatissimi, GREGORIUS & HER-

BERTUS ULRICI, *Fratres gemini, virtutum Paternarum æmuli, geminâ ad veram doctrinæ gloriam industriâ efflorescentes. Ipsi verò præsens à me petierunt argumentum: ipsi sedulò in eo laborârunt, quod petierant, duas ex memoria Orationes, d.* XV. *Augusti, DEO dante, reddituri, quæ utrinq; istam quercum ventilent. Ipsi præsens à me petierunt argumentum. Repeto, quod scripsi, ne strabus obscuro Livor me verberet ictu, aut de industria à me quæsitum istud, mordaci forsan rictu, differat. Novi enim, quâ insidiosè vigiles Dracones, quos Poëtæ in Hesperidum hortis collocant, ad has vel illas fores excubent. Vos, qui & literas, & earundem, undecunq; sint, tractatores singulari gratiâ dignamini, Summates, infimates: cives, peregrini, agite, adeste, quæso humanissime, audite Fratres certaturos, ut benignè arbitremini. Decreta nulla audietis; nec prætores enim sumus: placita virorum afferentur gravium: graves de iisdem placidè & graviter statuent. Omnibus vicissim nostra quantulacunq; redhostimenti loco, devovemus & dicamus omnia. Dab. in Museo, d.* VIII. *Augusti*, ANNO 1650.

PEREGRINORVM PROMOTIO.

ORATIO I.

INter alia Spartanæ Reip. statuta non postremum illud fuit, quo sanxerunt, ne peregrinorum

rum quispiam in urbem reciperetur, multò minus civitate donaretur. Cum enim istam humanii ingenii pravitatem intelligerent, quod extera quæ videt, statim admiretur; imò statim cum insigni quoque Reip. detrimento, imitetur, veriti sunt viri perspicacissimi, ne cives sui petegrinorum assòciatione desultoriâ animi levitate, ab avitis moribus, ad peregrinos, transirent, & stellarum instar, mutabili ratione labentium, incertis moribus vagarentur. Quod Reipubl. illius statutum etsi album quodammodo videtur mereri calculum, non parum tamen secum trahere iniquitatis, & rigorosè nimis esse conditum, quis est qui non animadvertat? INHUMANUM certè est, hominem quemcunque ab homine pelli, si non manifestum scelus faciat: incivile omnibus extra urbem nostram natis portas occludere. Fera feram non abigit. Non hic lupis mos, non leonibus. Natura nostra postulat, ut humanitatem in quoscunque exerceamus; imò ut hospitia iisdem, ut sedem inter nos quoque concedamus, inprimis, cum ad Reip. augmentum alios in civitatem recepisse insigniter faciat. Annon enim expoliuntur inde mores? floret negotiatio? novis mercibus & copiosis tabernæ abundant? Respublica augetur reditibus? varii accrescunt proventus? rerum denique affluentiâ fruitur tota civitas? Nemo ergo sanæ mentis tam nudè & crudè illam Lycurgi legem approbet; illa potiùs ambabus, quod dicitur, ulnis amplectenda est Reip. Vene-

netæ constitutio, quæ peregrinis quidem civitatis jus non denegat; & sic Spartanis est humanior; ad publicas tamen dignitates, ad honores civitatis & officia, eos non admittit, quo ipso longè est cautissima. Vigore enim hujus constitutionis, tot jam secula, in floridissimo eminuerunt statu, rebus domi forisque bellè gestis famosissimi Veneti. Ecquis enim est tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quò non hujus præstantissimæ Civitatis fama pervaserit? quis populus? quæ gens? quæ hominum natio vel tam immanis atq; barbara, vel tam exculta disciplinis atque artibus, quam non jam pridem florentissima Venetorum Respublica non gloriâ modo & splendore nominis sui; verùm etiam admiratione compleverit? Hanc verò gloriam, hanc potentiam, ut aliarum felicissimarum: ita hujus præsertim legis cultu, hactenus obtinuit: hujus cultu rerum omnium affluentiam, peregrinos commodè admittens: hujus cultu morum atq; atque status sui integritatem, publicis eosdem dignitatibus, excludens conservavit. Quanti verò æstimandum isthoc commodum? Tanti certè, ut vel solum, peregrinos Rerump. dignitatibus excludendos esse, suadere possit. Quanquam longè plures facti hujus rationes suppetant, de quibus impræsentiarum pro viribus dicere conantem, ut, quâ cœpistis benevolentiâ & attentione juvetis, A. eâ, quâ par est, deditissimi animi observantiâ, quæso & obtestor. CVM præ-

præcipua hæc civitatum laus existimetur, egregios è sinu suo viros proferre, quibus dignitatum publicarum curam committat, nemo non intelligit, quantâ cum ignominia, magnâ certè laudis deminutione, conjunctum sit, si, alienis ex locis, salutis suæ veluti precarios curatores assumat. Quemadmodum enim lapis preciosissimus, adamas, non nisi propriâ expoliri scobe satis potest: ita civitas quæcunque nullis aliis, quam suis ipsius gemmis, hoc est, civibus, suis ornamentis, dignè decorabitur, & conservabitur. Et tales si habuerit, quid tam iniquum, tam ab omni æquitate alienum est, quam eos negligere? illorum, qui alienæ sunt nationis, gentis, originis, operam, in publicis officiis, implorare? Adeste verò huc, adeste æquis animis, omnes, qui patriæ cives appellamini, & ipsi vestri nominis considerationem suscipite! ipsi patriæ debitum, sedulâ mentis æstimatione perpendite! Annon Patria parentum instar esse, & utriusq;, in curandis honorandisque filiis suis, vices obire debet? à Patre quidem hanc ob causam nomen; à Matre genus obtinet. Quæ autem hæc cura? quis iste honor, suos negligere, peregrinos efferre? Quis, sanæ mentis, Parens tantâ suos contumeliâ afficeret? INGRATITUDINIS hæc nota est, quam sibi patria ejusmodi, mutuo civibus suis vinculo adstricta, inurit. Imò luculentum imprudentiæ indicium est, quod tales sibi præficit, qui neque cultum ejus nôrunt, nec eosdem mores, neque dignum amorem afferre,

aut præstare solent. Sicut Princeps, classem instructurus, imprudentissimè faceret, si maritimorum portuum, periculorum, ventorum ignaris gubernacula navium committeret: non diffimili ratione Resp. actiones minimè ad regulam prudentiæ conformat, quæ cultûs sui atque statûs, morum animorumque ignaros, ad publicos dignitatum gradus vocat, vocatos cõstituit, constitutos altiùs subinde extollit. CARDO caputque dignitatum administrandarum est, nõsse Remp. id quod multò feliciùs cives possunt, in ea nati, in ea educati, quàm exteri: Cives, qui se totos dedunt patriæ; cives, qui, in illa, sua ponunt omnia, & quasi consecrant: cives, quibus patriæ semper luculentior fumus, quam alibi ignis est, ideoque plus amoris & fidei, ad obeunda ejus munia, procul omni dubio, afferunt. Quod si commodioribus illi remediis ægrotis subvenire possunt, qui naturam eorundem perspectam habent: periclitanti quoque patriæ feliciùs faciliusque subvenire, & auxiliatrices porrigere manûs poterunt illi, qui cultum ejus omnem, qui statuta, consuetudinesque, cum lacte quasi materno, imbiberunt. NON minùs suis moribus, quam aëre suo quælibet continetur civitas aut regio: Peregrini ergo, aliis infecti moribus, & in Remp. cooptati, quid mirum, si omnia innovare, prudentes instituta antiquare & subvertere conantur? Si tabulas & scripta omnia ad suos mores, ad suæ terræ genium excutiunt, verba & syllabas singulas

gulas secant, nihilque irreprehensum, nihil incorrectum, nihil incorruptum, nihil sanum denique & inviolatum esse patiuntur? Hic quippiam omissum, quod explendum: illic quidpiam admissum, quod detrahendum; hoc contra naturam; illud sine ratione constitutum esse clamant, adeò ut nihil tam bene atque præclarè dictum esse possit, quod illorum ungues & spõgiam effugere, & à scalpello immune esse possit. Quid multis? cum peregrino ingenio, peregrinos simul mores, peregrina instituta, peregrina consilia, peregrina alia, & à recepta comprobatâque ratione aliena introducunt. Tum verò, ubi successûs rerum in officiis prosperos sentiunt, superbè plerumque ac insolenter dignitatibus utuntur: rarò æquis animis ferre pares: rarissimè superiores pari possunt. Quantæ ergo, ut molestissimè dicam, imprudentiæ est, tales ad clavum vocare? tales publicis mactare honoribus? cives Reip. natos, mellùsque omnia expecturos negligere? Longè aliud divinæ sapientiæ consultum est, quod suo dedit populo Deus Ter. Opt. Max. E MEDIO fratrum tuorũ, statuito super te Regem, inquit ad populum suũ: non poteris præficere virum extraneum, qui non frater tuus sit. O constitutionem Dei nostri observabilem! O præceptum imis infigendum animis! quamvis enim de summo tantùm imperio, de regiâ dignitate, inibi agatur, quam commodissimè tamen ad alia quoque Reip. officia extendi potest, ut, secundum hanc legis di-

vinæ normam, non nisi à civibus administrentur. Eadem subest ratio, ne peregrinis nempe moribus populus, ut solet fieri, inficiatur: eadem ergo militabit constitutio. Nonne autem divinæ dispositioni Titanico ausu obluctantur, qui peregrinis publica tradunt officia, quos ad ista nec debere, neque posse admitti, ex ore Dei audiunt? Cœlesti scilicet Rerump. Ordinatore sapientiores sunt extraneorum patroni; quanquam SINE ejus ductu sapere, summa sit insipientia, summa amentia. Rectè itaque Thalmudistæ, vanissimis suis phantasiis nonnunquam vera admiscentes, cum Israëlitas in illa diuturna & tristi servitute Ægyptiaca, tria tradunt constanter retinuisse: Linguâ Hebraicam, puritatē religionis, suæ gentis vestitū ac habitum. Quartum q̄ commodissimè, meo judicio q̄ semper tenuerunt, potuissent addere, cū ingenti ipsorū laude conjunctū: nullos ad officia publica peregrinos ab ipsis, contra Dei mandatū promotos esse. Beatas igitur Resp. beatas Civitates, quæ ex constitutione Dei, peregrinis publicas negarunt dignitates, sanctum hoc scitum habentes: Cives meliùs præesse, imò prodesse, quàm peregrinos. Beatos, ne de priscis dicam Rebuspublicis, sapientissimos, quos antea laudavi Venetos: nullus apud eos peregrinis ad officia publica patet aditus, & tamen nec justitia, inter illos nec severitas deest; nec ex judiciis ullæ seditiones, ullæ inimicitiæ oriuntur. Certè, illud in præclara florentissimæ Civitatis hujus laude ponendum

dum est, quod ordo ejus, qui à primis conditoribus sapientissimè constitutus est, semper huc usque illibatus manserit, nec ullam unquam graviorem mutationem senserit. Qui enim Urbem istam annis abhinc mille trecentis, in illa vastitate, quam Attila Italiæ faciebat, ædificârunt, Magistratus inter se suosque divisérunt, quasi præmium exantlatorum laborum, & sedulò posteris inculcârunt, ut advenam, colonum, peregrinumque ad dignitates publicas admitterent nullum: & hoc statutum laudabiliter tot secula sacrosanctum est ab ipsis habitum, & posteri fundatorum semper Reip. præfuerūt, Patriciique Senatores, & Nobiles; reliqui autem omnes plebeji appellati sunt. Quis tantam hujus Reip. firmitatem iisdem, eorundem civium, moribus non ferret acceptam? Quis non summis efferendam laudibus censeret hāc consuetudinem? quam neque barbaris ignotam Deus esse voluit, ex quibus vicini nostri, Moscovitæ, non alienigenis atque extraneis; sed indigenis tantùm dignitates publicas committūt, nixi haud dubiè hac ratione, quam recta ipsis ratio suppeditat: ne alienis infecti moribus ab alienis, instituta patria & consuetudines deserant, Remp. novis institutis, sub novis hominibus, infringant, pervertant, evertant. O barbaros minimè hic barbaros; sed æstimatores rerum prudentissimos! Quid de veteribus Romanis dicam, quorum virtutem, sapientiam, judiciumque omnes saniores normæ instar solent

habere ? Quam religiosè morem hunc tuiti sunt, non modò non peregrinos; sed ne socios quidem suos , ac propè consanguineos Latini nominis, in senatum admittentes ? Unde Latinis aliquando petentibus, ut senatus æqua pars ex utraque gente esset, bellum , quàm eam pacem, maluêre, in qua peregrinum Romanis officiis præfectum essent visuri. Quis non admiretur istos animos ? sed ampliùs faventes mihi aures præbete , A. & quid de peregrinis, imò sociis recipiendis, aliâ occasione judicârint, expêdite. Post Cannensem cladem, quâ tot Consulares, Prætoriique, & Ædilitii, & octoginta præterea Senatores ceciderant, cum maxima in curia solitudo esset, tum Sp. Carvilius , cum longâ oratione non inopiam solùm; sed & paucitatem civium, ex quibus Patres legerentur , conquestus esset, explendi Senatûs , & curâdorum officiorum publicorum gratiâ, utiliter se suadere, dixit, ut ex Latinorum populis nonnulli admitterentur. Quid ad hæc Patres? fremitus indignantium totâ fuit curiâ; una omnium sententia; tam temerariam unius hominis vocem silentio omnium extinguendam esse, &, si quid unquam arcani sanctivè ad silendum in curia fuerit , id omnium maximè tegendum , occulendum , obliviscendum, pro non dicto habendum esse, ut notanter Historicus memorat. Sed quid Veterum exempla, ævo jam obsoleta, quærimus? Annon floridissimæ nostris quoque temporibus Civitates , pari modo , pari jure , Rempublicam

suam administrant ? Quid in liberis Italiæ urbibus ? quid Argentorati & Norimbergæ ? quid Augustæ & Francfordiæ, inque aliis Germaniæ civitatibus fieri videmus? Annon idem mos, excludendi peregrinos ab officiis publicis , servatur sanctissimè ? Prudenter non minùs, quàm considerate Helvetii, ut linguæ antiquæ : ita morum & habitûs retinentissimi , sanxerunt, non tantùm , ut ad munia Reip. nemo peregrinorum admittatur ; sed etiam ut , qui ex ipsâ gente suâ avitum vestimentorum habitum mutârit peregrinumque assumserit, publicis honoribus excludatur, & exsors vivat. Utinam ejusmodi Rerump. vestigiis insisterent quæcunque aliæ ! OMNES quidem floriditatem, unanimi consensu, optant ; sed quæ ad eam obtinendam aut conservandam faciunt, vel planè non vidêt, vel, si vident, negligunt, dum peregrinos homines, ignaros statûs sui, alienos ab amore, moribusque civitatis alienæ , publicis dignitatibus præficiunt , quo ipso utrum graviorem imprudentiæ, an ingratitûdinis, in Cives admissæ, notam incurrant, non satis apparet. Vtriusq; profectò notam incurrunt gravissimam : utroque malo mala sibi arcessunt infinita. Ut enim aliqua saltem compendio enumerem, quantis, quæso, ipsos Cives suos afficiunt incommodis ? Viam ad promotiones illis præcludunt, quo quid nocentius ? quid perniciosius esse possit ? Indignè quidem tantam contumeliam non facilè cõcoquunt ; non æquo ferunt animo, in sua Patria

plus

plus aliquid tribui alienis. Inde livor, quæstus & animorum exacerbatio. Accedit, quod TANTVM mentibus humanis novarum rerum studium natura inditum est, ut ad illa perpetuò, quæ peregrè visa, peregrè audita, peregrè agitata, peregrè usitata sunt, pleno impetu feratur. Cibi ipsi & vestitus, ipsa lingua vernacula non tam, ut peregrina, colitur. Si ergo mos officia tradendi peregrinis, semel inoleverit, quanto peregrinis evectis, mactabuntur damno Cives? quàm contemtim habebuntur præ exteris? quàm facilè langnor illis inducetur, ne tam acriter alacriterque ad magna contendant, quod facturi essent alias, si patriæ dignitates, præmia suæ industriæ, certò possent exspectare. Quis libenter incassum laborat? Quis unquam incertis militat stipendiis? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non comedit? Quis se mentem studiorum faciat, ut messem dignitatum relinquat exteris? Testor experientiam rerum omnium Magistram, quod amor quoque civium in patriam, cui tam viles sunt, quàm maximè deminuatur, si peregrinos sibi efferri videant! Testor fidem historicorum, qui tot mali hujus exempla nobis reliquerunt! Macedones, quantumvis tamò Regem suum Alexandrum complecterentur amore, quantò vix alii ullum, tamen, cum peregrinos dignitatibus præfici viderent, in ipsius vitam plus semel conjurarent, transfugam eum inde appellantes, quique mores patrios negligens, & se negligeret, &

Eadem

Eadem causa in patriam quoque animare Cives posset, à qua se vel præteritos, vel post positos animadvertunt. QVID autem publicæ saluti periculosius, quàm si amor Civium in patriam, hoc est, liberorum in matrem, frigere & rigere incipiat? Causam ergo tanti mali omni modò fugiendam esse, nemo non facilè intelligit. Quid? quod ipsi peregrini, publicis alibi admori officiis, magna sibi arcessunt incommoda. Modò enim ab invidia civium, certissima ejusmodi promotionum comite, gravissimè infestantur. HÆC, hæc perniciosum illud telum est, quod ipsos, etiam inopinantes, affligit! hic turbo, qui, procellæ instar, in ipsa sereni fiducia, ipsos solet conturbare! hoc fulmen sævissimum, fulmen invidiæ in peregrinos, ad cujus ictum magni etiam viri tremuerunt, sortem experti miserabilem, ut, dum caverent, ne aberrentur, vix caverent, cum etiam caverent: sæpius autem felicitate sua exciderent, nisi alia se tuerentur. Cives quidem venenatos invidiæ morsus, si patiuntur ab aliis, affinium cognatorumque ope & operâ, melius repellere possunt; quid verò exteris relictum præsidii? sæpe tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant. O miserabilem eorum fortunam! quis optarit, peregrinis præfici officiis? Prudentissimè de hoc damno agens, ipse inter Gallos peregrinus, Philippus Commæus, illustre in Historiis nomen: QVAM est difficile, inquit, in omni genere vitæ sic se gerere ne impingas alibi? magnumque

est

est Dei donum, valere sensu communi, & judicio naturali. Præclara omnia! Sed age tu, Comnæne prudentissimè, qui hæc sciviſti & præceptiſti: Satisnè, in peregrina terra, caviſti? naturale quidem sepsit te & munivit judicium; sed circumventus tamen es à Gallis, gloriæ tuæ, in tua terra, invidis, ut in carcerem tandem conderis, ut per triennium ferè in eo servareris, ut denique capitis causam ipse diceres, ne patrocinari quidem quoquam auso. Videte jactationes hominum in peregrinis dignitatibus! Auditores: videte, quàm gravia plerumque odia, ex invidia nata, incurrant? quàm facilè iisdem Cives in peregrinos accendantur, ut factiones inde & seditiones, imò interneciones quandoque oriantur. Conspiratione facta Anno 1168. Galli omnes uno die interfecti in Sicilia, Apulia, Calabria, fuerunt: quamobrem? quod Wilhelmus, Rex, dignitates publicas non civibus Siculis; sed peregrinis Gallis contulerit. Siculæ vesperæ ex historicis sunt notissimæ: nam Anno 1281. Carolo Andegavensi regnante, uno die, signo campanâ dato, quo vespertinæ preces significabantur, ipso festo paschatos, diversis insitæ in locis, ad internecionem Galli omnes cæsi sunt: cur verò cæsi? Quod ad dignitates & honores, peregrini in Sicilia, evecti fuerunt. Sic Dani quoq; in Anglia è medio sublati sunt; Ipse Rex, Hardicanutus, veneno necatus: quid ita? quod peregrinos Danos sibi imperare ægrè graviterque Angli ferrent. Quæ Sigismundo Au-

Austriaco, in Ungaria: Francisco Gallo, in Scotia; alibi aliis acciderint, sicco pede prætereo, ne peregrinorum periculis, quæ ex dignitatibus alibi acceptis formidare coguntur, justo diutius inhæream. Ipsa enim Reip. incommoda, quæ inde patitur, ipsa ejus damna, damna gravissima, damna plurima, nonnihil attingenda sunt. Ita enim plerumque rei præsunt publicæ, peregrini, in officiis constituti publicis, ut non tam ad bonum publicum, quàm privatum respiciant, avaritiam in Cives, quos exhauriunt, exercentes, ut sibi & crumenæ suæ satis prospiciant. Neque unquam tam fido sunt in Remp. animo, quam cives, illo solo geniti, educati, confirmati, quorum consanguinei & cognati vel maligniorem naturam, à sequioribus consiliis, ne in nervum erumpant, avocare possunt. Utinam hoc, experdisset Imperator Gordianus, Junior, & civem prætulisset Philippo extero, prætoriarum cohortium præfecto! nunquam regno aut vita tam immaniter exutus fuisset. Utinam Carolus, Burgundiæ Dux ultimus, dignitates bellicas civibus demandâsset, non Italis: nunquam ab horum Duce, Campobachio, tam fraudulenter fuisset proditus! Sed ita pereunt principes: ita periclitantur, immutanturque Resp. quæ se ipsas, & munia sua, externis potiùs credunt, quàm popularibus! Unde novi potissimùm mores surgunt, nisi ex semente ista peregrina? Unde novus Dei cultus quandoque oritur, nisi à novis plerumque hominibus, nova

secum

secum somnia, novos ritus, ex locis exteris, apportantibus? Profectò, si per varias in orbe regiones oculos & animum circumferre placuerit, in multis Civitatibus & principatibus religionis orthodoxæ vel corrumpendæ, vel abrogandæ etiam, causa extiterunt peregrini homines, religioni peregrinæ dediti, ubi publicis officiis præfecti fuere. Una Germania satis locuples mihi testis esse posset, ne de Gallia dicam, aut Anglia, si patientia vestra, A. diutius abutendum esse judicarem, aut describēdis damnis tot tantisque sufficerem. At quibus aggeribus? quibus repagulis & obicibus hos fluctus, ne carinam Reip. invadant, avertemus? Si ab Ethnicis discere nefas non est, antiqua Scythia, suo exemplo, quid facto opus sit, dilucidè ostendit. Cum enim Anacharsis, ex locis peregrinis ad patrios sese recepisset lares, atque idem Græcorum mores, instituta, Deos etiam alienos Scythis suis obtrudendo, barbaram, patriam increpando, antiquam Reip. formam damnare, cunctaque immutare conaretur, Scythæ cautè prudenterque tanquam in altissima Reip. specula constituti, tempestatem in se gravissimam suscitari, nec non maxima ex peregrinis istis institutis imminentia pericula, ruinamque Reip. prospicientes, maturò consilio Anacharsin è medio sustulere. Hac ergo ratione, omni liberati metu, Remp. incendio jamjam destinatam vindicarunt, salvamque & incolumem præsentibus flammis eripuerunt. Quod si tantùm ex-

vem; sed qui peregrinis in locis peregrina omnia assumserat, à patriæ muneribus removendum judicârunt, quid de peregrinis, ad ea recipiendis, censuisse judicabimus? Quantò studio, novationes & mutationes veriti, illos ipsos excluisse credemus? Profectò Aristoteles, miraculum naturæ, Vir rerum ad salutem publicam facientium scientissimus, apertè statuit: OMNEM civitatem, quæ præsertim ad officia publica extraneos evehit, magnis periculis expositam esse. Consentit ei Lipsius, Vir seculo suo, & laudibus nostris superior. Quid enim ille? Ut, in quam domum vespillones veniunt, inquit, signum est funeris: sic Reip. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Alia impræsentiarum taceo. Quis enim omnia incommoda & mala, ex hoc venenato fonte profluentia, & in Remp. multis modis dimanantia, oratione velit, aut valeat persequi? Pleni sunt scriptorum libri, plenæ sapientum voces, plena exemptorum vetustas. Quin potiùs vos, quotquot estis, benè constitutæ Resp. rectè probèq; perpendite, quid vobis, ad salutem vestram asserendam, factò opus sit. Cumque vestræ incolumitati vix aliter, quàm excludendo peregrinos ab officiis publicis, consulere possitis, agite, vigilate, & nonnisi vestros Cives, vobis natos datosque Cives, saluti vestræ præficite. Fugite notam ingratitudinis! fugite crimen imprudētiæ, nec ignaros status vestri, aut morum, statui vestro moribusque dirigendis adhibete. Ma-

gna inde damna civibus, majora ipsis peregrinis, maxima publico bono imminent. Quis non ea timeat? quis non modis omnibus declinet? quis non lapidem, in quem tot impegerunt semper Civitates, cautè submoveat?

PEREGRINORVM PROMOTIO. ORATIO II.

QUOD illis evenire solet, qui nebuloso cœlo navigant, ut facillimè in vada atque syrtes delabantur & impingant: idem fermè his contingere consuevit, qui, neglecta Prudentiæ cynosurâ, in immenso rerum mundanarum pelago, cursum satagunt conficere, ut vel raro admodum, vel difficulter veritatis aut felicitatis portum assequantur. Ut enim à polari stella dirigitur minuta magno deprensa navis in mari, vesaniente vento: ita civiles actiones à Prudentia, ut nulla de iisdem disceptatio, sine hoc adminiculo, ritè rectèque institui possit. PRUDENTIA enim est, quæ abdita investigat, investigata comprehendit, comprehensa digerit & componit: Prudentia est, quæ dissipata colligit, collecta dividit, ut non immeritò dux, lux & regula politicarum controversiarum sit nuncupanda. Maximam de peregrinis non tantùm in civi-

civitatem admittendis; sed ad dignitates quoq; publicas promovendis, esse contentionem, quin ex Antecessoris atque Fratris mei discursu cognoveritis, nullus dubito; in quo tamen, si illum non parum à veritatis tramite deflexisse dixero, nihil à vero alienum dixero. Peregrinos quidem in civitatem ascisendos; à publicarum verò rerum administratione penitùs arcendos esse asserit: utrumque sine veniâ distinctionis, sine radio, ad dissipandas inquæsitis istis tenebras, necessario, sine idonea Prudentiæ luce, quam hîc minimè adhibitam esse, quis est, qui non videat? Neutrum planè negandum, neutrum planè asserendum fuisset! Profectò, si de peregrinis planè ignotis, perfidis, inutilibus & turbidis, neque in civitatem, neque ad dignitates admittendis, sermonem fecisset, non posset non simpliciter ejus subscribere sententiæ. Quis enim sanæ mentis Reip. exclusionem inutilium ejusmodi terræ ponderum non expedire judicet? INSANIÆ argumentum esset, malas herbas in civitatem transferre, ubi sponte suâ sat multæ succrescunt. Si verò bonæ etiam notæ, fidei probatæ, virtutis spectatæ, eximii genii & ingenii peregrinos, oratione suâ, impetit, si promotionem eorum ad honores protsus impugnat neque me, neque ullum alium, qui solidum Prudentiæ judicium obliquis multorum odiis prætulerit, assentionem habebit. Quin tales potiùs non tantùm in civitatem: & ad dignitates quoque publicas, juxta cives, admitten-

dos; verum, si non adessent, magnis invitandos præmiis esse, fitmiter existimo. Quanvis verò haud imbellia, ut videntur, fulcra sententiæ suæ Frater meus substruxerit, pro qualicunque tamen virium portiunculâ, in præsenti annitar, ut veriori huic sententiæ, si modò eâdem, quam homiliter imploro, faventiâ, quâ Fratrem, & me ptosequi dedignati non fueritis, promptis mentibus subscribatis. Cum Nerva, Imperator Romanorum laudatissimus, Trajanum virum peregrinum, quo nemo tamen melior, nemo felicior unquam Imperator exstitit, successorem sibi constitueret, & præpostera nonnullorum judicia sentiret, graviter & sapienter censuit: IN committendis publicis officiis non tam patriam, quàm virtutem: non tam genus, quàm ingenium cujusque æstimandum esse. Nemini enim ignotum esse arbitror, non locum; sed meritum viri: non unde; sed qualis sit, expendi oportere. QUID natale solum ibi juvet, aut obstet, ubi valet ingenium? Non ubi prognatus; sed ut moratus quisque, spectandum est, neque sine manifesto virtutis vilipendio peregrinos, decoratos, à virtutum præmiis, honoribus, excludere licebit. Quid enim, ad officia utilitèr obeunda, juvat, de Patria civitatisque suæ nobilitate gloriari? NIHIL, an celebri in patria natus; sed an ea dignus sis, refert; Scitum est Philosophorum principis. Quid juvat, claro se prognatum sanguine jactare? genus in patria & inclyta majorum nomina ostentare? Illustres ad

ad magna idoneos arbitror, non eos, qui ex illustri parentum sanguine originem habent; sed qui honestatem omnibus rebus præferunt, ait gnomologus sapientissimus. Quam itaque sibi, aut suis ignominiæ notam, quæso inuret Resp. si peregrinos, honestatis laude nobiles, in societatem officiorum receperit? Si, juxta cives suos, muniis suis præfecerit? Nulla hîc velumbra ignominiæ, quam tamen ex virtute peregrinorum, tenebras scilicet ex luce, surgere putabat Frater meus; Magnum potiùs exinde ornamẽtum accedit receptantibus. Ut enim hortus, suâ indole nobilis, ubi tamen peregrinis & exoticis impletur floribus, suaviorem spirat odorem, majus ornamentum tum nanscisciturr: Consimili ratione quoque CIVITAS, eximiæ virtutis & fidei peregrinis exornata & condecorata, maximum profectò ornamentum & decus obtinet. Quanquam hæc à me non ita proferantur, ut contendam, nullos cives ad publicas esse admittendos dignitates. Absurdum planè hoc, ac impium foret asserere! aliud jam dixi: imò, si tanta dignorum civium copia suppetat, nemo honores, nemo dignitates illis præripiet; sed excellentia & præclara illis adjungi ingenia, utiles è locis alienis viros, quæ ingratitudo in cives foret? PROVIDA vetiùs cura est, ut bonis civibus boni peregrini adjungantur, ut Resp. egregiis boni publici ornamentis ac fulctis hinc inde petitis decoretur ac soliderur. Sicuti enim ornamenta corporis, quò splendidiora sunt &

copiosiora, eò magis ornant illud, magis decorant: Similiter quoque civitas, quo majoribus boni publici ornamentis, undecunque acceperit, honestata est, eò majoribus decoramentis exsplendescit, eò illustriùs inter alias eminet, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Quid verò imprudentiæ nomine differtur, cõmoda regiminis instrumenta aliunde assumere? peregrinos usurpare? Ignoratio quidem cultûs vel statûs, in loco alio, ipsis objicitur; sed facili hæc studio tolli potest, cum primis fideli civium informatione, sedulâ historiarum lectione, & magistrâ rerum omnium experientiâ. Nemòne alias statum nocet Reip. extra quam natus est? quomodo ergo, hodierno adhuc die, Romanorum; quomodo Græcorum, aliorumque statum, quem nunquam oculis usurpavimus, exactissimè cognoscimus? pervidemus? dijudicamus? Et cum hic perspectos viros è peregrinis, quique inter cives antea versati sunt, intelligamus, iis cultus loci ignotus esse non potest: imò notior quandoque quam ipsis civibus esse solet. Neque quicquam præterea promotionibus ejusmodi morum obstat diversitas. QUI sapit innumeris moribus aptus erit. Talis Cato Major fuit, tanto nimirum animi robore, tantâ ingenii promptitudine, ut, judice Historico Romano, quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Versatile enim ipsi ingenium sic pariter ad omnia exstitit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret.

Quid

Quid si prudentiores peregrini, multò facilius & feliciùs fortasse, quam cives ipsi, rerum obviarum quandoque incurioſi, mores civitatis pervideant? Plurimi sanè cives sunt, quos magna luxus aut nugarum; exigua, imò nulla morum civitatis cura tangit. Quot sunt, qui, ignavi veluti fuci, oberrant, non in bonos mores; sed in omnis generis vitia & flagitia proni atque propensi? Quot sunt Dardanarii auri injustique lucri cupidi? Hi scilicet cultus publici tenaces sunt! hi concinnis surgunt moribus! quos inter major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia. Probis facilè cum peregrinis, sui similibus, convenit: ARCANVS genius est, qui præstantes viros conciliat: nulla locorum distantia, nullum maris æquor consensum animorum tollit: facilè coëunt ii, eosdem mores, qui bonam mentem afferunt, qualem quidem exterorum volumus esse, quos ad publica officia vocandos censemus. Neque in talibus defectus aliqui samoris aut fidei debitæ metuendus est. UT enim sanctum istud amoris, inter publicas personas, & qui eis subsunt, vinculum laudatissimum sit: sic statuendum tamen minimè erit, in civibus tantùm amorem istum erga civitatem oriri. Absit hoc! MULTI cives loco quidem cives sunt, non animo; Cives natura, voluntate hostes, ut ait Cicero. Certè in assumtis quoq; peregrinis emicant, qui constantiori sæpe animo & fide munia capessunt, quàm qui in iisdem nati locis atque educati fuerunt.

Quod quidem si cui fortè dubium est, prodeat in medium Numa Pompilius, alter ille urbis cõditor, qui, patribus auctoribus, Romæ regnavit. Quis ille fuit? Peregrinus, & ex agro Sabino Romam accitus. Sistat se nobis Servius Tullius, qui, eadem in urbe, imperii clavum fidelissimè tenuit; peregrinus tamen fuit, Matre Serva natus. Vnde familiæ ibidem præcipuæ, quarum fide, autoritate, constantia Res Romana stabat? à peregrinis: quandoquidem Julios Alba: Coruncanos Camerio: Tusculo Portios; alios aliunde, ad dignitates publicas, vocatos fuisse, Historiarum monumenta testantur. Sed hic pietatis limites migrari: hic ausu Deum Titanico oppugnari: hic mandatum ejus insolenter negligi, ore minus verecundo, obvertitur, si peregrini officia publica obtineant! O crimen longè gravissimum! crimen nullo transmittendum silentio! Quid si nos vertamus in ipsorum ora telum istud: si nos impietatis postulemus, qui peregrinos negligunt? Annon idem Deus serio edixit eidem suo populo: DILIGITE peregrinos, sicut vos ipsos? Quæ sanctior eorũ cura esse posset? Divinam verò constitutionem de non eligendo Rege peregrino, quod concernit, adversaria nobis non est. Peculiaris ea, (ut multæ aliæ) ratione Regis, regno Judaico fuit, inprimis hanc ob causam, ne stirps Regia Davidis, è qua rerum humanarum Sator ac Servator, Christus, oriundus erat, cum gentibus aliis, si ad regimen venirent, confunderetur. Quid verò

verò istud ad alia in Rebusp. officia, de quibus hic sermo est? neque eadem, in illis ratio, neque eadem proinde constitutio locum inveniet. Eat potiùs, si quis est peregrinorum insectator, perfricet frontem, si quam habet, & afferat Respublicas, quotcunque voluerit: nullam tamen, nullam inveniet, quæ spectatos melioris notæ peregrinos, à publicarum rerum curis, prorsus excluserit. Venetias jactari audio, quasi penitùs exclusis alienis nonnisi suos cives efferat, suis bobus aret. Sed fallunt & falluntur, qui de Republ. sapientissima tam insipidè judicant. quanquam enim pleraque suis committat officia, quanquam supremam navalium armorum curam penes patricios esse velit, tamen, quod mireris, quæ ad terrestrem militiam spectant, nonnisi peregrinorum ducum, quorum spectata in Remp. fides, atque eximia virtus, præclaris facinoribus eminet, imperio, fidei atque curæ committit. Testantur id Historici: prædicant rerum civilium scrutatores. Si rationem hujus facti quærimus? pacem inter cives concordiamque summo semper alunt studio: quieti ergo publicæ perperam consultum existimant, civibus tantum autoritatis impertiri, omnia terra matique munia concredere, ne, dominandi assuetudine capti, clientelis atque amicitiis nixi, & populari aura inflati, opibus ac imperio, in publicam olim perniciem, abutantur. Gum peregrinis ergo partiuntur quasi dignitates maximas, peregrinis alteram sui curam prudentissi-

mi Patres concredunt. Quid? quòd ſolis peregrinis publica fidei virtutisque tropæa ſtatuũt. Unde eſt, quod in ipſa urbe Coleono, Bergomali: quod Patavii, Gatamelæ Narnienſi equeſtres ex ære ſtatuas poſuerunt; hunc tamen aut ſimilem honorem nulli ſuorum civium, quantumvis egregiè de patria meritorum, unquam habuiſſe leguntur. O venerationem exterorum, apud Venetos, præcipuam! O cultum ſingularem! Quis eos, niſi omnem rationis uſum à ſe penitus abdicarit, contra cultum peregrinorum jure allegat? Summè illos colunt: quis exemplo eorum, à dignitatibus excludendos peregrinos, ſtatuat? ad ſummas admittunt. Sed gravem tamen peregrinis dicam ſcribere videntur Romani veteres, qui tanto ſtudio eoſdem Senatu, aliisque dignitatibus publicis prohibuerunt. Prohibuerunt, fateor, primis rudibusque ſeculis; humaniores tamen poſtea facti, exteros quoque admiſerunt. Vnde, cum Imperante Claudio, peregrini quoque jus adipiſcendorum in urbe honorum expeterent, quidam, moris antiqui tenaciores idem, cum Antecéſſore meo, cenſuerunt: Fruerentur ſanè vocabulo civitatis, dicentes: inſignia patrum: decora magiſtratuum ne vulgarent. Quid ibi princeps, cum potiori parte? ſtatim contra diſſeruit, referente prudẽtiæ Magiſtro, Tacito: TRANSFERENDVM in civitatem, dictitans, quod uſquam egregium fuerit. Tunc olim ſolidam domi quietem, & adverſus externa florem fuiſſe,

ſe, cum peregrini, in civitatem recepti, feſſo imperio ſubvenirent. Manere poſteros eorum, nec amore in Remp. civibus cedere. Idcirco miſcẽdos ampliùs eſſe peregrinos moribus, artibus, affinitatibus Romanis, ut aurum & opes ſuas inferant potiùs, quam ſeparati habeant. Hæc ibi, & plura Imperator. Ab hinc igitur, conſulto patrum, ut ad Romanas dignitates peregrini quoque admitterentur, ſtatutum eſt. Quid ergo obſoleta veterum dutitia dicam, an inhumanitas? objicitur? Quid aliarum rerump. mores ſingulares urgentur? Quarum tamen nullæ, nullæ prorſus, à quibuscunque publicis muniis, externos ſemovent: ut ut à regimine hinc inde, certas ob conſtitutiones, videantur excludere, veriti fortaſſis, ne malitioſi, infidique irrepant, quales & ego, cum prudentibus quibuſcunque, ad Garamantas & Indos rejicio, illa ipſa luce, qua fruuntur, indigniſſimos. Aliorum verò laudatorum peregrinorum cauſa adhuc triumfat, adhuc, nullo exemplorum aut rationum impetu concuſſa, perſiſtit invicta, quos non tam Reſp. quam Virtus & Fides ad optata evehit dignitatum faſtigia, inſignia Virtutis Fideique præmia. O felicem Rempublicam, quæ virtutis hîc ſequitur indolem! nec tam patriam in committendis officiis reſpicit, quàm dignum animi cultum, quantum Virtute quiſpiam & Fide emineat, conſiderans. Et hinc demum uberes utilitatum in civitates rivuli manant: hinc ditiſſimus bonorum variorum proventus oritur,

ſi non

si non cives tantùm præsint publicis officiis; sed, monetæ melioris, peregrini in partem quoque curarum assumantur. Quin enim cordatior tutura fit salutis publicæ administratio, alacrius & acrius ubique studium, nemini facilè dubium accidet. NATVRA certè fieri amat, ut cives multiplici propinquitatis, affinitatis & consanguinitatis vinculo cum his, cum illis, cum istis, cum aliis colligati, licèt nævos illorum haud obscurè perspiciant, vix tamen satis masculè notare, arguere, punire audeant. Non dicam, utrùm, in Ecclesiastico statu, sacra divini verbi mysteria tractantibus, obex quandoque iste ponatur, ne satis masculè, ex suggestu, in grassantia passim vitia detonent; sed majorum minorumque ulcera timidiùs tangant, ne suis fortè sint graves, veriti: quò tamen quid nocentius? De Politico statu, & quantum ex affinitatis, aut consanguinitatis respectu, inter meros cives, justitiæ periclitetur integritas, rerum civilium scriptores passim queruntur, &, inter alia judiciorum tuendorum media, istud quoque memorant, ne quis omnem patriæ suæ administrationem sortiatur, in qua, pluribus sanguine obstrictus, multum gratiæ necessitudinum suarum daturus præsumitur. Quod non tantùm jura civilia volunt; sed & in Gallia Philippus Pulcer, & Carolus V. Reges sapientissimi, gravibus statutis introduxerunt. Quid? quod olim populus Florentinus in Italia, licèt ei neque cives sapientes, neque fideles deessent, tamen, ut omnis injuriæ inter

inter litigantes suspicio tolleretur, è peregrinis sibi judices elegit. Quid vicini illi Senenses? Sub finem seculi superioris, ex peregrinis, judicem suarum controversiarum sumere statuerunt. Pisani atque Genuates peregrinum Magistratum, Potestatis nomine, acceperunt. Lucensium Rota (ita summum civitatis tribunal vocant) aliquot constat viris Jurisperitis; sed nõnisi peregrinis, & quorũ patria quinquaginta ab urbe milliaribus absit. Quis ergo mihi civitates Italiæ objiciat? Dies me deficeret, si omnes Imperatores, omnes rerumpublicarũ rectores, qui peregrinos, ad ampliſſimos illos munerum publicorum honores, extulêre, enumerare conarer. Certum illis fuit, (verène, an secus? aliorum est statuere:) UNUMQUEMQUE necessariò in patria sua multis cognationibus, multis affinitatibus, multis necessitudinibus implicatum teneri, & hoc velut obstaculo judiciorum religionem ac severitatem impediri. NIHIL enim æquè necessarium est in officiis expediendis, quàm ut ad ea ab affectibus, amore præsertim atque odio, alienus afferatur animus. Ubi enim affectus dominatur, haud facilè ad sinceri judicii lancem ratio exigitur: atque hoc maximè nomine minùs à magistratu prohibendi peregrini; atque indigenæ & inquilini plurimis videntur; cùm non tam ad affinitates, cognationes, amicitias civium suorum respicere: ad eorundem gratiam, sententias suas flectere necesse habeant, sed æquâ, quod ajunt, lance jus & æqui-

æquitatem liberè fortiterque tueantur atque propugnent. Quod si præter hæc autoritas officiorum ponderanda, ut omnino ponderanda est, frustra laborat, qui, ex admissione peregrinorum, eam vilescere prætendit. Nonne enim plerumque major exterorum, quam indigenarum, deprehenditur? MINUS in patria homines, quam apud exteros, honorantur? Vultis testem, A.? dabo vobis de cœlo, Salvatorem nostrum atque Dominum: sensit ipse & dixit: Nullum Prophetam in patria sua acceptum esse: nullum facilè eo in loco, in quo est natus, honorari, sive quod multi infirma ejus cognoscunt & in memoriam sibi revocant: sive malitiâ quadam, defectus magis, quam virtutes cogitantium: sive invidiâ eorum, qui sibi umbram ex aliorum luce metuunt. Hinc minor sæpe civium esse, quam exterorum autoritas, consuevit. Dum hoc dico, Audit. occurrit animo meo Imperatoris Rom. ex Magistro prudentiæ, pro peregrinis, dissertatio, ubi inter alia: Exitio illud fuisse Lacedæmonis & Athenensibus, dicit, quod peregrinos honoribus arcuerint. Miscendos eos esse nostris moribus, artibus, affinitatibus, ut aurum & opes suas inferant potiùs, quam separati habeant. Exinde certè luce meridiana clarius est, promotiones peregrinorum velut hamum esse, quo ex locis alienis, præstantissimi quique in Remp. nostram, cum immenso ejus commodo attrahantur. TRAHIMUR omnes honorum studio, & optimus quisq; maximè

ximè gloriâ ducitur; terremur & arcemur, contêtu: huic ergo, si alicubi expositi sint peregrini, quis præstantior, nec planè fut incuriosus, eò properet? Ubi a. patere sibi honores & dignitates, juxta cives, senserint, & animi, & fortunæ opes, quas habent, libenter, cum laribus suis, eò transferunt. O eximios verò & insignes inde fructus! qui non privatam tantummodò civium vitam juvant plurimùm; sed ipsam inprimis publicam felicitatem augent, promovent, conservant. Quanquam longè aliud videatur, Fratri meo, qui ex ejusmodi promotionibus peregrinorum, & in cives, & in peregrinos, & in Remp. ipsam, plurima proficisci incommoda statuit. Durus nodus, A. & quidem triplex, cui tamen triplex quoque cuneus quærendus erit. Promotiones civibus à peregrinis præripi clamat. Ast hoc telo cives quoque ipsi tanguntur, cum omnes simul promoveri nequeant; sed, hoc ad officium assumto, ille postponatur necessum est. Cives ergo cives accusent, & de damnis querantur. At verò neque accusatione, neque querelis opus est: SUPREMUS sortis humanæ dispensator & arbiter, singulari suo ipsius consilio, dispensat officia; derogant illius providentiæ, qui suo omnia hîc judicio examinant. Consultat quidem homo, agitque ex naturæ suæ viribus, ut hoc vel illud consequatur; sed CONSILIIS, actionibus & cogitationibus hominis supernè imminet Divinus ille Oculus, qui per secundas causas (nec sanè sine illis; quippe non ignavis; sed

sed agentibus, omniaque tentantibus, Deo ducente ac benedicente cuncta prosperè succedunt,) ipse prima rerum omnium causa, omnia flectit, & ad eventum sibi gratum dirigit. Hujus ergo voluntati qui se subjicit, facilè, quod salutare Deus judicat, accipit. Sed quid languorem civibus promotione exterorum induci audio? O damnum inæstimabile! sed irrisione potiùs, quàm responsione dignum. Indène languorem orietur, quod, honestâ potiùs æmulatione, cives ad virtutem & industriam excitare atque inflammare potest? Cum Alexandro Magno, adolescenti adhuc, molestum accideret, quod Parens, ex pluribus Uxoribus, tot liberos suscieperet, urbanè adolescentem corripuit, Philippus, hortatus, ut, multos imperii æmulos habiturus, operam daret, quò omnibus melior præstantiorque, non ob Philippum patrem; sed ex suo merito, rerum potiri videretur. Haud difficulter, nisi fallor, istud monitum, ad cives quoq; transtulerimus, per peregrinos pariter excitandos, qui aliàs fortassis languidius tractarent studia, si nullos, præter se, publicis officiis præfici posse, certi essent. UT verò ferrum ferro acuitur: ut ad lapidem lapis contritus ignem emittit: ita, æmulatione civium & exterorum ingenuâ, juvenum ingenia ad studium & diligentiam inflammantur; langueſcunt ergò & situ quasi obducuntur, quæ eandem aut omninò non habent, aut, si habeant negligunt. Sed amor quoque in pattiam hoc pacto minui videtur.

Videtur quidem, at quis tam à sensu communi destitutus est, qui non animadvertat, quod id vitio ipsorum civium, si accidit, accidat, QUI amorem istum in se non paterentur minui, si privatis cupiditatibus salutem præferrent publicam. Invidiam & odium quod peregrinis incumbere dicitur, cum civibus commune habent; sed idonea huic malo paranda sunt remedia, & humanitate, rectèque factis vincenda ist hæc omnia. Sic enim facilùs invidia declinabitur, quam omnibus sacrificiis, quæ Cajus Caligula Livori obtulisse legitur. Neque omnes his malis sunt obnoxii: multi, ad seram usque felicitatem, in alienis terris florent. Casus inopinati tàm cives, quam peregrinos possunt premere: utrique nonnullorum invidiæ, utriq; odio sunt expositi. Sed privatum bonum nimis quærere in publicis officiis arguuntur. O si hoc solorum esset peregrinorum vitium! nemo tales turpi-lucri-cupidos, ut Comici vocabulo utar, vel laudibus exornat, vel admittendos suadet. Fortassis ab hac accusatione non immunes sunt ipsi cives, quorum multi actionum suarum, in officiis, lineas non nisi ad ignobile privati boni centrum dirigunt. Romanus Sanè scriptor de Romanis, etiam vetustioribus, à contagione peregrinorum adhuc liberis: PRIVATÆ res, inquit, semper officere officientque publicis consiliis. Neque nullos ex civibus Campobachio isti Italo similes proditores dari posse, nulli veltrum dubium est, ut exemplis afferendis facilè

cilè possim supersedere : neque peregrini tan-
tum accusandi sunt, quod novos in Remp. mo-
res, nova vitia invehant : MALIS moribus ubi-
que vivitur : vitia ubique, ubi homines : dom
non minus exempla libidinis, aliorumque sce-
lerum, quàm foris invenias : ipsi quandoque ci-
ves novis inhiant, nova producunt & introdu-
cunt. Quæ bonæ unquam segetes, sive civium;
sive peregrinorum, inveniuntur, quibus non
intermixtum lolium reperias ? UT quævis ani-
malia, plumas aut pilos habentia, infestantur à
culicibus pulicibusque, præter asinos & boves;
qui ab horum infestatione sunt immunes : Sic
nulla hominum natio vitiis omninò caret, nisi
sit planè asinina & bovina, in quam nec boni,
nec mali vis aliquid possit. Bonis legibus occur-
rere graviori morum mutationi oportet. Imò,
inferant peregrini Reip. novos mores, si boni
fuerint, quid oberunt saluti publicæ ? Religio-
nis orthodoxæ mutationem in Rep. quis vel
peregrino, vel civi concedat ? MAGISTRA-
TVI incumbit, puritatem ejus, tanquam sa-
crum depositum, plusquam Argæa vigilantia,
conservare : ceu sanctum aliquod tueri vincu-
lum, per quod Resp. cohæret, & quasi spiritum
vitalem, quem tot millia trahant, nihil ipsa per
se futura, nisi onus & præda, si mens illa impe-
rii subtrahatur. Quid verò mutationem
Rerump. quandoque factam miseris pere-
grinis imputant ? Quis toties mutavit Remp.
Ro-

Romanam ? cives. Notus est Julius Cæsar,
notus Augustus, cives Romani, & quam
operosè mutârint patriam Remp. De Me-
dicæis, & similibus recentioribus, à quibus
gravissimæ Reip. Patriæ mutationes factæ
sunt, quid juvat dicere, aut peregrinorum
causam ulterius agere ? Vt apparet, aliqui
autores, peregrinorum dementati odio, in-
commoda ejusmodi & alia, hinc inde cu-
mulant, adducunt, urgent, exaggerant :
cur autem commoda negligunt, quæ, ex
horum admissione, velut uberrimo fonte,
dimanant ? Libavi eadem supra quadante-
nus ; sed libavi tantùm : quis enim istud æ-
quor exhauriat ? NEQVE possunt peregri-
ni aliter, nisi penitus malignum trahant spi-
ritum, quam, in peregrinæ Reip. officiis,
ardens & acre rerum benè laudabiliterque,
gerendarum studium adhibere : longè enim
à natali solo remoti, nudi à propinquis, nul-
la cognatione muniti, non invidiam modò a-
liorum metuere ; sed & erratorum nullam fa-
cilè sperare veniam possunt. Desinant igitur,
desinant isti peregrinorum insectatores, gloriæ
obtrectatores ! parcant duris in eos sermoni-
bus, secumque animo & cogitatione percur-
rant, quibus hæc ipsa florentissima Resp. vi-
ris antehac creverit ? quibus florverit ? qui-
bus summam felicitatis gloriam, quam Deus
æternam esse jubeat, attigerit ? Si verò adhuc

peregrinitatem objectent, verendum ipsis est, ne cogantur audire eloquentiæ parentem, Suadæque magistrum, Tullium, quem, ceu peregrinum Romæ, eodem fulmine prosternere voluerunt adversarii: SI vobis illi peregrini videntur, (his verbis Torquato respondet Orator) quorum jam & nomen, & honor urbi inveteravit, & hominum famæ & sermonibus: credite mihi, non patientur se ab aliis nisi virtute vincantur, inani verborum jactatione, superari.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

PATERNA TRINVNIVS IRENARCHÆ GRATIA

REPARATAM

ORBI EVROPÆO, TIBI REDDITAM, Felicitatem diductò sinu ut excipias, cor amori, pectus gaudiis, animum lætitiæ, mentem stupori, linguam præconiis, manus plausui, æternæ gratiarum actioni vocem redivivam consecra

GERMANIA, GERMANIA

Regionum quarumcunque Germinantissima,

QUAE TANDEM,

Per horribiles calamitatum tempestates miserè, & tamdiu, distracta, rapta, jactata, & non unâ clade tantùm non enecta,

TVIS LACRVMIS, GEMITIBVS, QVERELIS TVIS, quas nũ capiebant terræ amplius, cœlum expugnâsti, & in eo Deum, Deum *invictissimũ*, Deum *in judiciis suis semper mirificum, non ore gladii, quò cecidisti; sed gladiô oris, quô & vinci vult, & potest, felicissimè vicisti,*

Vt,

Quod omnis cogitet memoria, posteritas loquatur, universitas stupeat, post tot pugnas, tot clades, tot cæsa, tot ejecta, tot attrita hominum millia, post tot urbium funera, tot Christianorum lanienas, tot sanguinis diluvia,

ARMIS, STVDIIS, AVSPICIIS,

INCOMPARABILIS HEROINÆ

AMAZONIS,

CHRISTINÆ,

DEI GRATIA

SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVM REGINÆ, Magnæ Ducis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ, Careliæ, Bremensis, Verdensis, Pomeraniæ, Stetini, Rugiæ, Dominæ Ingriæ & Vismariæ,

AVGVSTÆ, TRIVMFATRICIS, PACIFICÆ,

juxta inæstimabiles

IMPERAT. REGVM, ELECTORVM, PRINCIPVM,

labores, curas, sollicitudines,

VNICA VOTORVM OMNIVM LABORVMQ; tuorum meta, omnigena felicitatis mater, Religionis, legum, literarum, morum nutrix, omnibus triumfis potior, omnes illos & bona omnia complexa, unius syllabæ; sed infinitorum commodorum

PAX,

Cujus

Cujus usum totos triginta annos ignorâsti, felicitatem autem, tantô temporis, auri, sanguinis impendiô emptam, ê calamitate hostis tui, cujus vix nomen repetere libet, æstimas, postliminiô restauraretur.

Respira igitur, ô Mater, exsulta, triumfa! omnis locus, omnis ætas, sexus omnis plausu in Te gestiat, tripudiet & jubilet!

Nos, eadem facientes, FESTVM PACIS Tuæ solenniter hîc celebravimus: quod ut & Musæ nostræ Gymnasticæ sanctum habeant, faciunt, quod opis suæ est, & sentiendô magis, quam dicendô, DEO, REGINÆ NOSTRÆ, PROXENTIS tanti boni, omni prædicatione superioribus, d. X. Ian.

ore

BALTHASARIS ROMBERGII,

RIGENSIS, Cultoris sui

devotissimi,

GRATITVDINEM SVAM DECLARATVRÆ, NON tam ad novum quoddam Eloquentiæ artificium, quod nullum vel optari tantum, vel concipi potest, quantum debet; quam ad pium piarum mentium studium, omnes tales ad ædem suam invitant,

per

M. JOHANNEM BREVERVM,

Eloq. Prof.

EUCHARISTIA PRO PACE GERM.

ORATIO.

SIulla uſpiam, poſt hominum tnemoriam, curata pax eſt, in qua & admirabilis ſe, divini numinis potenria oſtenderit, &, quid fortiſſimorum virorum virtus, quid ſingularis conciliatorum prudentia valeat, cognitum ac declaratum ſit, in hac certè, quam tot annis afflictiſſimæ Germaniæ reſtitutam, nuper hîc ſolennitet gratulati ſumus, ita hæc omnia patefacta ſunt, ut nunquam majoribus, nunquam illuſtrioribus argumentis, aut illuſtrata eſſe, aut in poſterum illuſtrari poſſe videantur. Quis enim ſperare poterat, tam diu laceratam, tot Chriſtiani ſanguinis fluminibus inundatam, beatiſſimis tranquillitatis federibus, componi poſſe Germaniam? Neque vota quidem, quanquam cœlum fortiter pulſarent, ad tam ignoti remotiq; Numinis aram, ſine trepidatione, perveniebant. Tot difficultatum nexibus implicata erant omnia, ut ſive ipſos inter ſe pugnantes reſpicerent, ſive contumaciſſimi belli cauſas æſtimarent, nihil ferè ad ſpem pacis viderent reliquum. Nimirum, unus uni facilè conciliari poteſt: in bello verò Germanico quantus Regum? quan-

tus Principum? quantus mutuò confligentium concurſus & ardor exſtitit? Quis in amica coituros federa tot orbis, tam potentes, tam ferventes Principes, ſine alterius partis interitu, credidiſſet? Si, incendio ſuborto, unam modò alteramve domum ignis adhuc infeſſet, reſtinguendi ſpes adeſt; at ſi furibundus undique & undique Vulcanus totam flammis Civitatem obruat, deſperatio inceſſit homines, hinc neglectus, abjectio, ut ne admovere quidem manum ampliùs ſuſtineant, nonniſi gemitibus, lacrumis, ejulatibus miſcentes omnia. Idem accidebat calamitoſiſſimæ Germaniæ, poſtquam illam bellum grave, bellum ineffabilis terroris, bellum non uni Principatui, non uni Regno; ſed univerſæ propemodum Europæ formidabile, totos triginta annos, lacerâſſet. In quo quantis quæſo de rebus dimicatum eſt? non de limitibus Regionum, non de verbis fortè aſperioribus, non de rebus aliis levioribus, ex quibus tamen bella diuturna, bella graviſſima quâdoque nata eſſe legimus. Sic Ætoli & Arcades mutuis ſe cladibus diutiſſimè attriverunt, ob unius apri caput; Sic Picti & Scoti crudeliter ſe infeſtârunt mutuò, ut nullis prorſus federibus placarentur, tametſi pacem annos ferè ſexcentos antea coluiſſent; qua de cauſa? canes aliquot erepti cauſa belli fuerunt. Sic Helvetii immane quantum exarſerunt adverſus Carolum, Burgundionum Ducem, ut non niſi ipſius Ducis morte placarentur, cum ipſis currus pellium

ablatus esset. Hoc verò bellum pro Germanorum libertate, quæ omni vitâ carior, omni pretio superior : pro Religione orthodoxa, quæ non civilis minùs, quàm cœlestis felicitatis fundamentum est, à meliori parte, masculè susceptum, fortiterque hucusque & feliciter continuatum ac gestum fuit. Gestum fuit circa animæ negotium: gestum, postremis temporibus, inter ipsos fidei ejusdem consanguineos, quos inter, si exacerbantur, caritatis vincula, incitamenta irarum fiunt sæpe immortalium. Et tales quidem videbantur in Germania omnibus ; sed prævaluit, prævaluit & hîc Divina providentia: prævaluit Invictissimæ REGINÆ atque DOMINÆ hostræ incomparabilis vigilantia: prævaluit Illustrissimorum Procerum, juxta Proxenetas pacis alios, admiranda industria, ut consanguineis vulneribus manantem sisterent sanguinem, & totum crudelissimorum armorum strepitum, beatissimo concordiæ, &, ut optamus, ut speramus, æterno silentio consopirent. O factum prorsus admirabile! Alia enim verba mihi desunt; quid verò mihi dico? verba desunt omnibus, quanti quanti etiam fuerint, Oratoribus, quibus pacis hujus Germanicæ, pacis tot votis expetitæ, tot precibus oratæ, tandem exoratæ, gloriam ex merito deprædicent. Quid ergo nobis faciendum, Audirores? faciendum nobis est quod possumus, & gratiæ agendæ, pro cœlesti illo dono, in primis DEO, summo pacis largitori : tum REGINÆ nostræ ac DOMI-

NÆ, à DEO secundæ : Parariis denique Eminentissimis ; sed quantæ quidem ab infirmitate nostra proficisci possunt: & in eo præsens versabitur oratio. Ut verò DEUS ipse Ter Opt: Max : infantium lactentiumque laudes grates habet : ita nemini non gratum fore pium hunc potiùs, quam audacem conatum meum confido, quem vel affectus ille promovebit, qui muto olim Crœsi filio in pugna vocem donavit. Vestram verò, Auditores Spectatissimi, attentionem ad hanc gratiarum actionem non efflagito, ne de insigni vestra pietate, quam tot speciminibus, in nuperrimo Germanicæ pacis festo, contestati estis, & adhuc gratiosè testamini, videar ineptè dubitare. Cùm profanam omnem laudem judicârint Ethnici, quæ cum memoria Omnipotentis Dei non conjungitur, quid nobis, in præsenti, faciendum sit, qui, extra densissimas gentilitatis tenebras, in splendida divinæ benignitatis luce collocati sumus, nemini ignotum erit. Ipse quidem Cicero, & Eloquentiæ, & Patriæ Romanæ parens, etiamsi glorioſior aliâs suarum laudum præco fuerit, sua tamen benefacta tantò eminentiora judicavit, quantò propius divinis curis admoveret. O Dii immortales! sic exclamat in concione homo Ethnicus, (vobis enim tribuam, quæ vestra sunt; nec verò possum humano tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas in illa turbulentissima tempestate, Reipub. mea sponte despexerim,) Vos profectò animum

mum meum tum conservandæ patriæ cupiditate incendistis: me, ab omnibus cæteris cogitationibus, ad unam salutem Reipub. contulistis: vos denique in tantis tenebris erroris ac insciliæ, clarissimum lumen prætulistis menti meæ. Ita dixit, Aud. dicendi Magister optimus: ita seculo in documentum omnis posteritatis scripsit, quem, si ullibi alias, præsenti certè tempore sequi convenit, ut bonum omnium in mundo maximum, bonum omni æstimatione nostrâ & prædicatione superius, bonum pacis, gratô animô, ad DEUM, omnis boni fontem augustissimum, primò referamus. Quam illustribus enim argumentis in hac Germaniæ pace & justam clementiam, & clementem justitiam ostendit Dominus pacis & belli providentissimus? Sicut pius pater immorigeros castigat liberos, ut eos revocet à vitiis, & ad virtutum frugem promoveat: ita DEVS, miseri flagellô belli, suum afflixit populum, qui felicitatem suam, quâ tot annos, sub amica pace fruebatur, concoquere non poterat, nisi thermis ejusmodi Neronianis juvaretur. Quam sudatum verò in illis est? quam lacrumabilis, per universam Germaniâ, inde miseria orta est? Solon ille Sapiens, cum curis anxio cuidam amico, varias hominum afflictiones ostensurus esset, in arcem eum deduxit, subjectasque inde domos monstrans, quantæ in singulis curæ, quantæ in universis calamitates lateant, jussit expendere. Quæ ars tam excelsa? quæ turris tam altè posita, è qua Ger-

Germaniæ, ex truculento bello, calamitates pondere gravissimæ, numerô infinitæ, possint conspici? Urbes, provinciæ, regno quot & quanta ibi fuêre, nil nisi amphitheatra fuere, in quibus immanissima belli rabies, omnia in sanguine, sursum deorsum rotavit. Quam Te, regionum omnium REGINAM, terrarum decus, Germania deformavit hoc tetrum dissidium! Nihil prisca crudelitas, nihil nova inhumanitas in Tuis omisit miseriis, quæ lacrumis tamen potiùs, quam verbis indicandæ mihi videntur, præsertim cum eas, me tacente, ipsa clarè satis, inter cineres proh dolor! ac rudera sua adhuc declamitet: quid? totis artubus ad casum memoriam cohorrescat. Quanta in illis miseriis pacis desideria! quot ad DEUM missa suspiria! Non tantùm homines; sed ipsi agri, cadaveribus oppleti, ipsa flumina, Christianorum sanguine rubentia, pacem à DEO, pacê à bellantibus, pacem continuis votis & precibus, flagitârunt. Sed diu pressit Germanos tantarum miseriarum servitium, ipsis cum iisdem senescentibus adversis, satis diu eos pressit, fortassis, ut gratius esset donum, quod, post tot moras, post tot motus, post tot vota, tardiùs cõcessum est. Scilicet ut verni temporis clementia & amænitas, minùs hilararet animos, nisi eam rigor hiemis & asperitas antecessisset: ita minùs jucunditatem pacis hujus ac dulcedinem sentirent Germani, nisi eam cum superiorum temporum tristitia, & cum Tartareæ illius tempesta-

pestatis acerbitate compararent. O abstrusa verò & recondita DEI consilia! O bonitatem ac clementiam ipsius perpetuò prædicandam! Respexit tandem ad lacrumas, ad gemitûs, ad ejulatûs miserorum, qui, cum terris non caperentur amplius, cœlum invadebant, DEVM oppugnabant, & tandem paternum illius pectus expugnabant, ut mallet misereri, quàm castigare, ignoscere, quàm vindicare, cõdonare, quàm diutius irasci. Quis non exclamet cum devota illa anima: Verè Dominus est, qui vulnerat & & medetur: percutit & manus ejus sanant! Verè Dominus est qui mortificat & vivificat! qui, pro paterna sua dispositione, castigans castigavit suum populum; sed morti non prorsus tradidit. Neque verò obscura clementiæ hujus specimina, inter ipsas bellorum clades, apparuerunt, quotiescunque stupendas omni mundo Victorias, Germanæ fidei & vitæ assertoribus, ex alto largitus est. Nisi enim toties luxatæ, attritæ, consumtæ adversariorum vires essent, annon, instar cataclysmi, oppressissent statim ovile Domini, nec, nisi omnibus consumtis, suam satiassent rabiem? Annon pusillus orthodoxorum grex, sub hostilis idololatriæ jugum tractus, misereque oppressus adhuc gemeret? Testor duas illas, prope Lipsiam, victorias famosissimas! Testor Lûzensem & Witstochiensem, ne de aliis pluribus hîc dicam: undique majori virium militarium apparatu instructi fuerunt Ligistæ, quam nostri: undique tamen à no-

nostris fusi, cæsi, fugatique fuerunt. Quis manus DEI victrices, in nostrorum armis & animis, non animadverteret? quis manifesta clementiæ cœlestis signa non miraretur? Quæ fastigium quoddam suis additura operibus, ipsam pacem, pacem tot à se precibus oratam, tandem, post triginta annos, exoratam, benignissimè, superiori annô, restituit. O amicam generi humano Divinam clementiam! ô amicum clementiæ illius donum, cujus sic gratia omnes afficit, ut etiam nomen ametur! PACEM intelligo, fomitem securitatis, publici boni radicem, commodorum seminarium, pacem opulentiæ segetem, almam virtutum omnium nutriculâ. Cujus non aures animusque tam delectabili commodorum dulcedine perfundantur? cujus non pectus penitissimis hilarescat visceribus? Profectò, si ægrè æstimare possumus, Auditores, quantum bonum à DEO acceperit Germania, ut ægrè, propter magnitudinem illius, possumus, unum succurrat, majus exspectari non potuisse, cum nec à præstabilius à DEO hîc conferatur. Si omnes in Germania lapides, imò omnia arborum folia, in linguas mutarentur, non possent dignas DEO laudes canere, dignas agere gratias, quòd omnia tam bene fecerit, quòd non expleverit tantùm vota sui populi; sed & superârit. Hæc enim vota, nisi falsa erant, ut, discussis belli nubibus, serena monarchiæ pacis lux reluceret. Si ergo, armis posi-tis, tranquillitas tantùm pristina fuisset restituta

afflí-

afflictis provinciis, abundè omnes non exspectationi modò; sed optatis quoque suis satisfactum judicâssent. Vt autem præter pacem redditam, Sereniſſimum Sueciæ Regnum, augustale Religionis Orthodoxæ florentiſſimum, in partes curarum, de orthodoxæ religionis & libertatis Germanicæ negotiis, præcipuas veniret: ut, acceptis inde tot Ducatibus, ſedem quoque ſuam, ad aſſerendum parta Germaniæ bona figeret in Germania: ut velut membrum ejus aliquod efficeretur, quis Germanorum unquã non dicam ſperare; ſed optare auſus fuiſſet? Præcurrit hic Tua, DEUS clementiſſime, benignitas ſpes populi Tui! ſuperavit preces ejus ardentiſſimas, quibus toties defatigatas aures tuas noviſti! Nos ergo, cum Germania Tua, hoc munus Tuum, nos manum Tuam, nos mẽtem exoſculamur, &, cum aliud non poſſimus, Te laudamus, Te amamus, Te adoramus, ad Tuos pedes humillimè proſternimur. Tibi laus, ô Soſpitator hominum celſiſſime, Tibi gloria, ô Pater clementiſſime, Tibi gratiarum actio, in ſecula ſempiterna! O Beata Trinitas, ſanctum & laudabile Nomen Majeſtatis Tuæ, & ſuper exaltatum in ſecula! Ut verò ſecundas à DEO in his terris REGINA noſtra atque DOMINA ſemper Auguſta, obtinet: ita ſecundò etiam ad thronum ejus auguſtiſſimum ad eximium Majeſtatis ejus ornamentum, divinæ Majeſtatis Imaginem, gratiæ noſtræ p[ro]gunt. Quid enim hoc & quantum eſt, quod [a]

fli[c]tiſſimis in Germania Eccleſiæ rebus operam Tuam conſtanter impertire non detrectaveris: quod Germaniam ex ſervitute, quæ jam incumbebat ei, in libertatem optatiſſimam, Religionẽ Orthodoxam ex periculis, fortiſſimè reduxeris, CHRISTINA Chriſtianiſſima, REGINA Triumfatrix Optima Maxima? Nullius profectò tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis, tantaque copia, quæ hoc Tuum in Germaniam beneficium exornare ſatis valeat. Patri Tuo, gloriofiſſimæ recordationis, (da veniam, Domina: accepta beneficia, & affectus noſter verba hæc requirunt,) Patri quoque Tuo & noſtro, imò & Germaniæ Patri, multum ipſa ob paternam curam debet. Quem enim, niſi rerum omnium ignarum, fugit, quantâ ſedulitate & fide, quantis laboribus & ſudoribus, in ſummis difficultatibus periclitanti, ſuccurrerit, & Regium etiam ſanguinem pro ea maſculè fuderit? Exemplo quidem pietatis incomparabili! Quid enim in omnibus à mundo condito hiſtoriis ſimile inveniemus? Te verò opernm magnorum nuncia fama, Te numeroſa gloria, ceu conſummatricem inſtituti paterni, ad ſidera uſque extollit, Te non tantum tot Imperiorum, felicitatis, potentiæ; ſed virtutum paternarum, inprimis Pietatis heredem, omnes toto mundo venerantur. Unde enim aliàs tantus in Orthodoxam Religionem amor? unde tantus, in ea defendenda, fervor? Placuit olim primis elegantis ſapientiæ Secre-

tariis, Poëtis, auream virtutum catenam, è cœlo propendentem, fingere, quam virtutum omnium complexus, sibi mutuò inhærentes, deducunt & aptant, ut omnes, velut in amico contubernio, jungantur. Nemo facilè negabit, opinor, hanc catenam virtutum auream, hoc regium ornamentum in Augustissima Domina nostra rutilare. Quæ enim nominari virtus potest, cujus jubar, ex omnibus illius actionibus, non emicet? Ire per singulas nonnisi æternorum laborum monumenta poterunt, & in prædicandis illis passim modò certabit alacris oratorum Germanorum devotio. Omnes tamen princeps omnium pietas REGINÆ nostræ, præ omnibus in admirationem rapiet, illa generis humani tutatrix, cœli germen, orbis columen: illa tot laborum in Divo Parente: tot laborum in augustissima filia, felix Stimula & Agonia, pro qua in gratias humillimas ipsa orthodoxa Religio descendit, & Te, Domina, Pacatrix, felicissima, Te suspicit, Te assertricem suam nominat, Te veneratur, ad Te manûs tendit devotissimas, Tuis victoriis triumfisque, post DEVM, suam incolumitatem acceptam refert, & ulteriorem sui curam studiosissimè à Te precatur. Idem, cum ea, faciunt liberati Germaniæ cives, &, quanquam pectora illorum senex jam mœstitia angustaverit, inundantis tamen, ex restituta pace, gaudii copiam sentire paulatim incipiunt: Te mirantur, Te venerantur, Tibi ecce jam humillimas habent aguntque gratias, REGINA

GINA Invictissima, quod non minùs prudenter, quàm fortiter, ad recuperandam Orbi Europæo, ad reddendam miserrimæ Germaniæ pacem, arma animosque conjunxeris. Nimirum in hoc bello, bello difficillimo, bello non sine stupore inter posteros nominando, jam finito, difficulter liceat decernere, utrum majori prudentiâ, an fortitudine omnia expedita sint? Certè, ad exemplum posteritatis, magna ostendent ingenia, (quid enim ego ingrediar immensum hoc pelagus?) utrumque hoc imperii, ad æternitatem excitandi, adminiculum regiâ manu servatum, roboratasque duas illas columnas firmatissimas, quibus salus omnis regnorum, omnis gloria innititur, & contra quasvis adversariorum machinas perfistit. Nos igitur REGINAM nostram, pro eo, ac possumus, & veneramur ob prudentiam, & colimus ob fortitudinem, neque ullum virtutis præmium, ullum honoris insigne, ullum laudis monimentum esse fierique posse existimamus, quod illi à nobis: quid à nobis dico? ab universa Christianitate, jure & meritò non debeatur. Quam sollicitè inter ipsa arma de pace cogitavit, cujus causâ arma sumta erant? Quanquam ergo eo sanguine creta, eo solo nata, iis artibus educata, iis meritis, victoriis, triumfis decorata fuerit, ut summam undique armorum gloriam possideret, & exercitum ubique victorem, exercitum ad pugnas & triumfos novos alacrem, exercitum florentissimũ haberet, præstabilius tamen,

pro judicii sui divinitate, judicavit, citra prælio-
rum lassitudinem, ambiguum armorum strepi-
tum, optatissimâ tranqt illitate redditâ, com-
ponere. Quò magis venerari & suspicere Te
cuncti debemus, REGINA, Triumfatrix paci-
fica, quæ, ut pacem suâ metiris dignitate: ita
bella geris & administras necessitate: & ut ar-
morum capiendorum certam tenes rationem,
sic deponendorum modum, quæ tam fortia,
tam felicia hucusque, cum terrore hostium
perpetuo, circumtulisti, ut nullus sit in orientis
& obeuntis Solis partibus locus, ubi non cele-
bretur Suecicorum armorum gloria. Fruere
tantis meritis, gratulare fortitudini Tuæ pru-
dentissimæ, quâ ad omnium laborum metam,
Pacem scilicet, optatò perveniſti! ad pacem
nam innumeris triumfis potiorem, ad pacem
religionis, legum omnisque honesti nutricem,
ad pacem, unicum tot vulnerum chironiorum
remedium, quibus ad internecionem usque la-
cerata erat Germania. Et illa Tibi nunc, Do-
mina, nobiscum, more veterum, laurum & oli-
vam, tuo meritissimo, consecrat. Laurum enim
obtines victoriis; oleam studiis pacificis. Illa
nunc in laudes Tuas nobiscum, quanta quanta
est, effunditur: Illa Tibi aram gratitudinis sua-
imò thronum immortalitatis & gloriæ excitat.
Scande illum, ô AUGUSTA, & inde, quantum
potes, oculos intromitte in omnium pectora:
vide in iis tot erectas devotionis statuas, quo
nulla unquam ætas, nulla delibabit oblivio. Au-

di vota Germanorum & nostra deditissima: au-
di voces omnium unanimes: ô CHRISTINA
REGINA, Triumfatrix, tot gentium, terra-
rum, imperiorum domitrix & Pacificatrix, DE-
US Te conservet! CHRISTINA REGINA
orthodoxæ Ecclesiæ tutatrix, Mater Patriæ, mo-
ra fatorum, atlas felicitatis nostræ, DEVS Te
conservet! CHRISTINA REGINA, orbis
retroacti prodigium, præsentis miraculum, fu-
turi exemplum, DEVS Te conservet! Vove-
mus omnes, vovemus singuli, DEVS Te con-
servet, ô DOMINA, ob undique reductam pa-
cis serenitatem, verè Serenissima! Quemadmo-
dum verò, præter Solem, reliqua etiam sidera in
hæc inferiora agunt, eorumque affectiones mi-
scent, quod cælestium arcanorum scrutatores
subtiliùs excutiunt: ita pacis bonum, quod ad
DEVM Irenarcham benignissimum, quod ad
REGINAM nostram, Pacificatricem felicissi-
mam, grata voce retulimus, indefesso etiam Il-
lustrissimorum Regni Procerum, imprimis E-
minentissimorum Dominorum Legatorum,
studio, gratâ mente acceptum ferre convenit.
Quid enim gravissimis suis consiliis? quid assi-
duis laboribus? quid continuis curis spectârunt
aliud, quàm pacem Germaniæ desideratissimâ?
Idcirco nulla temporum momenta præterire
passi sunt, quin, quæ acturi pacis hujus causa es-
sent, præconciperent acriter: quid possit ac-
cidere, & quid agi debeat, si hoc contingeret,
sedulò definirent: omnes actûs paci profutu-

tos disponerent, & è quadam mentium providentissimarum specula explorarent omnia, ne fluxæ casuum temeritati quicquam crederetur, quod in tanto negotio curatè esset providendum. Quis dignè tantam celebrabit prudentiam, quæ, instar hli Ariadnæi, ex intricatissimo actionum variarum labyrintho, ad optatissimam pacis metam, proxenetas pacis splendidissimos deduxit? Certè concursus, in tractatione isthac, fuit ingeniorum ex toto orbe selectissimorum: horum sensa, circa res tantas, sagaciter inquirere, conatûs feliciter moderari, studia quaquaversum tendentia, ceu varias in circulo lineas, ad unum pacis centrum dirigere, nonne divinæ solertiæ opus est? Hanc in Vobis miramur, Legati pacis felicissimi, hanc æstimamus, cum pacata Germania, unà cum constantia illa vestra indefatigabili, quam, nullis delassati vel morarum, vel curarum molestiis, toti stupenti mundo, tot annos, probâstis. Quot enim tricis istis magnis minutisque (si modò quid minutum dici potest, quod vel pace, vel armis terminandum fuit,) expediendis patientes consumsistis? Tractum est pacis negotium ex uno loco in alium, tractum ex anno in annum, modò Hamburgi ad Irenes sacra conventum, modò ad alia loca itum est, donec Monasterii tandem & Osnabruggæ, post si syphios labore exantlatos, jnxta sollicitudines ipsius sacratissimi Imperatoris Romani, Christianissimi Gallarum Regis, Potentissimorum Electorum & Prin-

Principum Germaniæ inæstimabiles, gratissimâ devotione venerandas, applaudente cœlo gestiente terrâ, tripudiantibus bonis omnibus, die XIV. Octobr. superioris anni, sedatâ omnium partium irâ, diremtis contentionibus, sublato bello, pax tandem firma & sincera Germaniæ restitueretur. O Mensis Octobris, quàm faustam & felicem, toti Germaniæ nobisque Tui memoriam relinquis! O dies tuos, dies magnæ indices lætitiæ! Solem ego ipsum, ita vivam, in tam pulcro spectaculo exsultâsse arbitror, cum, strato in foro peripetasmate, par reddita Monasterii sub dio solenniter promulgaretur: cum populus omnis in cœlum elatis vocibus & manibus: Te DEUM laudamus: caneret: cum multi, præ lacrumis cantus omittentes, jubilantes gemitûs & læta suspiria ad DEUM emitterent. Pax ergò est? tranquillitas est? solenne gaudium de cœlo datum est? Vix auribus suis credebant, quæ audirent: oculis, quæ videbant: repeti optabant voces salutares, ut seipsos cogerent ad assensum. Nimirum ISTA maximorum gaudiorum indoles est, ut credulitatem carendi metu suspendant. Sicut diuturnâ loci obscuritate tecti, apertè lucis claritatem vix patiuntur oculis: ita effusa illa ex pace lætitia omniù primò mentes velut obnubilabat, ut tardiùs desperati ferè boni fides procederet. Postquam verò tanti gaudii copia paulatim recepta fuit, quæ bone DEUS, per universam Germaniam jubila? quæ gratulationes? quæ

gratiarum actiones ad DEUM, ad Reges, ad Principes, ad Legatos, ad omnes in tanto pacis negotio laborum ſocios? omnes volebant referre gratias, nemo poterat. Quantum enim illis debeatur, mente vix aſſequebantur, tantum aberat, ut verbis accepta prædicarent beneficia, quid dicam, ullo modo rependerent? Verè quidem, ſicut Solis Lunæque & reliquorum luminum, lucem comtemplari, viresque eorum in nobis ſentire poſſumus; ſed nihil ad ea vel luce, vel viribus augenda referre poſſumus: ita & nos, cum Germanis, paternam DEI in nos clementiam, ſingularem REGINÆ felicissimæ Providentiam, grandes Illuſtriſſimorum Procerum Legatorumque labores, vigilias, curas agnoſcere poſſumus; nihil tamen quicquam habemus, quod vel DEO Opt: Max: vel REGINÆ Invictiſſimæ, vel reliquis pacis curatoribus, Salutis publicæ tutoribus, invicem reddere cum Germanis queamus. Verbis peragenda ſunt omnia; ſed quantillum poſſumus? factis nullo modo licet. Qui vel ſunt hodie, vel erunt uſpiam hiſtoriarum ſcriptores, cum ad hanc pacem Germaniæ ventum fuerit, magna non tantùm magnarum poteſtatum merita; ſed veſtra etiam, Proxenetæ pacis ſplendidiſſimi, ſtudia, ita efferent, ita omnium memoriæ & admirationi ſiſtent, ut quivis ea omni laude digna, imò potiora omni laude, fuiſſe nobiſcum animadvertat. Tu verò DEUS, & ob potentiam Maxime, & optime ob bonitatem Tuam, quam utramque in præſenti pacis negotio luculenter oſtendiſti, cuſtodi, quæſumus, ſerva, protege, quam dediſti, pacem nobis & Germaniæ. Magna bona magnos habere hoſtes ſolent; & jam virulentæ talium molitiones ex obſcuris adverſus pacem prominent latibulis. Compeſce illas, DEUS omnipotens, qui unus omnium conſiliorum eventûs & auſpicia, regnorum ortûs & occasûs, ſecunda & adverſa uno providentiæ oculo inſpicis, dirigis, gubernas. Indulge, ut quod optimum nobis & Germaniæ dediſti, æternum permaneat! Indulge, ut totum Sueciæ Regnum, ſedes verbi Tui ſplendidiſſima, omnigenis clementiæ Tuæ muneribus, ſubinde locupletetur: ut partis tot triumſis & victoriis, tot floribus & honoribus, ſub feliciſſimo pacis regimine, perpetuò vigeat. Indulge, Pater indulgentiſſime, ut ſub eo hæc Livonia, & in ea Riga tua, Tua Riga ſecundis undique virtutum & bonorum omnium incrementis, ad Tuam gloriam & ſalutem ſuam, floreat, neque quisquam noſtrûm aut noſtrorum ſolem illum pacis, qui redux Germaniæ nobisque affulſit, unquam videat videat occidere, aut obſcurari.

AD GERMANIAM.

PONe modum lacrumis: laceros compone capillos:
Ecquid adhuc pullô ſyrmate verrris humũ?

Sume triumfales cultus, Pacisque reductæ
Basia basiolo vividiore cape.
Prô! quot lustra Tuis procul abfuit exul ab oris,
Gradivi toties pulsa, repulsa metu?
Nunc tamen, ô lætum verbũ! nunc illa revertit
Pax Tua, pax aliis anteferenda bonis.
Quis Tibi non tantum MATER GERMANIA, donum
Gratari calamô, pectore, voce velit?
Floreat euge Tuis Pax reddita semper in agris!
Floreat æterni Nata verenda DEI!
Floreat, & sensim chironia vulnera, Martis
Fixa dolo, medicâ sanet ubique manu!
At Vos, pacati felicia Numina mundi:
Vos rursum nitidi Germina sancta poli:
Pacificis macti studiis Vos pacis amici,
Perpetuis Jani claudite templa seris!
Tu tamẽ in primis, magni stupor orbis amorq;
Tu mora fatorum, curaque grata DEI,
Quâ minus est, quicquid meditor, CHRISTINA, parentis,
GUSTAVI MAGNI, Filia MAGNA Tui,
Vive, vige, flore, successibus aucta secundis!
Irenes custos optima vive, vige!
Ut Tua nobiscum vigeat Germania flore!
O MATER PATRIÆ, MAXIMÂ VIRGO, Vige!

Suspirat, JOH. BREVERUS.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

MANLIANUM IMPERIVM.

DVrum hoc & dirum verbum est, in juvenum præsertim auribus: rigidiorem disciplinam notat, quâ nil durius aut dirius pleriq; statuunt. O delicatulos homunciones! cœlo forsan nudius tertius lapsi, nihil sordium circumferunt, quod mordacius lixivium requirat? imò clavellatô indigent, his moribus in primis ac temporibus: tot undiq; improbitatis hærent maculæ: tot vitiis non inficiuntur modò; sed conficiuntur omnia. Quid ergo disciplina tantum vapulat? Nimirum, si quu gravioris ulceri chirurgus manum admovet: si acuit novaculam: si incîdit, ferocissimè exclamant ægri, manibusq; tundunt eum & pedibus; & tamen sanciat, ut sanet; vulnus; licèt amplius interdum, infert, ut salutem afferat. Num aliud quid agit Disciplinæ rigidioris cultor, & patitur? num aliud quid T. Manlius Torquatus apud suos? Salutem promoturus Reipublicæ leges ponit necessarias: leges, quas in transgressores quosvis armat atq; animat: leges, quibus præcipuum imperij stabilimentum, Disciplinam, firmat: leges, quas caritate filij antiquiores habet; & tamen juvenes Romani graviter vociferantur ringuntur q;, & crudelem, immisericordẽ, trucem tum proclamant. Bonum factum, scilicet!

COR-

CORRIGI *quicunq; bonus gaudet; peßimus quisq; emendatorem asperrimè patitur. Profectò maluisset Pater parcere victori filio; sed cum aut mortem ejus sanciendæ vis imperij. aut in perpetuum impunitate abroganda esset, quid eligeret salutis patriæ curator optimus?* EXEMPLO *metus faciendus & habendus erat. Neq; possunt aliter, quicunque vitiis adultis medelam quærunt. Multi quidem prorsus intermitti eam malunt, ne crabrones irritentur, aut palam fiat, quibus impares sint flagitiis; at* PER *istam indulgentiam deorsum omnia & sursum feruntur: quod libet, licet, & quod licet, possunt, & quod possunt, audent, & quod audent, aliorum malo atq; suo mali perpetrant. Neq; metus ultra, neque pudor manet. Rarus est adstricti moris autor ex principibus, cujus æmulandi studium alios corrigat. Tametsi eo nihil efficacius.* AD *alta mentes hominum & oculi vertuntur: quicquid vident à superioribus fieri, præceptum putant. O si domi sanctior vigeret liberorum cura! hac in cunabulis præcipua est. Nascentes in arboribus ramusculi agriculam sequuntur: ductu ejus vel in altum enituntur, vel in terram proni deflectunt: ita puerorum animi parentum fingi possunt manibus, ad virtutis cultum. Sed ubi ista hodie solicitudo? non dicam languet apud plurimos; sed obyt: neq; mala; sed nulla est, ut, si reducere tandem velis, Manliana fata, hoc est, odia, contemtum. subsannationes juvenum (quid si & seniorum aliquot?) sis experturus.* TANTUM *potest generis humani lena & lerna, prava Indulgentia! hæc, tot deliciis, vix natos mulcet: hac blanditur pueritiæ: hæc ad*

ad vitia, in solo tam fœcundo pullulantia, non connivet modò; sed probat, excitat, applaudit: lepidos, politos, aptos vocat, qui in cultu vanitatem, in verbis levitatem, audaciam in vultu gerunt: quæ tamen vitia cum supercilio apud tales, & cum verecundia, si nominanda essent, nominanda essent, ut nesciant omnino, sæpe publicè, & sine reprehensione regnare. Hoc enim, hoc si fieret, rem judicio suorum turpem, neque ullis sibi commendatam lenociniis, facillimè proscriberent. Sed non probatur tam superstitiosa, ut vocat, pietatis supplicium: laxanda sunt custodiæ rigidioris vincula: securi sumus, nec periculum timemus, antequam sentimus. O securam Dei curatissimè habendæ curam! Miramur animalcula illa minuta, quorum morsus, licèt pestilens, non sentitur; tam tenuis inde & fallax vis est in vita periculum. MIREMUR *potius vulgarem Educationis mollitudinem: quis videt, quantum & privatim obsit, & publicè? quantū obfutura sit? Blanda est, quam exercet, crudelitas: venenū dulce, quod propinat: nec permittit facilè, torpentes postmodum ad meliora erumpere: crescunt vitia cum infectis, & formatur hinc ingeniorum indoles: ex indole consiliorum actionumq; ratio: ex ratione ista omnia pendent negotia. Vbi vero Disciplina exulat severior? Videm inter canes reperit Politicus, cum homines deseruisset: forsitam in castris Manliana Disciplina superat. Hic certè legum firmat reverentiam: hic Magistratus integram autoritatem præstat: hic militarem stabilit fortunam: his victoriā Romanis parat optatissimam; sed dum T. Manlius eandem suo firmat stabilitq; sanguine. Quis vim exempli*

emplitanti non suspiciat? FELICITER *quoscunq; continet, qui suos & seipsum: tantum quidem, quantum vult, potest, modò se, nisi quod debet, non putet posse, neq; faciat.* MISCEAMUS *aliâ, (commendatissimi Historici sententia est,) misceamus maria cœlo, non antè sanctiùs vivetur moribus, non piè formabitur pectus caterorum, nisi sanctitate imbutis magistris morum, iisq;, qui vitæ mortalium præsunt. Non parebunt ex animo legibus alii, lege alios solventibus iis, qui leges moderantur, seq; immunes legum esse postulant. In animis tenuiorum regendis exemplo magnatum antistitum q; potius, quàm imperio est opus. Macte hoc judicio Paule Æmili! macte saluberrimo exemplo, Tite Manli! utrumq; boni suo venerantur merito: Disciplinam ex utroq; æstimant, & undique reductam optant; sed optant! nec sperare n. tantum bonum possunt: eâdem sapius ruinam rerũ pariter & morum metuunt. Curantur quidem munimenta, valla, muri: laude dignus labor est; sed mores primò omnium curare addecet: severior à Manlio disciplina, sanctiorq; rerum cura, & invictæ erunt omnia. Loquere Plautina Virgo, & quid de fortunatu atq; opiparis Athenis sentias, aperi! Vt munitum tibi visum est oppidum? quæro cum Sagaristione. Si incolæ bene sunt morati, (respondes) pulchrè munitum arbitror; Perfidia & Peculatus ex urbe & Avaritia si exsulant, quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio, septimum Perjurium, octava Indiligentia: nona Injuria: decimum, quod pessimum aggressu, Scelus: hæc nisi unde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est. Quî placent hæc à Vir-*

Virgine? Masculè profectò dicta sunt, & quantum sit in bonis moribus momenti, quantum ex neglectu disciplinæ damni, explicant. Infestent Manlij imperium infestæ mentes: trucem eum atq; durum molles nominent! multum profuit & tum severitas exempli, & postea, quod quidem inter magna illa fortè numerandum erit, (si modò inter ista numerandum erit,) quæ habent aliquid ex iniquo, quod adversus singulos utilitate publicâ rependitur. Hoc ipsum ut ad veritatis lucem clariùs patesceret, exemplum istud Manliana cedis exercitij Oratorij materiam sibi esse voluerunt Iuvenes Eruditissimi, JOHANNES HINKE & MELCHIOR KROP, *Rigenses, ornatèq; concinnatas de eo orationes suas mihi obtulerunt, dignas, si quid judico, quæ in panegyri frequenti audiantur. Cum ergo illas d. 12. Maji ex memoria sint reddituri, omnes studiorum nostrorum Patronos, Fautores, Cultores reverenter, amicè, humaniter oratos velim, ut honorem nobis istum exhibere, & oraturos spectabili suâ præsentiâ animare ne graventur. Quod quidem in nos studium & agnoscemus gratâ mente, & ad laudem semper conservabimus. Dab. Rigæ, ex Museo, d. 9. Maji, Anno 1651.*

(o)

IN

IN MANLIANVM IMPERIVM. ORATIO.

SI ulla unquam, post hominum memoriam, injusta sævitia, ad stuporem omnium, inaudita est, hæc sanè talis dici poterit, quam impræsentiarum vestris mentibus, ad judicandum, subjiciam. TITUS Manlius, omnis ætatis ac memoriæ clarissimus, & ad optima quæque natus Juvenis, non in acie ab hoste cæsus, non pestilenti correptus morbo; sed violento Patris jussu, quod generosissimo ductus impetu, præter ejus voluntatem, hostis victor exstiterit, miserrimè à carnifice ad lanienam abreptus, floridissimâque vita exutus est. Heu factum ipsâ crudelitate horribilius, quod vestras non solum aures; sed magis, sine dubio, mentes vulnere atroci percutit! Quis, quæso, est, qui hîc loqui, sine motu, possit? Quis est, qui tacere? loqui, ob mœrorem, in miserrima generosissimi juvenis cæde, quâ & vox, & sermo, & oratio, dicendi pœne elabitur ac fugit: tacere, ob pietatem, quâ omnes boni, ad celebrandam istius memoriam, arctissimè obstricti sumus. Ferus, imò ferreus æstimandus esset, qui hunc Virtutis Athletam laudibus non velit prosequi. Ab omni humanitate alienus, qui inhumanam parentis crudelitatem non detestetur. Nimirum, confirmavit parens facto isto tritum illud: MAGNORUM vitorum magna plerumque esse omnia, magnas virtutes, magna vitia. Facta enim ejus si respiciamus alia, magnas ei magnarum virtutum attributas esse laudes reperimus. Annon enim hoc mirandum fortitudinis & magnanimitatis documentum fuit, quod Tribunum, stricto cultro, ad voluntatem suam ancipiti metu, duxerit traxeritque Patremq; L. Manlium, à vexatione tribunitia, adhuc juvenis liberaverit? Annon egregium pietatis in patriam indicium fuit, cũ, impetratâ à Dictatore, coëundi cum hoste Gallo potestate, ostensurum se promitteret, illi belluæ, & se ex ea familia ortum, quæ Gallorum agmen ex Tarpeja rupe dejecit? Dictator certè acclamavit; macte virtute, pietateq; in patriam! perge, & nomen Romanum invictum præsta! Adortus ergò hostem, glorioſissimè vicit, torque spoliatum aureâ, quam respersam cruore collo circumdedit, Torquati inde nomen meritus, & summam gloriam, quanta, in aliis suis actionibus, fortitudine, contemtrice illa pavoris, eminuerit, prolixum esset enarrare. Incomparabilis fuisset, nisi à regia Virtutis via, in nefandam hanc filii cædem, in sævitiam homine indignam deturbatus esset. Horrenda enim in illo facinore concurrerunt vitia! Filium suum, unicum vitæ suæ solatium, unicum fortunæ inclinatæ columen & fulcrum, in ipso ætatis flore,

flore, ad miserabilem cædem rapi jussit? quæ causa fuit? IRA immoderata, pessimum recta suadendi medium; ex hoc fonte furor ille saliit. Nimirum sicut agri, opima præditi pinguedine, modò salutaria, modò venenata proferunt germina: Consimili ratione animus noster, modò suavissimis virtutum floribus eminet; modò vitiorum loligine, nisi tempestivè adsis, conspurcatur. Enituit aliquis in bello; sed obsolescit in pace; alium toga; sed non & arma honestant. Ille quæsitam domi gloriam in publico; hic in publico partam domi perdidit. NEMO adhuc exstitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. Ad exempla quid progrediar? Titus Manlius exemplo nobis est, quem & virtutibus illustrem, & notatum vitiis fuisse, præsens ejus factum, factum turpe & immane, satis ostendit. Cujus turpitudinem priusquam pluribus ostendam, ad spectatam toties Humanitatem vestrâ A. confugio, submisso animi studio eandem implorans, ut homini adolescenti, cùm ab aliis rebus satis tenuiter instructo, tum in hoc genere penitus rudi, benevolas aures præbere, meamqi Juventutem optabili benignitate sublevare ne dedignemini. Si nihil amplius dicerem, quàm occisum esse à Patre inhumanissimo, Juvenem omnium laude, omni virtutis genere celebratissimum, qui si ex se natus esset, tantus esset, quantum ætas Romanorum vix ullum tulit alium, satis, sine dubio, constaret, facinus abominabile, in generosissimo Juvene, admissum esse.

Quod

Quod ipsum, ut liquidius dijudicetis, rem totam mecum, uti gesta est, ex principe historico repetite. Cum Romani Proceres, adversum Latinos, bellum susciperent, edixerunt Consules, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. Quid fit? fortè, inter cætros turmarum Præfectos, qui exploratum in omnes partes dimittebantur, TITUS MANLIUS, Consulis filius supra castra hostium, cum suis turmalibus, evasit, ut vix teli jactu, ab statione proxima, abesset, ibi Tusculani erant equites: iis præerat Geminius Metius, Virtutum genere inter suos, tum factis clarus superbusque. Is, ubi Romanos equites, insignemque inter eos eminere Juvenem, cognovit, statim ex arrogantia immodica: Unâne, inquit, turmâ Romanorum Latinis bellum gesturi estis? Quid interea Consules? quid duo exercitus consulares agent? Aderunt in tempore, Manlius Juvenis respondet, & cum illis aderit Jupiter ipse, federum à vobis violatorum testis, qui plus potest polletque. Mox Geminius, paulum à suis equo profectus: visne igitur, dum dies appropinquat, qua magno conatu exercitus movetur, interea tu ipse congredi mecum, ut nostro duorum jam hinc eventu cernatur; quantum eques Latinus Romano prævaleat? Gravis ea vox erat Manlio Juveni, & cui non esset gravissima? Postquam igitur non nihil disceptâsset cum animo suo, seu irâ generosâ, seu detrectandi certaminis pudore, seu insuperabili vi fati, ad id certamen se ac-

cingit, gloriam Romani nominis ulturus. Cumque infestis cuspidibus concurrissent, Manlius Geminium, mirè vulneratum, terræ affixit, ut per costas ferrum emineret, spoliisque lectis, ad suos, ovante gaudio, in castra revertitur: Inde ad prætorium, ignarus fati, futurique, laudem, an pœnam, meritus esset. Generosè tamen, conscientiâ virtutis, ad Patrem: ut me omnes, inquit, Pater, tuo sanguine ortum verè ferrent, provocatus, equestria hæc spolia, capta ex hoste cæso, porto. Quid verò Pater? ubi audivit filium victorem, extemplò eum aversatus, concionem clasico advocari jussit, quæ, ubi frequens convenit, atrox statim judicium solus tulit: vox, ad stuporem omnium, incredibilis audita est: Lictor, deliga ad palum filium! Exanimati omnes tàm atroci imperio, nec aliter, quàm in se quisque districtam cernentes securim, metu magis, quàm modestiâ coacti, tacuêre milites. Itaque velut emerso ab admiratione animo, cum silentio defixi stetissent, repente cervix laudatissimi Juvenis securi cæsa, fususque cruor est miserabiliter! O facinus immanissimum! O præceps nimiùm Patris judicium! Quàm horrenda est ista in filium, ex sanguine prognatum tuo, sævitia ô Pater, minimè talis, ut neque quisquam satis eam verbis exsecrari, neque cogitatione assequi possit, Ad hanc certè gloriam, tanta cum laude, pervenerat, ut non modò majoribus tuis, qui & honoribus, & rerum gestarum gloria semper floruerunt maximè,

mè, similis esset; sed eorum etiam memoriæ laudibusque maximum adhuc cumulum afferre posset. Propter hoc quidem factum, factum Juvenile, factum generosum, factum utilissimum, tam immaniter, ad tam horrendam rapi mortem filium, non oportebat. Non enim ambitione ductus, non malitia turbatus, non in perniciem patriæ advocatus, non denique conspiratione adactus; sed generosæ Indolis ardore accensus, lacessentem hostem & adortus est, & vicit. Memoratur quidem ab historico, Brutum quoque, primum Romæ Consulem, suos ad cædem vocâsse filios; sed cædem multis modis meritos. Improbô animô scelus, contra patriam, agitantes, injustissimâ, cum hoste Tarquinio, conspiratione susceptâ, tot cædium, tot imminentium cladium causæ ex iste re volebant. Quid verò noster Manlius? salutis, patriæ observantissimus Manlius? ex mera insolentia ab hoste perfido, & arrogante provocatus, pro nominis Romani gloria, solus cum solo, in certamen descendit, vicit, triumfavit. Nemo facilè tantâ est animi vecordiâ, qui, lacessitus ab hoste, suas non vindicet injurias, præsertim in bellis, UBI nihil gravius, ac indigniùs est, quàm provocatum, & tam arroganter provocatum, se non sistere, aut nominis honorem integrum servare. Numquid Titus Manlius, præfectus parti exercitus, ex tanta natus familia, laude militari omnibus antecellens, tanta opprobria æquo ferret animo, cùm apertè jactaret hostis:

jam appariturum, quantum Romano distet Latinus, & ita, coram utroque exercitu, virtutibus Romanorum graviter illuderet? Hæc si deglutiisset generosus Juvenis, ipsam regiam virtutis viam deseruisset, proditorque gloriæ fuisset patriæ. UT in prælio, qui clypeum abjecit, & sic fortitudini remisit nuncium non ab hoste modò, sed & à jumentis paulo post calcatur, & sub pedibus plerumque perit; Ita ille, qui famam atque virtutes, quas bene agendo meruit, tueri per ignaviam nevult, meritò contemptum ferre cogitur, qui in virtutis locum protinus succedit. Hæc animo perpendens Titus Manlius, morti se offerre præsentissimæ maluit, quàm virtutum Romanarum nomen, quod apud omnes gentes invictum proclamabatur, pedibus ignominiæ conculcari! O factum egregium, atque ab omni posteritate commemorandum! O singulare mentis excelsæ judicium! MENTES generosæ contemtus & injuriarum sunt impatientissimæ: alia ferre malunt omnia, quàm sibi suisque infamiæ notam inuri; projectus verò animus, contumeliæ fit opportunus, facileque contemtum in ipsum transfert periculi timor, ut, dum non audet calcare, calcari posse videatur ab omnibus. GENEROSÆ mentes irâ facile incenduntur, irâ generosâ, fortitudinis & magnanimitatis cote, quæ licèt optimorum consiliorum sæpe hostis, commissorum verò imbelle patrocinium dicatur: tamen, si justa fuerit, ut in nostro fuit Manlio, felicissima faci-

norum

norum Heroicorum occasio exsistit. EXTOLLIT profectò animos, & incitat, nec quicquam magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hæc flamma subdita fuerit, nisi hic eam stimulus peragitaverit. Quod si quis secum perpendat ætatem Manlii, juvenilem atque vivendam, quàm facilè incendi contumeliis, ad ultionem justam, potuit? Lubrica & ad peccandum proclivis est: facillimè huc illuc trahitur. Videte glaciem hiemis tempore! quàm facilis in ea lapsus est? quam properè ambulantes in ea cadunt? GLACIES ejusmodi ætas juvenilis est: lubrico semper stat loco: Juvenes in fluxu ejus positi, facilè, ab affectu quodam decepti, & à recta judicii linea abducti, in vada & scopulos, præter mentem suam, deferuntur in quos, cum impergerunt, annon potiùs commiseratione, quàm crudelibus suppliciis, digni sunt? Cum igitur UBIq; venia ætati huic, ob ferventiores spiritus, concedatur, quantò magis à Parente tribui in præsenti benè nato debuisset filio? Quid? si justâ progrediamur judicii viâ, nemo non meritò culpandum Patrem statuet, quod ipse affectum iræ cohibere minime potuerit, judicium de filio præcipitans, cum tamen nihil minùs deceat, quàm judicem, irâ commotum, judicium administrare. ANIMUS enim ubi se in iram conjecit, non potest ejus reprimi impetus: in devia quæque abripitur. UT in præceps data corpora, nullum sui arbitrium habent, nec resistere, nec morari dejecta possunt: haud ab-

simillis animus ira commotus: sustineri lapsus illius nequit: semel concussus ei servit, à quo impellitur. Et, hoc abrepti malo, multi quidem sana corruperunt judicia, mala perpetrarunt plurima; sed quæ, ad Manlii facinus comparata, facilem videntur veniam mereri. Illi in leges humanas deliquerunt; hic in divinas & naturæ: illi graviori, causâ commoti, perpetrârûnt, quod perpetrârunt; hic certè, nullâ tantâ lacessitus, filium carnificis aræ immolavit. O factum ab omni humana mente abhorrens! ubi hîc στοργή? ubi amor? ubi caritas? quem affectum parens omnium amantissimus, DEUS, omnium Parentum animis brutis etiam ipsis, implantavit. Ut de uno tantum dicam, quantus ille est in Pelicano? cæterarum avium more in editioribus locis ova non reponit; Sed, defossis iisdem in terram, pullos excludit. Quod cum deprehendunt homines, locum illum arido bovis stercore circumlinunt, ignemque subjiciunt. Pelicanus autem, (ecce vim amoris in bruto mirabilem!) Pelicanus, conspecto fumo, approperat, alis suis ignem exstincturus; sed earum agitatione magis accendit, quô, cum ejus conflagrent alæ, mavult ad suos in ignem decidere, quàm eos aucupibus relinquere. Imò hæc avis, centum & viginti diebus, quibus in prolis educatione detinetur, nunquam ad prædam longiùs provolat, uni illi curæ assiduò intenta, ne pullos deserat. Quodque fidem prope superat, si forsan nihil aliud quicquam occurrit, quod iis in

in alimentum paret, ipse, ipse Pelicanus, vellicatis rostro femoribus, sanguinem ciet, quem fugendum pullis exhibet. Quis inde vim amoris incredibilem in sobolem non colligat? Quis suos natos, qui sanguis noster sunt, omni curâ fovendos protegendosque esse non animadvertat? Ubi autem hanc στοργὴν in Manlii animo reperiemus, radium illum divini amoris, quo in nos fertur, naturæ melioris florem, quem in animis benignis posuit? excessit, evasit, erupit! ut meritò brutis inferior censeri debeat, quòd filium suum, filium ab ipsis gratiis doctum atq; eductum, miserabili cæde sustulerit. Quis vestrum, A. tam immanis esset, qui in sua sæviat viscera? quis corpori suo, consultâ voluntate, vulnus temere infligi juberet? Vesanum igitur & furoribus ebrium judicium fuerit necessum est, quod Manlium ad talia impulit. Quanquam ne judicium quidem in filium reum, Manlio jure competeret. Habebat secum alterum Cõsulem, Decium, hujus utique arbitrio stare debebat generosus Juvenis, & cadere. Quid incõsulto egit Decio? quid crudelem præcipitavit sententiam? Quidni perpendit, FESTINATA judicia, improvida esse, nihilque magni discriminis negotiis, consiliisq; magis inimicum celeritate, celerem enim plerumque habent pœnam, certam pœnitentiam; sed eandem seram atque inutilem. Omnis in judicio ferocitas deponenda est! Aît quomodo deposuit Manlius? quo jure ipsemet judicium tulit? PRINCEPS

isthæc publicorum judiciorum causa exsistit, ne quis sibi ipsi ultionem permittat, ne quid proprio agatur impetu. Neque id immeritò! cæci nostris sumus in causis, & illatas vobis injurias justo majores putamus. Hunc verò, à gentibus prudenter constitutum ordinem, dum evertit Manlius, quid aliud, quàm superbæ crudelitatis sibi notam inurit? Sed quosdam mihi obloquuturos hîc intelligo, qui juste; imòjustissimè, illum jus patriæ potestatis exercuisse in filium, dicent. Antiquitus enim illud parentibus in filiorum vitam concessum esse, ut Dignitas Autoritasque, in quam peccassent, sarta tecta maneret, nec prætermissa ultio, contemtum ejus pareret, honoremque patribus debitum minueret. Fateor, Aud. antiquitus hoc jus fuisse; sed quanta cum honestatis injuria? EX legibus judicium exerceri debet non ex cujusvis, licèt parentis, impetu ac libidine. Latro est, non parens, desertor suæ stirpis, non conservator, qui in suos sævit. Deliquit filius? judici offeras, non ipse ultionem tibi sumas. Liberi caro patris sunt nova (ut sic dicam,) anima aucta, quos ipsa natura, cum parentibus arctissimè copulavit. Qui ergo ullo dissipari modò possint? Majorem quidem in Parentibus esse amorem, quam ut crudele quicquam in liberos tentent, à multis dicitur; Sed intueantur illi exemplum Manlii, quod impræsentiarum excutimus! Ubi hic paterni amoris stimulus? ubi scintilla caritatis? Sed iterum videor aliquos mihi ob aures versari, qui To

Te, Manli Junior, te Juvenem licèt generosum, neglectæ tamen legis, quam supra latam diximus, accusant, pessimique exempli reum statuunt, nisi remotus fuisses, adhuc plurium scelerũ Ducem atque caput futurum. Sed non apparet satis, A. Manlium hoc facto, hac victoria, interdictum consulare tantopere violasse. Nisi prorsus fallor, in eos ferebatur, qui, cæca ducti libidine, ut quandoque amat fieri, sola stimulati temeritate, hostem provocaturi, &, ob levissimas quasque causas, ad pugnam provolaturi essent. Sed si Manlium respiciamus, non hostis ab illo; sed ille ab hoste graviter lacessitus, nolens volens, certamen iniit, victoriamque reportavit. Quis de gravissimis etiam pugnæ irritamentis, quæ sine manifesto Reipublicæ vilipendio, omitti nequeunt, decretum intelligat? Si, tempore interdictæ à Consulibus pugnæ, Romani aliquot, ex improviso, ab hostilibus oppressi militibus, in vitæ discrimen venissent, nonne licuisset, defendendæ vitæ causa, vim vi repellere? naturæ ductum sequi, & mortem declinare? nec tamen interdicti consularis supinus hic contemtus fuisset. AT vita ipsa carior generosis mentibus fama est: ex generosa fama hominum in bellis successus pendent, & consilia. Necessarias ergo hujus vindicias, adversus probra hostis virulentissimi, à Manlio susceptas, quis tandem legis consularis prævaricationem nominet? Si Princeps, cum alio ad pugnam properans, exercitu in turmas, in manus, in cornua

nua jam redacto interdiceret, ne, se absente, cõgrederentur: forte autem fortuna accideret, ut hostis, irâ ductus præcoci, commodamvé credens pugnandi occasionem, cornu alterum, quo principem abesse noverat, invaderet, præfectusque hujus victoriam, ab ingruente hoste sibi quasi oblatam, animad verteret, eaque uteretur: numquid propterea palo alligandus, cum Manlio nostro & trucidandus esset? Benignior em ptofectò principis cujusvis mentem, in hoc casu, sperarim quàm ferocis nostri, (ut Historicus appellat) Consulis. Præterea, quid Consulum hîc læsam autoritatem putemus? Victricibus manibus eam Manlius noster asseruit, asseruit, fortiter, ne, apud totum Romanorum exercitum, objecta ab hoste meticulositas, contemtum iis generaret, quo quidem nihil Magistratui nocentius esse potest. NISI enim salva maneat illius Dignitas, nisi sancta sit Autoritas, parum, quod ab illis, ad reipublicæ salutem provenit, proficit. Sed quid tricamur amplius? Peccarit in legem Manlius: demus hoc Manliana gloriæ ostoribus: reus æstimetur supplicii, annon verò æquitas moderamen aliquod statuere, in tam generoso Juvene, debebat, ne, instar proditoris alicuj⁹ aut sicarii, in fami ac truculenta morte caderet? SVMMVM jus summa est injuria? Quis enim hos non accusaret injustitiæ, qui statim, ad gladium, ad rotam, ad ignem, aliquid tantùm pœnæ meritos, rapi trahique miserrimè juberent? NIHIL judici accidere

cidere potest glorioſius, quam ſi promptus eſt, in ſuppliciis, cum animus malitioſus in delicto abfuit, minuẽdis potiùs, quàm aſperandis. Unde magnus morũ Doctor. POENAM judices, ſi tutò poſſunt, donẽt inquit, ſin minus temperent. Quid n. magis proprium Reipublicæ gubernatoribus Clementia? Hæc prima illorũ dos: hoc pretioſiſſimũ dignitatis eminentis monile: hac prope ſolâ DEI ſervatur imitatio, cujus vices in terris Magiſtratus gerunt. Ut Parentes liberos peccantes ſæpe caſtigant quidem, interdum tamen, inconſulto delinquentibus, virgas modò oſtendunt, metumque pro pœna incutiunt; idem ſi ſequuntur Patres Patriæ, an non verè erunt, quod dicuntur? NEQUE ſtudere eos, neque odiſſe; ſed minimè iraſci decet, ut cum Julio Cæſare loquar. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia & crudelitas appellatur. At quid Manlius Conſul? omnia hæc neglexit: ut facti turpitudinem apud omnes augeret poſteros, iratus; quid iratus dico? crudelis perfecit, quod voluit, quanta cum totius exercitus indignatione? ſtupebant omnes, cum horribilis illa vox promeretur: Lictor, deliga filium ad palum! ſtupebant omnes, & jure ſtupebant, haud ſecus, ac ſi fulmine conſternati fuiſſent. Tota confeſtim caſtra, ploratu, lamentisque & planctibus perſonabant! Milites nec doloris magnitudinem capere, nec ſe ipſos intra ſtationem retinere, vagis & furentibus ſimiles: omnia luctu ac mœrore complere, lacrumati

mari conqueri! O factum atrociſſimum! O abhorrens ab humana facie facinus, cui ſimile nec præterita ſecula viderunt, nec ventura forſitan (abſit etiam hoc nefas!) viſura ſunt! Nemo certè non diras imprecabatur, tam inuſitati, tam inauditi Judicii autori. Ut enim improviſa magis feriunt: ita cum res adeo nova oppreſſiſſet milites, nemo ex illis tam ferus aut ferreus fuit, cujus in pectore luctum privatum, cum publico mœrore conjunctum, non excitaverit miſerabilis tam cari capitis, & mirabilis à Patre cædes. Contra naturam enim, contra humanitatem, contra æquitatem Imperatoribus dignam quæ agebat, agebat Manlius, haud perpendens ſecum, quanta, ex tali facto, incommoda eſſent oritura. Magna certè, & apud poſteros ſummo cum dedecore nominanda orta ſunt. Occiſus, & paternis furiis immolatus eſt adoleſcens generoſiſſimus, qui juvare adhuc patriam, ornareque plurimùm potuiſſet. Exſtirpata ſeges: exſtinctum germen Manlianæ gloriæ, filius qui clariſſimam nominis Manliani memoriam, ad poſteros, feliciſſimè propugnâſſet. Ad exempla ſanè laudum, ad nominis æternitatem natura eum genuerat, neque ullum de futuro eſſe poterat dubium. Aderant nativæ generoſitatis ſpecimina luculentiſſima: ipſum illud factum maximè Juvenem generoſiſſimum commendabat. Egregiam verò laudem, Pater, ſine animo paterno, & ſpolia ampla reportâſti ex hoc facinore tuo! Magnam à poſteritate honorem

norem conſecutus es, ſcilicet! ſtatim hoc, in adventu tuo, Romæ apparuit. Alii Conſules, ſtipante Romanorum Juvenum catervâ, reduces excipiebantur; ſed quis juvenum ſe tibi dedit obviam? Ne unus quidem! omnes Te, velut hoſtem aliquem naturæ, fugerunt! omnes omni vitâ execrati ſunt! O contemtum ut meritiſſimum mum: ita longe graviſſimum! Quid tibi durius accidere diris ejuſmodi & execrationibus publicis potuit? Quantis, poſt hac vexatus es conſcientiæ cruciatibus? quantis cruciatus morſibus, & laniatibus? tantis certè, ut & bellum infectum relinqueres, & ſine omni triumfo, ſine gratulationibus triumfalibus, lentâ tabe privatim cõſumereris. Quæ verò tui memoria, & gloria, in Hiſtoricis? quorũ utiq; munus eſt, illuſtria facta, in poſterorum imitationẽ, laudibus efferre, ſcelera verò, ad deteſtationem, reprehendere? factum tuum parricidium appellant! Hæc enim vox Numiſii, Imperatoris Latini, fuit: atrox, horrendum, & triſtis in poſteros exempli facinus nominant: hæc enim commendatio eſt ipſius Livii! Verè atrox, horrendum! triſte, facinus! Ligaris ad palum, juvenis generoſiſſime, vera Martis ſoboles & tradux! ligaris à Parente tuo! ligaris ad triſtiſſimum ſupplicium! Hæccine virtutum tuarum præmia? hæc animoſitatis tropæa? O miſerabilem coronam, triſtem lauream! bipenni laureatus atque coronatus es, meliora omnia meritus! ſed quid quæro? quid quæror? Licet parens tuus crudeliter in-

ingratus, ingratè crudelis, in virtutem tuam exstiterit, milites tamen pietatem in te suam, maximo omnes applausu, testati sunt, spoliisque contectum corpus tuum, quantum militaribus studiis ullum concelebrari potuit, ornârûtque. Pietatem in te suam testata est Romana Juventus, in cujus memoria adhuc pugnas, adhuc victis, adhuc, contra truculentiam Patris, generositatem tuam tueris: in omnium bonorum animis erecta tibi gloriæ statua est. Floresce in iis & virescè, adolescens glorioſissime! Hic, hic tuæ generositatis habes præmia! hic, hic sempiterna coronaris gloriæ laureâ, quam nulla tibi diripiet rapietque crudelitas! honorem nominis tui omnes, in historiis prædicabunt, commemorabunt, mirabuntur. Nam cum aliàs illustrium virorum ornamenta sint sepulcra, Tu sepulcri ornamentum æternum es. Manli juvenis, vive, & æternâ gloriâ indesinenter inclarescè!

PRO MANLIANO IMPERIO.

ORATIO.

INterrogatus aliquando Solon, sapientum Græciæ spectatissimus: quibus præcipuè rebus contineatur Respublica? duabus, respondit, præmio & pœna. SI enim altiùs nonnihil mentis oculos artollimus, actiones hominum curatiùs inspecturi, videmus utique, nihil magis eorum, qui vires atque cogitationes omnes ad virtutem exercendam cõferunt, mansuræq; post mortem glorię avidi, æternâ apud posteros famã cupiunt, animos excitare, q̃ si digna laboribus præmia proposita esse, quibus boni exornentur; cæterorum verò, qui nullo laudis aut honoris studio ducuntur, licentiam, meritâ facinoribus pœnâ militari animadvertant. Etenim quis hominum diurnos noctrurnosque labores, domi militiæque, susciperet, si iisdem finibus præmia, quibus labores terminarentur? Quis unquam, magna conatus, in Reipublicæ periculis cum virtute versaretur, nisi spes illustrium prmiorum eum, non modò duceret; sed etiam traheret! Annon enim multò esset melius, otiosam ætatem & quietam, sine ullo labore & contentione, traducere? Tum demum animus, ad alta sese erigit, cum præmiorum incentivis excitatur, ut etiam cum maximo periculo conjuncta, subire fortiter audeat: Contra nec opprimere quicquam validius malos potest, quam severa in ipsos animadversio, quibus plurimi deterrentur à sceleribus, & ita deterrentur, ut, qui ante pessima, adversus Rempubl. coxerunt consilia, pœnarum metu ad frugem denique & obsequium feliciter revertantur. Quis enim, nisi prorsus perditæ conditionis, nisi ab omni honoris & laudis sensu alienus, quem

non supplicia , & cum ignominia præsertim conjunctæ pœnæ moveant , ne tale quid committat in Rempub. cujus non nisi cum magno dedecore & famæ damno , pœnas dare possit? Quin imò DELINQUENTIUM castigatio & bonorum remuneratio duo illa sunt , quibus omnes homines ex voto informantur : ad utrumque enim horum aspicientes , illam quidem ob metum fugiunt ; hanc ob gloriæ studium avidè concupiscunt. Quis ignorat, ipsam etiam virtutem, deficientibus illius præmiis, deficere? NEC minùs enim virtus , quàm res aliæ , certam sibi metam habet propositam, cujus intuitu, quæ ab homine geruntur , geruntur omnia. Quisque præmium laboris desiderat: pauci inveniuntur, qui solius virtutis amore (ut fieri quidem debebat,) benefaciunt: ubi præmia sublata sunt , ibi , qui præmiis dignum quid faciat , haud ferè ullus invenitur : apud quos verò egregia proponuntur , in eorum Repub. viri præstantissimi non parcè existunt. Quemadmodum in corporibus humanis, nisi pars ægrota vel convenienti medicinâ sanetur, vel , si immedicabilis fuerit, planè rescindatur , inter reliquas etiam omnes morbus diffunditur : ita, si è Republ. pœnam tollas & castigationem , omnia flagitiis, omnia sceleribus imples , omnium generum facinora , & præsentissimum illius exitium foves. Nec enim in Platonis vivimus Republ. in qua viri supra viros, ET homines nondum visi statuuntur; sed quæ hominum est , inter

ter vitia jacentium, & malis omnibus contaminatorum: vivimus inter illos, qui ad mala omnia procliviores , quam ad bona sunt: nulla tam inhospita regio est , quæ non sit hospitalis vitio. Cum primis verò in bellis præmiorum & pœnarum vis maxima conspicitur ; sicut benemerentibus splendidissima erogantur præmia , ut audeant ; ita nec pœnis in delinquentes parcitur, ne mala audeant : ob minima delicta , eò quòd maxima etiam ex minimis oriantur mala, gravissimè puniuntur. Memorabilia ejusmodi severitatis, in Republ. Romanorum, sunt exempla, quibus , sine ullo personarum respectu, ipsâ quoque liberorum caritate , disciplina militaris fuit antiquior ; inter quæ præcipuum, & inquisitione solidâ dignissimum videtur istius Consulis T. Manlii, qui, ut auctoritatem Romanam, & leges militares conservaret integras, suum ipsius filium , quòd contra expressum Imperatorum mandatum in hostem pugnâsset , ad supplicium abduci jussit , doloti suo , & suorum saluti , bonum publicum laudabiliter præferens. In cujus viri factum, optimorum semper laudatum judicio , cum Prædecessor meus , tanquam crudelissimum, graviter invectus sit , mihi verò illud, pro ingenii mei viribus , quas penitùs exiguas libens profiteor , ab inusta turpitudinis crudelis nota liberare , animus sit , à vobis ante omnia , Viri omnium ordinum honoratissimi, precibus quantum possum , contendo , ut mihi vestrâ toties spectatâ humanitate , tanquam

vento secundo, qui ad optatum portum me ducat, ad brevissimi temporis spatium, uti liceat. Non sine ratione glorioſissimus quandam Carthaginensium Imperator, Hannibal, cum, pacis causa Scipionem conveniret, Romanorum notavit ingenia: novi, inquiens, vobis magnos magis esse spiritus quàm utiles. Revera n. Romani, successibus, sine dubio, secundis elati feroces ad omnia afferebant, ut, si ullibi aliàs, in ipsorum certè Republica, severis legibus, ceu frenis quibusdam & lupatis, ad continendum animos, ad compescendum magnos illos magis, quàm utiles spiritus, opus esset maximè. T. Manlius eodem ferociæ nomine ab Historico descriptus, omnium optimè noverat, ignea hæc civium suorum ingenia, quodque non aliter, quàm severâ disciplina, qua tam diu res Romana steterat, in obsequio possint retineri. Autoritatem igitur concilii bellici, suo maluit sanguine asserere, quàm, cum læsione majestatis Reipubl. Romanæ, ab ea dissentire. Etenim, quis aliàs fuisset Magistratus respectus? quæ obedientia militum cæterorum, si tam impunè, contra expressum Consulum mandatum, contra totius bellici concilii edictum, contra denique totius Romanæ Reipub. salutem, peccare licuisset? præsertim in bello, tam gravi, tam difficili, tam dubiæ aleæ, in quo, si succubuissent Romani, de toto eorum imperio actum fuisset. De gerendo certè illo, tot viri Consules, Imperatores, Patres, diutius & operosius, quàm de ullo alio, prudentissimè consultarunt, multa non sine urgenti causa, veriti, dum hostis sui conditionem acriùs expenderunt. Latini namq; erant, junctis Campanis, & aliis potentissimis populis, lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus, Romanis pares, milites militibus: centurionibus centuriones: tribuni tribunis compares. Agitatum igitur in concilio, ut, si quando unquam severo ullum imperio bellum administratum esset, ut disciplina militaris, tunc vel maximè, ad priscos mores redigeretur. Ne quo autem errore milites caperentur, omnibus & singulis, sub pœna capitis, edicunt Consules, ne quis extra ordinem pugnaret. Quod mandatum, ut à ducibus profectum erat: ita quoque milites omnes, nullo refragante, maximi minimi, promptissimè observabant. Solus Manlii filius, magnum quoque magis, quàm utilem spiritum gerens, spreto illo, & omni periculo posthabitô, nulla urgente causa, nulla cogente necessitate, non virtutis alicujus instinctu ductus; sed unicè ostentandarum virium causa, edictum imperatorium temerè negligit, & cum hoste in certamen descendit. Quod factum esse potest iniquius? Patri reluctatus est filius: Imperatorem & Ducem suum contemsit miles: sanctas leges patriæ neglexit subditus, neglectas violavit, violatas aliorum quoque commilitonum suorum contemtui exposuit: imò totam Rempub. in discrimen adduxit maximum. QUÆ ibi, non dico temeritatis,

tis, quæ in hoc tamen facto fuit; sed negligentiæ venia, ubi de salute certatur, esse potest? in bellis certè momenta quoque tanti sunt, ut breviſſimum temporis ſpatium, ſi quid ſiniſteriusagas, plurimum obeſſe poſſit. IN aliis rebus ſi quid erratum eſt, poteſt corrigi poſtmodum; præliorum delicta emendationem non admittunt: pœna ſtatim errorem ſequitur. In bello non licet bis peccare! Sed graves admodum, ſi Diis placet, ac prægnantes cauſæ ſunt allatæ & exaggeratæ, quæ impellere, ad hoc imperatorii edicti vilipendium, juvenem potuerunt. Quænam illætira ſcilicet, qua incaluit: impatientia, qua excanduit: ætas juvenilis, qua inconſultius abreptus eſt. O invicta rationum robora! O munimenta inobedientiæ Manlianæ robuſtiſſima! ſed quæ eadem facilitate, qua ponuntur, diſjici haud dubiè poſſunt. Quam enim excuſationem mereri exiſtimatis eum, Aud., qui ira temeraria delinquit? IMBELLE commiſſorum ea eſt patrocinium, ut ipſe prædeceſſor meus faſſus eſt, neque, qui malis abripitur affectibus, à vitiis, per eos, alienus eſt: honeſti & prudentis eſt, ut ne iiſdem ſeſe patiatur obrui; ſed eos rectæ rationis freno coërceat. Quod ſi ex affectibus peccantes excuſari poſſunt tam facile, quidni omnium vitiorum maculas hac una eluimus ſpongia, quæ ex affectuum impetu plerumque proveniunt? Neque quicquam juvat, quòd quis Manlium impatientia correptum dicat, impatientia, animorum omnium perturbatrice,

ce, quæ præterita bona delet, præſentia inficit, futura impedit. Magis decebat frugi juvenem, filialis obedientiæ armis, adverſus vim illius, ſe munire, & cum laude bonæmentis hoſtem ſuperare. Sed in lubrico ætatis flore conſtitutus fuit! Quid tum? numquid hoc eum culpa eximet? hoc minùs juſtè punitum fuiſſe evincet? Profectò, cum illius ætas ad res, quas tantopere afferunt ac efferunt, gerendas apta fuerit, cum exercitus parti præfuerit, quidni & iis, quibus parerat, ſubjicere ſi potuiſſet? idque eò promptiùs, quod AD parendum juvenilis, ad imperandum ſenilis ætas quaſi facta ſit, ut nihil magis egregiis conveniat adoleſcentibus, quàm debitum ſemper parentibus honorem, ſenioribus reverentiam habere, legibus alacriter & ſtudioſè obſequi. Sed, ô Deum immortalem? nihil horum omnino Manlii filius præſtitit; imò, violando iſthæc omnia, patre ſuo, tam illuſtri itidem & ſplendido genere, totaque laudatiſſima patria Repub. indignum ſeſe oſtendit. Ubi enim honor parentis? mandata, quæ ſevera dederat, non ignotus aut ignarus talium è grege miles; ſed ipſius mandantis filius ſprevit, contemſit, abjecit. Ubi ſacra legibus obedientia? non extraneus eam: ſed indigena, nobiliſſimæ familiæ eques, & cui meritò legum cura cariſſima debebat eſſe, violavit, ſuſtulit. Ubi ſuperiorum reverentia? hanc non incultus miles; ſed ipſius Conſulis & Imperatoris filius, militum præfectus, abjecit, ſeque eorum autoritati temere op-

posuit. O factum à Consulis filio in consultum! à nobili ingenio penitus ignobile! Sed hoc ipsum, quod Consulis filius fuerit, ad facinus illius elevandum, aliqui usurpant, plus ipsi licitum fuisse, quàm alicui ex vulgo, dicentes. MIRVS sermo, Audit. qui parentum dignitates scelerum velamen facit, quæ filii in Rempub. perpetrant degeneres! Pessimus sermo, & ipsum honestatis ordinem pervertens! Largiamur hoc: fuit Manlii Consulis filius; Sed eo ipso ad præstandam edicto obedientiam, obligatior fuit & & obstrictior. Quid ita? quia MINUS licet magnorum virorum, quam plebeiorum, filiis, ne exemplis scelerum privatim noxii, publicè exitiosi fiant. Quantum enim exempla magnorum possunt in utramque partem? ALIA aliis licentia est, ut primus Romanorum monarcha loquitur, qui demissi in obscuro vitam agunt: si quid ipsi, aut eorum quidam, deliquere, pauci sciunt: fama atque fortuna eorum pares sunt; qui verò, magno honore præditi, in excelsò ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales noverunt. Ita in maxima fortuna minima licentia est! Rectèque huic consonat illud Magni Ciceronis: SI quis ab incunte ætate habet causam celebritatis à parentibus, in hunc oculi omnium conjiciuntur, & in eo, quid agat, quomodo vivat, inquiritur. Quid multis? Levis verruca aut lenticula, in facie, plus affert dedecoris, quàm quæ in abdito corpore latent magna stigmata. Quam turpi igitur se suosque nota maculant,

lant, degeneres istæ animæ, illa familiæ patriæ dehonestamenta, si, cum Manlii filio, parentum dignitate gloriaque, ad delicta, sive perpetranda, sive pallianda, tàm protervè abutuntur? QVANTO vira parentum præstantior, tantò eorum nequitia flagitiosior est. Ut enim loci alicujus turpitudo, objectu lucis, fit cõspectior: sic ille parentum splendor, illa dignitas, degenerum filiorum nævos magis detegit & labes, ut longè latius esset, latere illos, quàm in tam clara luce, in illustri virtutum theatro, à parentibus collocari. Quæ cum ita sint, quî potuit aliter parens justissimus, quàm autoritatem legis bellicæ, morte filii, ad quam, temere neglecta, strictim obligabat, asserere? asserere profectò debuit, cum publica esset, & in totius Reipubl. salutem, omnium procerum consensu, constituta. Asserere & suam ipsius debuit autoritatem, quæ in hoc delicto filii graviter periclitabatur. HANC enim fine dubio, amittit, qui, in suorum vitiis, publicè connivet, quid dicam, ea defendit? defendisset autem, si filium, tam graviter peccantem, contra leges, contra edictum publicum, liberum abire permisisset. Audiamus præclarum illud Regis istius prudentissimi, apud Cassiodorum, hac de re, judicium: à domesticis volumus inchoare disciplinam, inquit, ut reliquos, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere, peccare pudeat. QVID enim aliud est, permittere suis vitia, quàm aliis mandare? quid aliud, quam magni-

tudinem fortunæ peccandi licẽtia metiri? quid aliud, quàm in aranearum telas leges vertere, quas magni perrumpunt, parvi implent? O judicium Regis verè regium, & egregium? judicium, parentem Manlium non excusans tantùm; sed etiam commendans. Cordatè veteres egerunt Romani, qui, perruptis necessitudinum vinculis, ultionem vindictamque læsæ disciplinæ, cum ignominia domuum quoque suarum, exigere, quàm, exemplis indulgendis, eam corrumpere maluerunt! Videte P. Rupilium Consulem! eô bellô, quod cum fugitivis in Sicilia gessit, Q. Fabium, generum suum carissimum, quia negligentiâ suâ Taurominitanam arcem amiserat, publicè reprehensum, provinciâ jussit, cum dedecore, decedere. Videte C. Cottam! P. Aurelium, Pecuniolam, sanguine sibi & amore junctissimum, virgis cæsum, gregalis militiæ munere, inter pedites, fungi coëgit, quod ejus culpâ ager incensus, & pœne castra capta fuerant. Videte Q. Flaccum Censorem! Fulvium, fratrem suum, cohortem legionis, in qua Trib. milit um erat, injussu Consulis domum dimittere ausum, senatu ignominiosè movit. Quis hîc laudatissimum servandæ disciplinæ rigorem nõ animadvertat? Sed majus audiamus, & admiratione dignius exemplum illius, qui, ne legibus autoritas deesset, proprio eam sanguine confirmavit. Postumius Dictator, Postumium, filium, quem ad generis penetraliumque sacrorum successionem propagandam genuerat, quia non

non suo jussu: sed sponte, præsidio progressus, hostes suderat, victorem securi publicè feriri jussit. Quis talia similiaque majorum, magno salutis publicæ applausu commodoque facta, magnum Manlio stimulum, majus auctoramẽtum fuisse dubitet, ut, antè óculos sibi posita, non intueretur solùm; sed & imiraretur? Summâ utique honoris gloriâ meritò afficiendus, quòd, majorum suorum vestigia secutus, patriæ amorem voluerit amori suo erga filium præferre. PATRIA enim esse debet, quæ caritates omnium superat & complectitur: Patriæ salus, non indulgentia in filios, aut alios sanguine junctos, suprema rerum agendarum lex esto. Hæc lex Manlii Consulis fuit, aut sacra potiùs Agonia, quæ eum, ad vim legis conservandam, impulit. Quid ergo hîc iniqui est? quid injusti? Esset autem utrumque, si, à tanto Consule, aliter factum esset. Quantum verò illud est, A. quod patris sui jussu ad supplicium sit ductus filius inobediens? Profectò, quanta Patrum in liberos olim potestas fuerit, quodque eos, non tantùm, sine ulla ad forum delata accusatione, graviter punire; verùm etiam, ex potestate patria, occidere impunè potuerint, nemo nescit. Quanquam ergo mei non sit propositi, nec hujusloci, multum pugnare, quo jure nitatur illa multorum populorum constitutio, ut parentes jus vitæ & necis in filios habeant: aliis hanc quærcum ventilandam relinquo; satis tamen indè manifestum est, quod, illa ætate, quâ lex

talis

talis viguit, nemo non justissimè fecisse Manlium patrem dicere posset. Lex enim fuit, cujus indolem non tollit qualiscunque injustitia: QUi ex præscripto legum, actiones suas instituit, reus certè alicujus criminis nullus dici potuit. Sed superiorem nihilominus legem violatam esse, clamitant, quæ non est scripta; sed nata: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti; sed facti: non instituti; sed imbuti sumus: in hanc peccavit noster Manlius, hanc deseruit, à naturali, quo omnes erga liberos affecti sunt, amore, crudeliter decessit. Sed parcius ista quidem urgeantur! Si prompto animi prolubio, ad maturandam filii cædem, veniisset, jure forsan vapulare posset pater optimus; Sed quis tam ab omni ratione alienus est, qui non, ex tota actione, videt, invitissimum eum, ad supplicium, de filio sumendum, descendisse? quis non ex suo ipsius animo conjicere potest, quantò, pectus patrium, dolore contabuerit, cum videret, filium suum, filium fortem & victorem, filium dilectissimum, ad supplicium abduci, &, ad id peragendum imperium paternæ vocis & consulare requiri? Sed data erat lex sub capitali pœna, lex strictissima; lex ferrea, ut militares appellantur, ne quis extra ordinem hostem aggrederetur, data erat: violata à filio, pœnas itidem ab eo poscebat, quanto quanto cum mœrore, sive patris, sive filii, sumerentur. Expendite rursum, A. si placet, rem gestam

gestam cum animis vestris? Cum ex hoste victo, spoliis lectis ad suos reverteretur filius Manlius, tanquam re bene gestâ, ad prætorium, ad patrem properans, factum juveniliter ostentabat. Quid ibi patet? inter gemitus, sine dubio, ineffabiles, inter secretos dolores in has voces linguam solvit, quas Historicus maximus affert. Quandoquidem tu, T. Manli, neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum, extra ordinem, in hostem pugnâsti, &, quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua steterit ad hunc diem Romana res, solvisti, meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut Reipubl. mihi, aut mei meorumque oblivisci endum sit, nos potiùs nostro delicto plectemur, quàm Respub. tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum; Sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem, cum ingenita caritas liberorum, tum specimen istud virtutis deceptum, varia imagine decoris, in te movet; sed cum aut morte sua sancienda sint Consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda; nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem, culpa tua prolapsam, pœna restituas. O vocem patre, & Consule dignissimam! Quis neget, triste hoc, ut nominat tristissimus pater; exemplum fuisse? Triste in primis Patri Manlio, cujus oculos certùm scio, clarissima in luce, lacrumarum tenebris offusos, cum hæc diceret

ad

ad filium, quem ad generis sui familiæque successionem educaverat: cujus infantiæ blandimenta sinu atque osculis foverat: quem puerum literis, quem juvenem armis instruxerat. Triste Decio collegæ, qui, officii imperiique sic procul dubio & consiliorum istiusmodi socius fuit: ne ejus utique judicio nihil factum est. Et hunc quidem, cum ipse vitam suam pro exercitu devoverit, projecerit que, quis in Manlii inobedientiam mollem exstiturum fuisse diceret? Triste toti exercitui, quòd viderent, juvenem aliàs fortissimum, commilitonem sibi carissimum, mortem, sua sibi inobedientia, accelerâsse. Triste fuit bonis omnibus; sed necessarium fuit; sed utilissimum fuit; sed conforme legibus fuit. Necessarium, ut læsa disciplinæ militaris gloria, fundus & suggrunda publicæ salutis, incolumis servaretur: utilissimum, ut Imperatorum consiliique bellici auctoritas, anima exercitûs totius, illæsa maneret: conforme legibus, quarum jussu temerarius in hostem pugnator occidendus erat. Quid igitur turpitudinis, in hac severitate patria culpabimus? quid contra naturalem amorem, contra propensam in liberos benevolentiam delictum dicemus? AMOR parentum non est verus amor, si iniquus, si contra amorem honestatis, contra decus salutis publicæ est, sequioris indulgentiæ indolem induit. NEQUE in hoc consistit parentum in liberos benevolentia, quam DEUS indidisse dicitur, si omnia iisdem agere pro lubitu permittant, si præ-

præcipiti juventuti habenas disciplinæ laxent, & ad vitia pustulantia in fertili hoc nequitiæ solo non conniveant solum; sed & ferant, probêt, applaudant. Vnde enim, nisi ex hoc tam venenato indulgentiæ fonte, effrenis illa morum barbaries, & projecta licentia, omnium vitiorũ quasi sentina, oritur, quæ postmodum urbes, regiones, & totam denique Rempubl. turbant, vastant, & evertunt penitùs? in hanc igitur cudenda ignominiæ faba! hæc omnibus turpitudinum notis est dignissima, quia in civili vita corrumpit omnia! Ne illos horrido crudelitatis nomine notemus, qui connatam juventuti petulantiam & ferociam, severiore disciplina coërcent, qua longè plurima Reipub. commoda afferunt. Manifestum hoc, ex ipsius Manlii severiori facto evadit, cujus commoda omnia quis paucis proferat? Verè enim hic factum est, quod fieri in pœnis debet, ut EÆ ad paucos; metus ad omnes perveniat: ut unius supplicio multorum improbitas prævertatur. Omnes enim exanimati isto facto milites, nec aliter, quàm in quisque districtam cernentes securim, reverentius habuerunt edicta Consulum. Quê verò legum valorem ac sanctitatem putatis futuram fuisse, si ipsi leges impunè licuisset transgredi, qui earum valore ac sanctitate, metum omnibus incutere tenebatur? NIHIL omnino leges contemtiores reddit, quàm si impunè negligantur à latoribus: ut vigeant & valeant, in hac morum atque hominum colluvie, metus haben-

habendus aut faciendus est: hic enim est: qui quemque ad suum officium trahit: hic est, qui multum confert ad subditorum obedientiam. Vulgus enim non ita natum est, ut pudori obsequatur; sed metui: nec ut abstineat à pravis ob turpitudinem; sed ob supplicia & pœnam. Ideò, Reipublicæ causa, adhibenda est severitas, quâ sine administrari civitas nulla potest. Quid de autoritate Imperatoris dicam? REI gerendæ acre illa telum est, multumque in bellis administrandis, atque imperio militari valet. Nónne autem hac severitate Manlii integra servata est? Profectò, si, ab ea, lenitate passus esset se abduci Manlius, quæ apud hostes, quæ apud socios, quæ denique apud cives Imperatorum valuisset existimatio? NEMO eum facile metuit, apud quem reconditum & constrictum gladium novit, quique per segnitiem potiùs, quàm clementiam, patitur hebescere aciem autoritatis suæ. HÆC anima est imperii, hæc efficit, ut tot mortalium millibus una anima nonnunquam præsideat: hâcipsa omnia videmus, quasi mente aliqua, regi atque administrari. Quamvis ergo hæc tanta sint, ut sufficere mihi possint, ad declarandum commodum præcipuum; sed multiplex, quod factum istud Manlii toti Romano imperio attulit: addendum tamen mihi est, quantum ad stabiliendum & firmandum præcipuum, illud decus Rom. Imperii, auctoramentum attulerit, ut militaris disciplina feliciter reduceretur. Verissimè Imperator ille ad mili-

milites: DISCIPLINA majorum, inquit, tenet Rempubl. quæ si dilabatur, & nomen Romanum, & imperium amittemus. Nam sine ea quid delectus? ille saltem, qui possint esse boni milites, invenit; sed hæc facit tales & servat. Paucos viros fortes natura procreat; bona institutione plures reddit industrios. Et verè tales reddidit Manliana severitas: atrocitas enim pœnæ obedientiorem Duci fecit militem, & præterquam, quòd custodia vigiliæque & ordo stationum intentioris ubique curæ erant, in ultimo etiam certamine cum descensum in aciem est, ea severitas profuit. O illustrem commendationem Historici, quâ ipsam victoriæ secutæ gloriam, huic Manlii imperio adscribit! Verè enim vates fuit Manlius, qui, oratione suâ, quam audivimus, prædixerat, triste quidem; sed salubre hoc futurum exemplum, quod in suo statueret filio. Quis enim auderet transgredi legem, quam suo sanguine Consul firmaverat, etiamsi antea fuerit petulantior? NEQUE enim tam imperio, quam exemplo emendantur milites, inprimis superiorum, quoniam ad alta versæ plerumque illæ mentes & oculi. Obsequium in Imperatorem & æmulandi studium validiora, quàm pœna ex legibus, & si in Principe amorem disciplinæ videant & virtutem, sequuntur & obsequuntur facilius. Quid? quòd, multos post annos, rigor ille Manlianus insigniter profuit, quod asserendæ militaris disciplinæ incitamentum exstitit solidissimum. Hocipso enim

Papyrius Dictator eam contra populum, contra Tribunos plebis, contra totum denique senatum, defendit feliciſſimè. Nã cum, adverſus imperium ejus, Q. Fabius, Magiſter equitum, exercitum in aciem eduxiſſet, quanquam fuſis Samnitibus in caſtra redierat: tamen neque virtute ejus, neque ſucceſſu, neque nobilitate motus eſt Papyrius: ad ſupplicium eundem trahi voluit. Pater Fabii, tot in Rempubl. meritis inclutus, & grandæva canitie venerabilis; perterrefactus, non tantum ſupplex factus eſt Dictatori; ſed auxilium Tribunorum humiliter imploravit, Senatum ad intercedendum commovit, populum precibus fatigavit, pro filio; ſed fruſtra! Papyrius, quantumvis ex altera parte ſenatus majeſtas, favor populi, tribunitium ſtaret auxilium, hortatus populum eſt, eumque ad Manliana imperia ad poſthabitam filii caritatem utilitati publicæ, revocavit, & quàm ſanctè jus illud diſciplinæ militaris à majoribus obſervatum ſit, inprimis Manlii exemplo oſtendit, quo etiam tantam Tribunis anxietatem injecit, ut, ſtupentes penitus, ad preces & obteſtationem, quale quid nunquam ab iis factum erat, verterentur, firmatumque imperium militare non minùs, tum periculo Q. Fabii, Viri Clariſſimi, quàm ſupplicio, adoleſcentis Manlii, manent. Eat nunc, quicunque factum hoc culpare auſit! perfricet frontem, & dicat nobis, quid eo ipſo queat eſſe utilius? ruptum diſciplinæ militaris vinculum ſolidavit, Imperatorum Conſulumque autoritatem confirmavit, totam Rempubl. victoria ſeveritatis hujus beneficio obtenta, conſervavit, profuitque, cum non fuit ampliùs, & hæc commoda in poſteros proſperrimè propagavit. O laudatiſſimum ſervandæ ornandæque Reipubl. ſtudium! O ſingularem patriæ amorem! Fruſtra damna effinguntur, quæ ex inde fluxerint! Annon præſtabat, unum puniri noxium, quàm legis autoritatem, Conſulum majeſtatem, diſciplinam militarem collabi? Neque judicium Romanæ juventutis tanti eſt, ut contra prudentiſſimos viros, vel tantillum, valeat. JUVENTUTIS eſt, quæ temeritate ducitur, & ad excandeſcentiam proclivis, non metuit; ſed temere confidit. Nec vox hoſtis Numiſii, qui parricidium vocavit, quicquam ad rem facit; vox hoſtis Romanorum eſt: quid mirum, quod optimè etiam facta in deteriorem partem interpretetur? O miſerabile potiùs & lamentabile Manlii juvenis fatum? O diram in eum diræ fortunæ ſævitiam; quæ, ut maxima quæque in lubrico ſunt, ſpes hominum ex improviſo ſæpius eludit! quis non vicem ejus doleat? Juvenis egregius, juvenis nobilis, Illuſtriſſimi patris non degener filius, ſecunda patriæ ſpes, nobiliſſimæ familiæ columna, in ipſo juventutis flore cadit; ſed ſuo cadit meritò, ne cadant omnia. Quis non vicem doleat parentis optimi, qui filium cariſſimum, inopinato fortunæ caſu, amittit? filium, quem honoris & paternæ dignitatis ſucceſſorem futurum

rum colligebat, filium, quem suo nō indignum genere, jam tum videbat. At omnem patri spem, gravi hoc delicto, protinus ademit. NIMIRVM ea vitæ nostræ est conditio: si quis latioris fortunæ radius affulget, ecce minantis, & novercantis simul umbra adest, & prioris excipit vestigia. Sed quid dolendum te dico, Manli Consul, Vir fortissime? gratulandum tibi potiùs est, quod, tantâ animi magnitudine, Reipub. præfueris, cujus nunquam, nisi cum horrore & honore, recordabitur posteritas: quòd patriæ salutis amorem, amori in filium, laudabiliter prætuleris, ut tuo tàm illustri exemplo, viam ad obedientiam legibus præstandam, præires. Quid enim est quod efficaciùs moveat? quod acrius flectat? Nec enim tàm ab homine, quàm ipsa veritate profectum videtur quod præcipuus quidam temporum superiorum monuit Historicus: MISCEAMUS maria cœlo, inquieris, non ante sanctis vivetur moribus, nō pie formabitur pectus cæterorum, nisi sanctitate imbutis morum magistris, iisque, qui vitæ mortalium præsunt, non parebunt ex animo legibus alii, lege alios solventibus iis, qui leges moderantur, seque immunes legum postulant. In animis tenuiorum regendis, exemplo magnatum antistitumque potiùs, quàm imperio opus est.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

COLOSSUS PROPHETICVS.

HUnc enim Daniel, vir desideriorum, nobis exhibet, Doctorem Regū regum maximi, venturi temporis interpretem, qui, cum nec nihil esset, nec aliquid, tot tamen opera vigiliarum somnianti explicabat. Terrebat quidem Regem imperterritum; sed Dei quoque voluntatem & fatorum ordinem docebat, sine voce, sine verbis, sine literis, membris tantùm & metallis, quæ non erant, ea, quæ & erant, & non erant, indicans. Quis mirum hunc docendi modum non miretur? Nullus veterum Doctorum novit eum, nullus nōsse potuit. Docebant exiudem quidam lacrumis, cum Heraclito, Ephesio Philosopho, vesaniam corrupti seculi plorantes, quam nec agnoscunt ægri homines, nec mutant: alii, majora lacrumis tot mundi mala reputantes, risu informabant alios, cum Democrito, ut & ridendas quorumcunque statuum ineptias, & varios fortunæ turbines ostenderent. Quid unam illam Pythagoræ literam, & numeros ad calculum revocem, quibus innumeros & literatorum, & rudium errores efficaciter notabat? Ipsam modò bestiarum scholam vide! illam hîc in stabulis: ibi in pastuis Æsopus olim aperiebat, ut vitæ laudabiliter

agendæ monita, humanis animis, insereret. Monstrum hominis & Doctoris! Ethicam in feris & Politicam tradebat: regnum, bella, pacem, fœdera earum memorabat & inducias, quæ tamen omnia nec visu quisquam, nec auditu perceperat. Omnes ita, ne deciperentur, decipiebat; sed ut Medicorum filii, qui ægrotorum culpâ, sine suâ, quandoque mentiuntur. Sic ad naturæ in pecoribus tribunal provocabat prudentissimè, cum in hominibus jus ejus toties laboret. Magnum adhuc ei minervale debent principes politæ sapientiæ, Ægyptii, quod, per legatum suum, Eranum, tot sapientiæ civilis ab Æsopo monumenta didicerunt. Facile crediderim, notas eorundem hieroglyphicas, ex schola ista, ortum habuisse: nisi altius efferre mentem placeat, & ipsum Deum, principem hieroglyptem, ducem atque lucem informationis hujus dicere. Deus certè, ut res maximorum Regum gestas, ut summorum quatuor imperiorum indolem doctret homines, sub bestiarum formis Danielem docuit. Quid obstat, quin exspatiemur ad mare illud, ex quo assurgentes olim Propheta vidit? Ecce grandem hîc Leonem, aquilinis alis spectabilem! robur illo Monarchiæ Assyriacæ & gloriam ostendit. Ecquis enim leoninam ejus generositatem? quis felicem aquilæ, in subjugandis populis, velocitatem non suspicius? evulsis tamen alis, datò corde muliebri, pedem tandem figit bestia, quiescit rabies, & mole suâ obrutum exspirat imperium. Sed Vrsus quoque surgit carnivorus, tres oris costas exserens, & Monarchiæ Persicæ ingenium propalat. Annon enim plerique in eadem Reges fumantem ursi nasum habuerunt? parvò ictu ad

ad bella, ad cades, ad lanienas excitati sunt, & truculentos in humana carne dentes fatigarunt. Quis vero Pardus ille alatus quadriceps? Alexandrini geniti interpres, Græcæ Monarchiæ & fatorum ejus nuncius. Quid enim est in Pardo notâ dignum, cujus instar in Alexandro, & virtutibus, & vitiis magno, desideres? quid aliud quatuor capita, quam tot illius regna principalia, in quæ Duces totum ejus Imperium divulserunt potiùs, quàm diviserunt. Quam verò terribilis, quam horrida est bestia ultima, dentibus ferreis, unguibus æneis, decem cornibus terribilis & horrida! Conditionem Monarchiæ ultimæ loquitur, & amplam antehac, in decem regnis, potentiam, quæ ex effreni dominandi libidine, familiari admodum Romanis morbo, nata est. Infaustum verò cornu parvulum, humanis oculis, ore maledicô, quod in alia, ex quibus surgit, grassatur. Vaferrimè blasphemus Mahomedes est, qui cum terribili hac bestia terribiles, ad finem usque mundi, motus miscebit. O si altior, in istîsce Dei adyta, pateret aditus! saluberrimis quibusque rebus ista omnium Doctoris hieroglypha nos erudirent. Neque aliud Colossus facit Propheticus. Quot uplicia metalla ejus sunt, tot summa regna, tot regnorum indices: Caput, pectus, venter, tibiæ, vastissimas imperiorum moles ac ruinas denotant. Quid Colossum solis, tot annorum opus, inter mundi jactant miracula? immensæ quidem fuit magnitudinis, ut plenis quoque velis, sub divaricatis illius pedibus, navigia ingrederentur; sed quid hoc ad nostrum? noster Dei est miraculum, non mundi, per quem universum distenditur: occidentem adhuc atque orientem im-

plet, licet dudum evanuerit. Frustra enim, prome-moria illius, aureum deinde excitavit Nabuchodonosor: neq; frustra tantùm; sed & impiè: coli enim impiè volebat, sicut nostro tempore colossum dicam, an idolum Marianum? in Monacensi foro colunt Bavari. Impiè! Nos piè potiùs mirabilem Dei colossum intuebimur, attentiusq;, qvia Dei est: non tamen, ut horrorem inde, cum Nabuchodonosore, sentiamus; sed ut informemur, & dum, quod videmus vel audimus à Viro Dei, intelleximus, longè colligamus aliud, quam quod vidimus, audivimus, intelleximus. Nec enim aliter intelliguntur hieroglyphica aut prosunt, nisi non tàm visa opera, quàm quæ sub iis latent, attendantur. Quanquam quid latere dicam, quæ Colossus noster docet? posita in solis mensa, studio Propheta & historicorum, patent omnibus: patet aurei capitis majestas, & Assyriorum: patet pectus argenteum, & Persarum: patet venter æneus, & Græcorum: patent tibiæ ferreæ, imperiumq; Romanorum nobis monstrant. Vix ergo laudabilius utiliusq; exercendi styli argumentum habere potuit Ornatissimus Iuvenis, PAULUS Brockhausen/ *Rigâ-Livonus, quàm Colossum illum Propheticum, cujus non partes modò præcipuas; sed membra quoque pleraque omnia, ad trutinam historiæ, expendit, & hac operâ, ex optimis autoribus, concinnum quatuor Monarchiarum breve contexuit. Dignus certè, nisi me fallunt omnia, labor est, qui omnibus studiis historici Patronis, Fautoribus, Amasiis probetur: ideoque omnes istos, sive summates fucrint, sive infimates, humiliter, humaniter, amice oro, rogo, cum sequenti d.18.*

d.18. Martii reddenda ex memoria sit Oratio, optatam nostris studiis præsentiam ne denegent. Nos grato rursum animô tam gratum beneficium constanter venerabimur. Dab. Rigæ, in Museo, d.11. Martii, Anno 1652.

COLOSSVS DANIELITICVS.

ORATIO.

CUm Plutarchus, doctor morum fidelissimus, prudentiam regnandi, magno suo discipulo, Trajano Imperatori, magna instillare cura vellet, totius Politicæ summam, propositâ hominis imagine, tanquam, in speculo, illi repræsentavit. Sedem Principis, qui totius regni caput in capite posuit: cerebri & oculorum locus Præsidibus & Judicibus assignatus est. Senatus in corde resedit: Officiales dextram; Milites sinistram occupârunt manum: Ventrem & viscera tenuerunt Quæstores: Pedes tandem Agricolæ & opifices repræsentârunt. Miram verò istam viri sapientissimi solertiam, quæ ex tam laudabili docendi instituto admodum patescit! Sed, quid miram dico hominis solertiam, quæ tamen, quanta quanta est, imperfecta est? majorem admirationem divina exigit sapien-

tia, quam Deus ipse, fons omnis sapientiæ, in exhibendis olim præcipuis mundi imperiis, usurpavit. Informaturus enim de iisdem Nebucadnezarem Assyriorum Regem potentissimũ, rerum futurarum ipsi species in somno mirabiliter exhibuit. Videbat ille magnitudinis inusitatæ statuam, è regione positam, cujus caput aureum, brachia & pectus argentea erant; ventrem & femora habebat ænea; crura ferro, & pedes partim ferro, partim luto mixti constabant. Hanc sine manibus avulsus lapis, pedes luteos concutiens ita conterebat, ut ne locus quidem in quo fuerat, internoscipossit. Quanto hinc confusus horrore ipse Rex expergefactus est! Sed somnium se simul oculis, & menti subduxerat. Omnes ergo, quotquot erant ejus ditionis, sapientes convocat, somniumque & quid portenderet aperire jubet, mortem, nisi facerent, omnibus minatus. Sed rem factu impossibilem, rem nulli sapientum cognitam, quis aperiret? Inaudita ergo consternatio quæ plerumque improvisa comitatur, non Regis modò; sed & vatum animos quassabat: tremebant omnes: omnes decretam sibi à Rege mortis pœnam expectabant: nihil supererat auxilii, quod miseros liberare potuisset. Captivus tamen erat, à quo libertas expectari poterat: Captivus ille Daniel erat, qui, ter iis Deum precibus solicitans, velut Deus aliquis ex machina, adfuit. Ad Regem enim cogitationibus & mœrore obrutum, deductus, somnium ipsi non in memoriam

riam tantùm revocavit; sed hanc quoque explanationem addidit: Deum nempe Regi Nebucadnezari, illa effigie, summa mundi imperia indicare voluisse. Caput statuæ aureum ipsum esse Nebucadnezarem, imperiumque Babylonicum: pectore & brachiis argenteis notari sequens regnum Medo-Persicum: Ventrem æneum, esse Monarchiæ Macedonicæ indicium: pedes tandem & crura repræsentare Romanum Imperium, sub quo adhuc vivimus; quo etiam durante, Deus mundo finem, per lapidem statuam conterentem, est impositurus. Quam feliciter velociterque ist hæc explicatio Regem timore; Magos verò morte liberavit! Quis diffiteretur, miram Dei sapientiam, hoc facto, per universum Regis imperium, penetrâsse? Somnium quidem erat; sed divinum: somnium singulare, cœlestisque sapientiæ indicium, quod in isto nobis colosso quandam historiarum velut epitomen exhibet. Quem colossum, suo merito mirabilem, dum attentius impræsentiarum expenoere, dum potiora ejus membra distinctius proponere animus mihi sedet, ut vestra, Â. benevolentia, patronaque benignissimorum animorum attentione, lingua nonnunquam aut mente titubantem, sublevare ne gravemini, devoto mentis studio precor & contendo. Cum magna capitis sit eminentia, eò, quod summo constitutum loco, præcipuum corporis humani membrum atque ornamentum exsistat; nemo quidem dubitabit facilè, primam Assyriorum,

rum, Chaldæorumque monarchiam, primatum mundi Imperium, rectissimè eidem comparari. Decus certè regnorum & majestatis gloria, ab ipso Deo, dicitur: ab ipso Deo aureum prædicatur. Neque mirum, prædicari illhoc nomine nomine regnum, quod maximis divitiis, quod stupenda auri copiâ omnia excelluit alia. Non recensebo tot præclara monumenta fortia, maximis exstructa sumptibus, unicum tantum Babyloniorum templum vestris sistam animis, ut de reliquo divitiarum apparatu ineffabili feratis judicium. Erat illud Babylonis medio, excitatum Jovi à Semiramide, quod inter cætera, tres in sacello summo memorabiles Jovis, Junonis, & Opis statuæ ornabant. Jovis imago erat longitudine quadraginta pedum, & mille talentorum auri pondere; ad Opis verò tanto quoque auri pondere, in aurea sella residentis, genua duo stabant, eximiæ magnitudinis, leones, juxtaque, ponderis ingentis, ex argento serpentes, quorum quilibet talentorum trigenorum pondo habebat. Junonis autem simulacrum, octoginta ponderis talenta, dextra serpentem capite prehensum; sinistra sceptrum, exquisitissimis distinctum gemmis, tenebat. His mensa, ex auro elaborata, quadraginta pedes longa, & septendecim lata, quingenorum talentorum pondere, apposita erat, in qua Carchesia triginta duo implebant talenta. Thuribula quoque aderant trecentum talentorum pondere: Tres denique crateres videbantur, quo-

quorum unus, qui Jovis erat, mille & ducenta, cæterorum verò uterque sexcenta pendebat talenta. Hæc omnia, in unam redacta summam, circiter 1180. auri tonnas (uti vocant) conficiunt. Tantæ unius sacelli Babylonici, à fœmina exstructi, opes fuerunt! quantæ jam, in aureo isto regno, fuerint alibi, nullo judicari negotio potest. Cum uno quidem Sardanapalo, præter purpuram & vestes, auro undique ornatas, in una pyra, una hora, septingenties millies, centies centena millia aureorum Hungaricorum igne consumta leguntur. Cujus oculos non præstringat aureum Regum illorum cervical, in quo septuaginta quatuor auri milliones continuò servabantur? aut scabellum eorum, ex quo tria millia talentorum singulis depromi annis poterant? Quis ergo aureum hoc imperium, caput aureum non appellet? Quod si verè indolem eorum & res gestas perpendamus, qui imperio huic præfuerunt, quæ in capite occurrunt, omnia, egregiè iis accommodari posse videtur. Prodeat NIMRODUS, venator ille famosissimus! quid aliud in capite, quàm cerebrum, judicii sedem, repræsentat? Magno utique judicio prima hujus monarchiæ fundamenta posuit: primus gladii, divinitus concessi, jus in subditos sibi populos usurpavit, primus utique Monarcha mundi nominandus. Nimirum SICUT domus, fundamento carens, solido, ruinam undique minatur: non aliter de regno temerè constituto judicandum, ut duret illud, exa-

exactum in fundatione requiritur judicium: Omnis, in fundamento bene collocato, spes felicitatis & gloriæ sita est. Quam quidem hoc in regno adauxit BELUS, &, ut in capite pia mater, velando cerebrum custodit: sic ille hoc imperium moderato felicique regimine servavit. Incrementum enim eius curam pietatis atque literarum statuens, sedulam illis navavit operâ, excitatis quoque ad similia studia subditis. Et profectò VIX melior proficiendi crescendique ratio excogitari potuisset; nisi pietas illorũ, idololatricam induxisset superstitionem, quæ adeò, Beli hujus tempore, crescebat, ut pro Deo, post excessum, passim coleretur, primamque idolorum vanitati originem præberet. Quot enim Belos posteri excogitârunt? quàm stulta & detestanda pietate dicam, an insania? memoriam ipsius venerati sunt? Laudem tamen meretur egregium Regis in literarum studia studium ut enim ea colerentur attentius, Doctoribus eorum Chaldæis sedem, apud Euphratem delectam, assignavit, ubi talia docerent juventutem, sine quibus nulla unquam potestas diuturna, stabilisque permansit. VIS enim consilii expers tandem mole ruit sua. Utinam & NINUS, patri in regno succedens, idem observâsset! non præberet nobis duræ matris in capite speciem. Durius enim quàm par erat, exteris imperitabat. Siquidem cum præ decessores Imperii fines tueri magis, quam proferre studerent Ninus ille, quasi avitum gentibus morem nova imperii cupi-

cupiditate mutans, ille primus bella finitimis intulit; ille, pessimo exemplo, rudes adhuc ad resistendum populos; ad terminos usque Libyæ, perdomuit. Quibus subjugatis, non dum avara cupiditas quievit; sed, cum vitium accessione fortior, & proxima quæque victoria sequentis instrumentum esset, totius orientis populos suo subjecit imperio. Nec tam durum imperium uxor ejus SEMIRAMIS, mollioris licet sexûs, clementia & bonitate leniit: durissimum sub ea, ceu durissima matre, factum est. Nonne hoc ipsum mors mariti loquitur, quem, regnandi adducta cupidine, astu è medio sustulisse fertur? Nonne idem clamant subditi, quos ad immensas Babyloniæ moles, uno anno excitandas coëgit? Quid verò filius ejus NINYAS? ejusdem duritiei index; sed & vindex exstitit. Nam, cum impudica mulier, sat quidem gentium victrix; sed à libidinibus suis victa, illicitum filii concubitum peteret, ab ipso, tantum incestum detestante, meritò occisa est. Mirari autem licet unde tam egregii facinoris impetus in Ninya, homine abjectissimo, qui ex virili fœmina vir fœminimus natus est? Non absimilis quidem in capite cranio plurimis obsito futuris videtur. Inter plurimos enim Eunuchos, inter scotta turpissima, omnem propè vitam consumsit, sepositoque literarum & amorum studio, meretriciam prorsus mentem induit. Haud equidem facilè cognosci potest, quonam multi ejus successores spiritu afflati, eandem voluptatis orbitam

tam supinè triverint? Profectò, si prolixam sequentiũ aliquot Regum seriem intueamur, cujusvis rei capitis animadvertimus, q̃ luxuriãs ejusmodi capillus circumambit. Plurimi ex illis luxuriam magis, & venerem, q̃ serias regni curas sectati sunt, nihilque, præter nomina, memorandum reliquerunt. Quod si nonnullorum generosior animus occurrit, ut ARALII, BALÆI II, SPHÆRI, occurrit, facta tamen eorum propter scriptorum defectum, nostram subterfugiunt notitiam. Scio, A. vos jam commentari cum animis vestris; quonam modò hoc imperium, sub tot Regibus ignavis, suam retinere majestatem potuerit? Et certè, jacturam ejus fecisset facilè, nisi providentia præcipuè divina, sub cujus imperio totus consistit mundus, singularem ejus curam habuisset. Licèt neque illud parum fecerit ad conservandum illud, quod paratam semper militum domesticorum copiam Reges habuerint, qui plusquàm civilia agitantibus animis, ne quid molirentur, obstaculo erant. Ne jam dicam de belli ducibus & præfectis, qui fortes ex omnibus, ut præessent omnibus, elegebantur, quorum cura solicita, præcipuum gloriæ illius fulcimentum erat. Quæ verò illa frons in hoc capite, frons muliebri fuco illita? SARDANAPALVS est, qui toti sese mundo admirandum exposuit, fidus scilicet suorum antecessorum; sed ignavorum, imitator. Planè enim in mulierem degeneravit, nec tantum illas moribus & vestimentis æmulatur est; sed, quod magis, indigna quoque Rege opera, colum & lanam, tractavit. Ecce Vobis Regem egregium, cui sceptrum, colus: arma, lana sunt! Nonne monstrum execrabile, vir & quidem Rex, fœmina factus? quid dico fœmina? mancipium vitiorum abjectissimum, indignus certè, qui viri, ne dicam Regis nomine veniat. Quid ergò mirum, quod ex præfectis ejus præcipuus PHUL-BELOCHUS, auditui similis, cum Regem occupari talibus audiret, cum Arbace conspiraverit? quod, Rege effœminatissimo prælüs quibusdã profligato, & se ipsum cum scortis suis comburente, mediam Arbaci relinquens, ipse monarchiam occupârit? Ita enim plerumque fieri amat, ut imperantium ignavia, causa mutationis regnorum exsistat. Quid autem PHUL-ASSVR, Phul-Belochi filius? visum ille in capite aureo exprimit, qui, cum bonitatem terræ Israeliticæ, quam parens ejus primo invaserat, videret intentius, tribum Naphtalensem in captivitatem misere abduxit, & Galilæam bello acquisivit. Et hunc paternæ prædæ gustum percipiens SALMANASSAR, captâ, post obsidionem tricennalem, Samariâ, regnum delevit Israeliticum, abductisque decem tribubus; novos eò ex Asia Persianus colonos deduxit, ita gens Dei dilectissima, bellis vexata; sed peccatorum meritò vexata, tristissimum tandem servitutis jugum subire coacta est! Una adhuc Judæa libera permanserat, de qua etiam occupanda suaverit

SENNACHERIB odorem Hiskiæ tempore, conceperat : sed horrendus admodum fœtor nares ejus graviter perstrinxit. Una enim nocte centum octoginta quinque millia hominum, in castris, à Dei angelo, cæsa sunt, rantamque ex fœtore isto Sennacherib percepit, vertiginem, ut in Assyriam trepidus fugeret, ibique. Odirum nefas! filiorum suorum duorum manibus periret. Tertius, à Patre in bellum profectus administrator regno datus, erat; Sed vix attigerat sceptrum bonus ASSARHADDON, tactui non absimilis, & ecce! tot parricidarum fratrum insidiis petitum, quasi dentibus comminuit, ex alia oriundus stirpe, MERODACHVS, una cum filio BENMERODACHO, quos qui, ob hunc ipsum impetum, utriq; compararet mandibulæ, nihil procul dubio à veritate alienum faceret. Sed hîc primus sese NABVCHODONOSOR effert, velut mentum aliquot, priorum Regum labores sustinens, & vel isto singulariter celebrandus nomine, quod magnum filium, NABVCHODONOSOREM magnum, totius orbis bono reliquerit. Huncergo ipse Propheta toti aureo capiti assimilat; sed vultu admodum vario. Quanta enim in religione potissimum, inconstantia laboravit? Modo, ex revelatione miri somnii ad Deum convertitur: Modo cultores Dei, aurei idoli cultum aversantes, in medias ignis flammas conjici mandat: modo, divino fornacis miraculo motus, soli Hæbreorum Deo honorem defe-

deferendum esse, per omnia regna, promulgat: tursus degenerans, rursus ad Deum se recepit. Quis Proteus uspiam tot vultus induit? Nullus illi Regum par potentia, quid dicam superior? fuit? Universa enim Asia & maxima Africæ pars, cum Iberia, ipsi paruit: tota Judæa imperium ejus agnovit. Sed UT nulla felicitas diuturna est, inprimis, eum se homines fortunæ permittunt. Ita Regem istum maximum, res suas nimium secundas jactitantem, inaudita corrupit insania. Motâ enim mente, regiam nō modò potestatem amisit; sed &, inter feras discurrens, silvestribus herbis vitam, ad septem usque annos, sustinuit. Tandem, expiatâ quasi superbiâ, Rex sibi & dignitati restitutus, melior è lapsu suo surrexit. HOS fructus abominanda producit superbia! Ita, Regem fortunæ benignitas dementavit, dementatumq; omnium stupori exposuit, ut exemplum fieret punitæ superbiæ horridissimum, quale nulla unquam sæcula viderunt, nulla fortè unquam visura sunt. Ut verò unumquodque seculum suam sibi ruinam involvit, & quod altiùs evehi non potest, jam cadit: Ita, defuncto Nabuchodonosore, in fatalem quoque finem hoc imperium inclinavit. Ruere certè jam cœpit sub optimo ejus filio, bonæ mentis Rege EVILMERODACHO; sed qui, sortem quoque bonarum mentium non satis prosperam expertus, ab Affine, REGASSARE perfidè trucidatus est. Hic ergo, vi armata, imperium invasit, & in filium

LABAS SARDACHVM tranſtulit, quod tamen huic, vix ſeptimum regni agenti menſem, cum vita ſimul eripitur & BELZASER, legitimus regni heres, ſed huc uſque in media exſul, imperio admovetur. Quem quidem vere gulam appellare poſſumus, gulæ de ditiſſimum, cui ſuum quoque debet interitum. Cum enim aliquando multò diffluens luxu, convivium celebraret, inter gulæ delicias, inter meretricias lautitias, occupatâ Regiâ, à ſuis ipſius proceribus trucidatus eſt. Tam diu ergò viguit aureum hoc caput, tamdiu primas tenuit in mundo, donec in gula periret. NIMIRUM luxuriâ & voluptate plurima de felicitatis culmine imperia præcipitantur, neque ullum eſt, quod non ſuam involvat perniciem. Quod ſequens etiam Monarchia Medo-Perſica fatebitur, cui pectoris argentei ſpeciem aptiſſimè Propheta tribuit. Nam ut hoc duobus brachiis ornatum eſt; Sic & illa ex Medorum & Perſarum Dynaſtiis conſtituta primùm, ac nomen inde ſortita eſt. Inſigni quidem Majeſtatis gloria coruſcat; ſed non tanta, quanta vel antecellere, vel adæquati ſaltem præcedenti poſſit, cum minor ejus potentia, arctiori quoque durationis periodo incluſa ſit. Quam brevi imperantium ſerie abſolvitur! qui præcipuis tamen pectoris membris adumbrantur. Videte Fundatorem hujus Monarchiæ, ex Perſis, mirabiliter ſervatum, CYRVM. Verè cor hujus pectoris dici meretur: cor pium & fortiſſimum; cor juris & æqui ſervantiſſimum;

cor prudentiſſimum, quod conſilia honeſta utilitate; pacis atque belli facta, progreſſus felicitate animabat; Cor in ſubditos affectu paternum, in amicos milites que liberaliſſimum. Ut Spiritus vitales in corde naſcuntur, in totum corpus derivandi; ita in Cyro vera Dei cognitione ex propheticis concionibus accenſa, multa ab eo bona, in populum in primis Dei, dimanârunt. Dabat enim Judæis in patrium redeundi ſolum poteſtatem, & ſacra vaſa, à Nebucadnezare ablata, reſtituens, templum ſummi Dei ſuo ſumptu reſtaurandum promittebat. Sed Cyro, novis ſemper bellis contra Crœſum & Jonas, contra Babylonios & Maſſagetas, implicito, Judæi ad CAMBYSEN, parentis loco regnantem, delati, non tantùm decretis excidunt ſubſidiis; ſed, mortuo etiam Cyro, à Cambyſe, iraſcibilis potentiæ inſtar habente, nimium que eam laxante, opus jam inceptum intermittere coguntur. Quis credat, tanta iracundiam ejus incrementa ſumſiſſe, ut, tandem in crudelitatem verſa, in peregrinos, in ſubditos, in amicos, in ſororem, in fratrem denique unicum ſæviret? Quàm alius hic à parente filius; ſuo ſcilicet exemplo, confirmavit: filios ſæpe à magnorum parentum genio & moribus declinare, filios Heroum noxas fieri, qui maximorum parentum gloriæ nimium quantum derogant. Sed excepit eum, alter pietate & munificentiâ, præſertim in Judæos, Cyrus, DARIVS HISTASPIS, potentiæ concupiscibili non diſſimilis,

quæ tantopere stimulavit eum, ut regnum ardentiùs appeteret & singulari quoque dolo obtineret. Posteàquam enim regni Proceres, compertâ Magi Pseudo-Smerdis, se pro Cyri filio venditantis, fraude, illum è vita sustulissent, & institutâ inter se, de regni successore, deliberatione, pacti essent, ut Rex fieret, cujus equus primus, sub ortum Solis Sinniisset, equus Darii, & quæ desiderio, cui eo loco pridie admissus fuerat, propero Sinnitu auspicium regni dedit, & Darius Rex à Collegis salutatus est. Quantopere hujus imperium omni virtutum gloria, pacis & belli tempore exsplenduit? Quæ tamen non parum deminuta est, cum minor natu filius, XERXES, regno potiretur. Hic verè in argenteo pectore sinistra manus est. Sinistra enim ejus opera pleraque omnia, quæ ipsum quoque sinistræ fortunæ obnoxium reddiderunt. Sinistrum in Græcos bellum aggressurus, de eo minùs prudenter, cum proceribus, consultavit, &, cum incredibilem militum copiam, cui capiendæ vix omnis Græcia fuit, contraxisset, nullis loci temporisque circumstantiis habitis, in angustiis, eam trucidandam exposuit. Itaque tanti exercitus in Græciam, quàm terribilis introitus, tàm turpis ac fœdus exitus fuit. Et quid mirum? SICVTI malarum arborum, fructus pessimi: ita sinistrorum etiam consiliorum non nisi sinistri exsistunt eventus, cum directrice prudentia destituantur. Hanc autem Xerxis eladem ARTAXERXES, dextram manum referens,

rens, suâ gloriâ dexterrimè pensavit, qui à longiore manu dextra Longimanus appellatus est: Ecclesiæ Dei nutritor & protector maximus, cujus magna in beneficiis gloria circumfertur. Quàm eximia, sub hujus imperio, lux Judæis affulsit, ut eorum politia pristinum statum recuperaret? Hanc populi Judaici felicitatem egregiis provexit incrementis DARIVS NOTHVS, quem verè spinam dorsi dixerim, è qua velut duo costarum ordines, in dextro & sinistro latere, oriuntur. Nam ex Parisatide sorore tredecim liberos susceperat. Inter dextri autem ordinis costas excellit ARTAXERXES ob memoriæ præstantiam cognominatus MNEMON, qui dextro fato parenti succedens, Cyrum fratrem, sibi insidiantem primò vinctum tenuit, deinde, matris precibus liberatum, cum ex periculo illataque contumelia inimicior factus, bellum sinistrum moveret, & in ipso quoque prælio laudem fraternæ cædis affectaret, tandem occidit. Nihilo meliorem in filio Dario pietatem expertus est, quem vivus quidem adhuc Regem dixerat; Sed cum parentis vitæ insidias strueret, detectis iis interemtus est. Sic optimè imperium administrans, Rex fortunatior, quàm parens fuit. Quàm verè aliàs durum & solidum pectoris os, OCHVS nominari potest? qui, miserâ fratrum oppressione, cognatorum cæde, strage Principum, ob incertum & iniquum conjurationis metum, Regiam implevit, non sexus, non ætates permotus conditione

quasi data opera id ageret, ne innocentiot fratribus patricidis haberetur. Quàm durus quoque fuit in Ægyptios & alios, in quos supra modum desæviit? Sed velut apostemate quodam veneno Bagoæ, per medicum dato rebus humanis exemtus, dignam moribus mortem sensit. Ejusdem parricidæ scelere ARSES quoque, Ochi filius, interiit, qui, ceu pars duri illius ossis, Bagoam quidem confregisset, nisi illius esset insidiis præventus. Ita crudelitatem superavit crudelitas, vergente jam ad interitum Persarum Monarchia, & finem suum, ut fieri solet, præmonstrante in rectorum vitiis. Tandem enim ad diaphragma pectoris perventum est, quod ventrem medium ab infimo distinguit, & DARII CODOMANNI fata refert. Quanta hoc pleuritide, ab Alexandro M. est afflictũ, cum aliquot Darius ipse præliis affligeretur? Ruptum tandem à Besso & Nabarzane ducibus. Nam, cum regni cupiditate accensi, Dario incolumi tantas opes sperare non possent, (quippè in illis gentibus eximia Regum majestas erat, & prosperæ veneratio, fortunæ sequebatur adversam,) inita nefandi facinoris societate, Regem per milites, quibus ambo præerant, vi & fraude vinctum, in sordidum vehiculum conjici curârunt. Et cum, audito Alexandri adventu, suadentes parricidas, ut equum cõscenderet, & se hosti fuga eriperet, comitari nollet, justum scilicet violatæ fidei ultorem exspectaturus, injectis telis confossus est. Tam tristis exitus

tus Regem mitissimum (nisi fortuna naturam corrupisset) manst! Cujus morte simul insigne Persarum imperium collapsum est. Quis non videt, SOLENNEM hanc rerum humanarum & imperiorum fragilitatem esse? Nascuntur, ut cadant, cadunt, ut alia nascantur. Natum ita est, ex ruina Monarchiæ Persicæ, regnum Macedonicum, quod ventri æneo à Propheta comparatur. Et certè æreum est, si conditionem ejus genuinam spectes. Quod enim inter metalla vocalius tinnit, clariusque, quàm æs? Quod citius clangore suo implet omnia? Non aliter majestas imperii hujus subitò eminuit, omnia statim terræ loca ALEXANDRI M. gloria implevit, de quo verè usurpari potest, illud heroicarum mentium phrenoschema: Venet! vidit, vicit! Quanquam si vel ipsum Alexandrum, vel plurimos ex successoribus respicias, quàm variâ istam gloriam luxuriæ fædârunt? Quantis bellicam virtutem voluptatibus enervârunt? ut verè ventrem, sedem scilicet luxuriæ & voluptatis, hanc Monarchiam fuisse appareat. Ut verò initia illius expendamus altius, nonne, ventriculi instar, parens fundatoris hujus Monarchiæ Philippus habuit? quot enim populos, præsertim Græciæ, deglutivit & concoxit? Athenienses per insidias vicit: Pœones & Illyrios bello domuit: Thessalos subjugavit; Cappadociam, Thraciam, & quicquid terrarum præterea in proximo erat, omnia invadens, vi aut fraude, consumsit. Hos itaque concoctos, & in chylum

quasi transformatos populos, per venas ducum aliquot fortissimorum Mesaraicas, ad Alexandrum filium transmisit. Hic enim hepar fuit calidissimum, qui calidissimus in omnibus suis actionibus exstitit; omnia quippe facilius, quã moram, perpeti potuit, &, cum cuncta celeritatis præmium esse statueret, nihil pro crastina vit. Primis quidem imperii annis hoc jecur satis commodè valuit. Nam cum nondum frotuna se animo ejus infudisset, orientem moderatè & prudenter tulit, ut omnes etiam ante se Reges & continentiã, & clementiã vinceret: virgines & Reginas excellentis formæ tam sanctè habuit, ac si eodem, quo ipse, parente genitæ forent: promtissimus bellator, victor felicissimus; sed cum fortunæ, indulgendo ei nunquam fatigatæ, magnitudinem ad ultimum non caperet, ingentia animi bona illam indolem, quã omnes Reges anteceſſit, illam in subeundis periculis constantiam, illam in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, illam in deditos fidem, in captivos clementiam, illam denique in voluptatibus, permissis quoque & usitatis, temperantiam, haud tolerabili vini Venerisque cupiditate, fœdavit. Nam ut primum instantibus curis laxatus est animus, rerum militarium, quàm otii patientior, excepêre eum voluptates? &, quem Persarum arma non fregerant, vitia vicerunt: quippe intempestiva convivia, & perpotandi, pervigilandique insana dulcedo, nec non ludi & greges pellicum, omnia in extremum lapsa

lapsa erant morem, quem æmulatus, quasi potiorem suo, ita popularium animos oculosque pariter offendit, utà plerisque amicorum, militumque Macedonum, pro hoste haberetur. Hinc sæpius in caput ejus comparatæ insidiæ, quibus tandem, cum, universi orbis conventum acturus, Babylonem perveniſſet, in quodam convivio periis. Ita hoc Jecur, postquam vino Babylonico incaluit, Venere corruptum, veneno filiorum Antipatri fractum est. Ut verò aliàs quatuor ex jecore humores oriuntur: Ita, post longam Alexandrinorum ducum inter se, de regno, disceptationem, post tot militum seditiones, (siquidem & insociabile regnum & à pluribus expetebatur,) in quatuor præcipua regna, in Macedonicum, Ægyptiacum, Asiaticum & Syriacum, Imperium hoc divisum dicam, an divulsum? est, ut quodlibet tamen sui humoris indolem referret. Quid enim humori sanguineo similius PTOLOMÆO, Ægyptiorum Rege moderato & benefico? ex quo, ceu vena cava, PTOLOM: PHILADELPHUS, liberalissimus doctorum & piorum patronus, ortus est. Phlegma autem sapit ANTIGONUS, dominus minoris Asiæ, qui bella Ptolomæô Cassandrô & Lysimachô adjuvantibus, contra Perdiccam & ejus socios gessit; Sed ipse à Seleuco, qui se sociis illius junxerat, interfectus est; regnum quoque ipsius in filio DEMETRIO statim desiit. Eo autem tempore humor cholericus in ANTIPATRO se exerebat

bat, qui, Macedoniam & Græciam possidens, quid, nisi fellis vesica fuit, quæ fel, iræ sedem, continet : Filium certè CASSANDRUM habuit, sicarium & eversorem domus Alexandrinæ pessimum. Veritus enim ille, ne Hercules Alexandri M. filius, ob paterni nominis favorem in regnum Macedoniæ vocaretur, eum, cum matre Barsine, occidi, & tacitè sepeliri jussit, ne publicâ sepulturâ cædes proderetur : mox alterum filium, cum matre Roxane, pari fraude sustulit, quasi regnum Macedoniæ, quod affectabat, aliter non posset, quam scelere consequi. Inter hæc Syriam possedit SELEUCUS NICANOR, qui quasi splen fuit, receptaculum illud succi melancholici. Plerique sanè successorum ejus, melancholicorum ritu, pro arbitrio egerunt omnia, nihil, quod ipsi faciebat, ipsi probabant, ipsi muginabantur, rectum putantes. Quid alia, hujus ventris intestina, immunditie & fœtore plena, referam? Profectò, qui imperium, post aliquot priores, obtinuerunt Ægyptiacum, in quo potissimùm hujus Monarchiæ tertiæ majestas & diutissimè remisit, libidinosi, crudeles, improbi, impuri fuerùt. Sic PTOLOMÆUS PHYSCON, à corporis deformitate nomen obtinens, belluarum more, vitam egit ; Sic PTOLOM : LATHURUS duarum sororum matrimonio sese conspurcavit : Sic CLEOPATRA non duobus tantum fratribus incestuosè consuevit ; sed J. Cæsaris etiam & M. Antonii concubina facta, finem

finem huic monarchiæ attulit. Quid mirum, quòd tot libidinibus hic venter corruptus, interiit? Quid enim mors PERSEI? finis regni Macedonici? Quid TIGRANIS obitus? Syriæ ruina. Quid denique interitus regni Ægyptiaci, sub Cleopatra? Totius Monarchiæ Macedonicæ fatalis terminus, tam fœdis voluptatibus certis imperii vacillantis præsagiis acceleratus. Sic auri splendorem argentum, argentum æreus venter excepit : ferrum adhuc superest : in Colosso Babylonico, cui Romana monarchia comparanda venit. Nota est natura ferri, quod omnia metalla robore ac duritie antecellat, omnia frangat, omnia comminuat. Numquid verò alia hujus monarchiæ indoles? Armis fundata, armis stabilita, armis summum gloriæ decus adepta est. Nolo equidem ad ipsa hujus imperii incunabula Vos ducere, Aud. Quot statim bella exarserunt, cum Romulus, Romæ à se conditæ, incolis Asyli beneficio adauctis, uxores deesse animadvertens, vicinis quoque populis sanguinem & genus cum iis miscere recusantibus, ad arma statim, astu temperata, confugeret, &, simulatis ludis equestribus, virgines, quæ ad spectaculum invitatæ venerant, rapi ; raptas connubio sociari suis imperaret? Primò in certamen Cenini descenderunt ; sed impares armis Romanis succubuêre : mox cum Antemnatibus disceptatum est, qui, fusi fugatique, deprecante Hersiliâ, principe fœminâ, in civitatem accepti sunt. Hos secuti Crustumenini, qui etiam

etiam, minore victi certamine, Romanis paruerunt. Nec Sabini contra illos, etsi armis consilium, consilio dolum junxerant, quicquam feliciter moliri poterant. Postrema tandem bella contra Fidennates & Vejentes à Romulo suscepta sunt. Tanta incrementa sub primo fundatore fecerunt arma Romana: quanta, majoribus jam aucta viribus, sub tot viris, militiæ magis, quam pacis artibus claris, fecisse arbitramini. Satis hoc, ut alia omittam, viciniora Monarchiæ institutæ tempora demonstrant: Satis vim ferri Romani, omnia frangentis, omnia comminuentis indicant. Ubi regnum Macedonicum? nonne Romanis tributa pendere, à P. Æmilio, coactum est? Ubi Syriacum? nonne Pompejus illud in provinciam redegit? Ubi Ægyptiacum? sub Romano quoque imperio! Omnia hæc (& quis alia recenseat omnia?) imperia ferrum illud contrivit, & magnam regnorum molem quasi congessit. Invicta mansisset, nisi suismet postea armis victa monarchia hæc & divisa fuisset. In occidentale enim & orientale imperium divisa tandem est, ut duabus ita tibiis tota Colossi hujus moles niteretur. Tantus autem Imperatorum Romanorum à primo numerus, ad nostra usque tempora occurrit, ut vix plena institui possit comparatio. Satis erit, potiores tantùm tibiarum & pedum partes expendere, &, quibus optimè accommodari possint videre. Principio se in tibiis considerandum offert os illud, quod ab acuto gladio nomen habens,

bens, Cartilago Xiphoides appellatur. Quod ovum ovo similius, quam huic ossi J. CÆSAR est? Verè enim acuti gladii instar in eo fuit. Tot bella feliciter gessit, tot provincias, cum gloriâ, sub jugum misit: quinquagies & bis cum hoste, conserta manu conflixit, ut mille centum & nonaginta duo millia hominum circiter, hoc gladio perierint. Sic Roma in sanguine initium sumsit, &, sanguinis humani prodigam se fore, jam tum prædixit. Romulus enim primus Rex, regnum suum sanguine Amulii, qui eum in aquâ projici jussi, dicavit: muros urbis sanguine Remi Fratris, operis angustias ridentis, funestavit templum soceri cruore consecravit. Eadem propiora hujus monarchiæ fundamenta extiterunt. Post cruentam enim Galliæ subjectionem, exsecrandum civile bellum, inter Pompejum & Cæsarem, exarsit, quod tot innocentium civium temerè profuso sanguine non prius extingui poterat, quàm Pompejus, cum tota familia, à sicclis, trucidaretur. Bellis itaque civilibus compositis, reversus Cæsar Romam, quinque triumphos, ex Gallia, Ægypto, Ponto, Africa & Hispania, duxit. Prospera tamen ejus mox adversis obnubilata sunt, quasi de industria partes fortuna foveret. Cum enim felici potentiâ elatus, licentius in nonnullis versaretur, facta conspiratione à M. Bruto, Cassio Treboniano, occultis Pompeji amicis, & ex ipsius partibus D. Bruto, tribus & viginti vulneribus interfectus est. Sic ille, qui terrarum orbem sanguine

im-

impleverat, tandem ipse suo sanguine, orbis curiam implevit! hic gladius iste acutus, acutis demum gladiis confractus est! Sed hanc à Cæsare inchoatam monarchiam AUGUSUS OCTAVIANUS, os illud sacrum, sublatis residuis Pompeji fautoribus, & parricidis J. Cæsaris, solidè firmavit, assiduus postmodum pacis aliarumq; virtutum cultor. Eo n. regnante sopitus undiq; armorum furor; vis legibus, autoritas Judiciis restituta; imperium magistratûs ad certam formam redactum est: rediit cultus agris, sacris honor, securitas hominibus: cuique rerum suarum possessio; leges emendatæ utiliter, latæ salubriter, Roma unius imperio parere cœpit. Quid? eo regnante nova universi orbis lux, & perenne gentium gaudium, Sanctus Sanctorum mirabiliter natus est, & imperio Romano ab illo tempore SACRI titulum splendidissime conciliavit. Postquam autem hoc imperium, sub unius regimine, post triginta & novem Imperatores, integrum stetisset, in duas demum partes desiit, quam divisionem, quod superius quoque attigi, ferreæ istæ tibiæ designantur. Et crus quidem sinistrum, orientem nempe, CONSTANTINUS M. occupavit, novâ inibi exstructa Româ, quod tamen, orientis imperio, sub Constantino Palæologo, à Turcis everso, Lupo veluti morbo infestari & consumi cœpit. Dextrum verò crus, arcessitis in Italiam, & quasi effusis Herulis, Gothis, Longobardis, variis debilitatum damnis, & tam diu luxationi

item passum est, donec illud CAROLUS M. post triginta & septem Regni utriusque Imperatores in integrum restitueret; & summam hujus imperii dignitatem, divinâ providentiâ, ad Germanos transferret. Quot ille tum faces extinxit? quot gladios condidit? quantam tempestatem subita serenitate discussit? Pervenimus cum eo, Aud. ad mixtutam pedum ferro lutoque constantem, quæ sanè hanc monarchiam modò firmiorem, modò infirmam fuisse, indicat. Annon enim firma fuit, sub Augusto, Vespasianis, Trajano, Constantino M. Justiniano, aliisque heroibus felicissimis? Sed debilis admodum, ubi Nero degener, Caligula, Domitianus, Commodus incommodissimus, & alia innumera hujus generis carcinomata, ulcera, apostemata in tibiis orta sunt. Omnino, sicut, sub ejusdem plerumque nominis Regibus imperia & ortum, & interitum, aut mutationem saltem memorabilem, experiuntur: Ita huic quoque monarchiæ ferro-luteæ (ut ita dicam,) & luto-ferreæ factum est. Ferrea fuit sub Augusto; lutea verò sub Augustulo: robusta sub Constantino M. fragilis sub Constantino Palæologo; ferrea sub Carolo M. lutea sub Carolo Crasso. Et quis neget, hodie nil nisi fragilitatem supereſſe? Fallimur certè, si in ferreo seculo vivere nos putamus: dudum illud ærugo absumsit: Pejus aliquid ferro habemus, quantum ferrum ab auro, tantum nosâ ferro distamus. Imo ferrum pet fregimus & in luto habitamus. Lutea

tea fragiliaque & minùs glorioſa undique vide-
mus tempora. Quamvis plantarium ferri in hoc
quoque luto manſuruni, & fundamentum hu-
jus monarchiæ tam ſolidum futurum ſit, ut
nullus Regum terrenorum illud poſſit penitus
convellere, donec univerſus orbis corruat.
Tum enim lapis ille ſine manibus exciſus, Chri-
ſtus nimirum hos pedes percutiet, atque com-
minuet. Neque diu forſitan morabitur. Immi-
net, imminet dies pantocritus, dies tot popula-
rum omnium diſſidiis indicatus, qui ut omni-
bus regnis aliis: ita huic quoque ſuum afferet
terminum. Et quantillum modò eſt? Annon
magnam partem detritum, laceratum, commi-
nutum eſt? Cum ferreis adhuc inniteretur cru-
ribus, cum totum terrarum orbem ſuo comple-
cteretur ambitu, quantis regnis effloruit? Ut
decem pedum digiti: ſic decem, illa ætate, regna
ejus fuerunt, ſed fuerunt? Vbi nunc Africa? u-
bi Aſia? ubi Syria? Turca ea jam dudum, à ſuo
iſto corpore avulſit. Ubi Pannonia? Sarmatia?
Anglia? Hiſpania? Gallia? Omnes, Romano-
rum jugo excuſſo proprus Regibus ſubjectæ
ſunt. Vbi Italia, ſedes quondam Imperatorum
auguſtiſſima? Maxima ex parte Papæ domini-
um agnoſcit. Sola Germania, cum ſuis Princi-
pibus, dominum adhuc Imperatorem agno-
ſcit. Quàm autem & illa, funeſtis tot annorum
bellis, hactenus lacerata & macerata? quantis
motibus miſera, proh dolor! quaſſata? quot
hominum innocentium ſanguine? quot exu-
lan-

lantium ejulatu atque gemitu impleta eſt? de-
plorare illud, quàm explicare faciliùs licet. Ger-
maniam ne in ipſa forſan Germania invenias.
Sed rediit non ita pridem, rediit unica votorum
omnium, laborumque meta, omnigenæ felici-
tatis mater, Religionis legum, literarum, mo-
rum nutrix, omnibus triumfis potior, PAX!
rediit pax cuncta refovens! Gaudent ſenes,
gaudent pueri, gaudent templa, curiæ, imò æ-
des ſingulorum, dum, quod uno omnes ore pre-
cari conſueverant, tam auſpicatò obtentum, u-
tinam conſtanter æternumque! cernunt. Quis
non inde certò certiùs collligat? Deum adhuc
ſolicitam iſtius imperii curam agere: Deum ad
interitum uſque mundi illud conſervaturum
eſſe, ne ante ſtatutum, in æterno vigilum ſena-
culo, tempus ſtatua hæc myſtica prorſus corru-
at, aquam velut ſpeculum regnorum, nobis o-
mnibus propoſuit. Quàm ſapienter, aureo ca-
pite, auream monarchiam Babylonicam indi-
cavit? Quàm divinè, per argenteum pectus &
brachia, adumbravit conditionem Imperii Per-
ſici? Quàm eleganter, in æneo ventre, ſtatum
Imperii Macedonici depinxit? Quàm denique
concinnè, ferreis cruribus atque pedibus, luto
mixtis Romanam Monarchiam, & præſentem
ejus ſtatum, denotare voluit? Nihil ergò am-
pliùs reſtat, quam ut, adminantes ſapientiam
Dei imperſcrutabilem. Tanti eſſe! exclamemus.
Te verò Deus Optime, Deus maxime, Princi-
pum aſſertor, imperiorum confirmator, ſuppli-

ces ac cernui precamur, ut paternam porrò omnium regnorum curam habere digneris: cumprimis verò eos, quorum ductu regimur, quorum spiritu servamur, quorum auspiciis ducimur, singulari cumules & multiplici gratia, ut pacem undique foveant, pacem obtineant, pacem retineant. Sit finis gravissimarum difficultatum, quibus inter motus bellicos, regna premuntur: Succedant tandem, post tot motus atque tempestates, sereniores dies, qui multâ felicitate subsequentes annos compleant, ut carissima tua Ecclesia tranquillum inveniat hospitium, auxiliumque adversus iniquos improborum insultus habeat, & tandem Sponsum suum amantissimum, judicem viventium & mortuorum, summo eum gaudio sequatur in æterna palatia, ubi regnum felicissimum, regnum sine fine, sine motu, sine metu jucundissimum, regnum gloriæ ac lætitiæ ineffabile, quod in sempiterna seculorum secula perennabit.

(o)

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

ILLUSTRE DEI BENEFICIVM EST FELIX NAVIGATIONIS STVDIVM.

HOc ipsi quoque saniores dicunt Ethnici: Minervam enim primæ navis statuunt autorem, illam Iovis sui filiam, scientiarum matrem: illam præsidem artificum, bellantiumq; Ducem optimam maximam. Quid juvat, tam contemtim æstimare studium divinum, ut vel casu exstitisse, vel à piscibus profectum somnies? sunt enim, qui ab his petitum fabricandæ navis exemplum, qui à dorso carinam, à capite proram, temonem à cauda, à branchiis formatos remos ducunt. Cœcos verò in ipso veritatis meridie homines! Num eæ sunt mortalitatis nostræ vires, ut ejusmodi aquatilium domuum rationem inveniat? imò Deus fuit, qui Noachum primam navem docuit exstruere: Deus, qui illius beneficio tot creaturas sospites asseruit: Deus, qui ex illa ipsa, ceu ex communi suis, novum prodire mundum jussit. Quis ignorat, ubi Ianum principem nautarum nominant gentiles, Noachum intelligi? Vt enim cataclysmum, gravem peccatorum vindicem, hinc inde notant: ita, ab excultæ vitis fructu, cum Aramæis, Patriarcham Ia-

num dicunt: neque tantùm hoc; sed illius quoque ex miranda navi exitum; sed montem quoque, in quo subsitit; sed primanavis rudera insinuant. Bant fabulosi Graci, & Neptunum Danaumq; jactitent! Noathus prior est utroque: prior est divina sapientiæ figmentô ethnica Minervæ tecta: hujus primùm ductu navis condita est, à qua exemplum struendarum aliarum hauserunt Phœnices, gens vicina monti Ararathico, gens antegentes alias navigandi studiô incluta. A Phœnicibus, Erythrâ Rege, ad Ægyptios: ab his ad Græcos, curâ Danai: ab his ad Genuates Venetosq; in Italiam peritia divinæ artis propagata est. Quantus ex hac ipsa divinorum in nos beneficiorum cumulus? Profectò, cum nutritores generi humano duos dederit cœlestis gratia, qui, quæso, nisi hac solertiâ, in usus nostros rectè verteremus alterum? Mare intelligo, commune illud fluviorum naviumq; hospitium, optatum in necessitatibus subsidium, secundum dissitorum populorum nexum, felix itineris compendium, transfugium laborantium, præsidium vectigalium, sterilitatis alimentum fœcundissimum. Malè quidem illud audit apud delicatulos: malè tot illius audiunt pericula; sed apud delicatulos. Cordati nautæ, vix in lucem editi, nubibus assuescunt, cum nudo aere & Iove contrahunt, &, mare incolentes, quantascunque mortis minas aut lacessunt, aut contemnunt. Nunquid verò omnia periculis obnoxia fugiunt, qui propter illa mare fugiunt? quid ergo domos habitant? de cœlo sepe tacta sunt: quid rura colunt? non rarò terras exercentem agricolam imbres comprehendunt, fulgura exanimant, tonitrua feriunt:

quid ascendunt currûs? everti quandoq; vitam auferunt aut incolumitatem vectoribus: quid eunt cubitum? inventi sunt in lecto mortui: quid in urbana rusticave prædia divitias recondunt? totas urbes, improvisô ignis impetu, cum opibus absumtas nôrunt. O mortales tam molestè providos! Huc, huc versate oculorum animorumq; aciem! quid totas regiones ad vigorem excitat? quid excitatas ornat & amplificat? Divinum navigationis studium: quid mercaturam in primis promovet? mercaturam, publicæ virtutis ac privatæ administram, sive caput potius, unde nervi atque robur in Remp. dimanant: quid decora pacis bona splendidè illustrat, auget, firmat? quid gerendi belli vires promtissimè roborat? Quærite ex populis maritimis: divinũ navigationis studiũ fermare, roborare, augere, illustrare, promovere dicent omnia? Dũ hæc scribo, dum in tot tantisq; beneficii divini beneficiis admirabundus hæreo, notissimã Batavicæ Rempublicã intueor. Quid illa debet; imò, quid nõ debet illa, navigationis studio? unũ illud, testor fidem omnium, unum munimentum hactenus invictum fuit, quô, præsentiore dubium virtute, an fecundiore fortunâ, sua omnia sunt tuti. Quàm felix illis fuit nauta Batavi captivitas? felicius autem lytron, quod, ad redimendum eum à Lusitanis, Amstelodamenses mercatores præbuerunt. Iste enim omnia Hispanæ navigationis in Indiam secreta, leges, commoda aperuit: iste famosissimis societatum Collegiis auspicata dedit initia, quæ plumis, speculis & pupis primô vitreisq; orbibus, tot orientis occidentisq; divitias, in angustum terræ sinum, coëgerunt: quæ,

extra Bataviam, novas constituerunt Batavias: quæ sine Rege Regibus pompose ibi adhuc imperant: quæ tanta illa navigationis augustissimæ bona in totum mundum dispensant. Macti hac virtute, hac divinâ navigationis gloriâ, cultores navigationis! illustre Dei beneficium est, quo perfruimini, & exprescripto honestatis perfruimini. Macte sagacissimi ingenii encomio, Flavi Melphi, qui, ad promovendum studium hoc, nauticam inveniisti pyxidem! miranda hæc est, & divina fabrica! Vasculum video ligneum, planum, rotundum: quam versatilis in fundo ejus est rotula papyracia? hanc verò ferramentum tenue sustinet: in centro anea turricula; sed in acumen desinens, defixa est, quæ stylo insidet, hinc inde tremula in æquilibrio. Ubi verò conquiescit? ea in parte, quam lilii imago pingit, in quem lingula, magnete confricata, vertitur, ut polum arcticum ostendat. Hunc enim suspicit, quocunque navis clavus impellatur. Miranda hæc est & divina fabrica! tot salus hominum, tot mercium, tot pecuniarum apparatus illi creditur! tot Regum sæpe Principumq; vita & felicitas tantilla pyxidicula, tantilla acui committitur, quæ probè tamen provideq; omnes regit atq; docet, qui napicularium faciunt! Omnino lapis, sensûs expers, viris quibuscunq; sapientissimis hîc antecellit! Quid est, quod non nisi ad septentrionem tendit? Adeste hic mysteriorum divinorum scrutatores dicam, an judices? in uno isthoc navigationis organo subtilitatem vestram periclitamini! causam motûs hujus naturalis dicite! Profecto hebescetis & obstupescetis. Quicquid hic est, divinum est, ut ipsum navigationis studium divinum est, ut multiplex ex ea bonum divinum est. De cujus quidem gloria, cum in certamen nuper venerint duo Iuvenes Ornatissimi, CONRADUS Karstens *&* FRANCISCUS STEPHANI, *Orationes de eadem, eruditè concinnatas, mihi exhibuerunt, implorantes simul hoc officium, quò ad audiendas illas alii, pro more, invitentur. Facio ergo illud, & ut d. 19. Iunii hos suorum civium conatûs spectabili suâ præsentiâ in Collegio nostro exornent, omnes studiorum nostrorum Patronos, Fautores, Cultores humiliter, officiosè, amicè oro, rogo. Agnoscent, nisi fallor penitùs, quàm illustre Dei beneficium sit felix navigationis studium, cui omnes vtiq;, in hoc emporiorum ad mare Balthicum ocello, plurimùm debemus, plurimùm deferimus. Dab. in Museo, d. 14. Iunii, Anno 1651.*

NAVIGATIONIS VITUPERIUM.

ORATIO.

IAmdudum tempus illud rediit, quo, pulso frigoris horrore, omnia in lata patria vicissim læta, pulcra omnia & diviva apparent! jucundi passim flores emicant, pubescunt prata, frondent arbores! Quicquid turbidis prumis antehac riguerat, nunc rore humescit suavissimo, &

campi, qui nuper glacie torpebant, odores spargunt fragrantissimos: Ubi non ita pridem furibundus sæviit Boreas, nunc ludunt lenes Zephyri, susurrant rami virides, amœni rivi murmurant. Ubi duræ nives jacuêre, ibi flava in præsenti virent lilia, halantes fragrant casiæ, pallentes vernant violæ. Æmulo certare cantu audiũtur hîc audiuntur fringillæ querulæ; sonoræ isthîc acanthides; illic vocales lusciniæ. Lætantur agri & pecudes: lætantur nemora & homines, posteaquam, propero delabentis fluminis impetu propulsa, glacies (laus DEO!) in maris voragines abiit, feliciter, velociter: posteaquam gelu purgatus & solutus Duna noster undis blandè resonat, & gravi rursum murmure intumescit. Concurrunt in eo scaphæ piscatoriæ: cernuntur lembi explicatis velis undique: cernuntur Russici vectores, aggeres & propugnacula suis hinc inde cingentes lintribus. Onustæ naves cursu quasi advolant celerrimo, audacesque in iis nauræ per foros discurrunt, ut remittant vela, ut picta appendeant apici aplustria, ut densiori fune oræ ferreæ cymbam innectant firmiter. Quid multis? Horrida hiems sævire desiit; jucunda æstas, æstas mille votis exoptata, faustè rediit cum navibus! O suavitatem hujus temporis felicissimam! O deliciasæstatis admirandas! in quibus tamen hoc inprimis admiratione dignum maximâ, quod, ligno fragilisse committentes homines, ex locis tam remotis ad nos, durante illâ, veniant: quod infirmæ navi suam

suam vitam credant temeré. Confidunt nimirum funibus cannabinis: confidunt excavatis trabibus: confidunt asseri, non crassiori quatuor aut septem digitis. Quis tantam non miretur confidentiam? Non terrentur illi usitatâ sævientium ventorum rabie: non horrent cœli fulgura, non fulmina, non frigora: nullos decumanorum fluctuum insultûs & tumultûs extimescunt, nullos infestorum imbrium fragores, nullos crepitantium nimborum impetûs. Certè si quid adhuc rari ultra Oceanum lateret, eô per undarũ fremitûs cursum tentarent. Mirum, quod non ipsum firmamentum petant auri argentique famuli, ut inde quoque, ausu temerario, nonnulla nova auferant & afferant. O ferreos & feros, quotquot navigant! Ad horum quidem confidentiam, suo jam tempore, obstupuit vates Lyricus sic canens:

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem trucî
Commisit pelago ratem
Primus; nec timuit præcipitem Africũ
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Notî.

Inde factum est, quod viri, literarum juxta & scientiarum laude præstantissimi, ætate omni hanc rem temerariam, nec ulla dignam gloriâ vocârunt, quorum sententiam fusiùs nonnihil firmaturus, in præsentia, me nihil præter rem facturum puto, si mercatoribus patriis, navigationis gloriæ deditissimis, ipsam navigationem

futi-

tutilem, non verò utilem, vituperio & detestatione potiùs, quam laude dignam monstravero. Quod ipsum, antequam faciam, ut solita vestra attentione & humanitate cursum orationis meæ dirigatis, humiliter & officiosè precor. SI ad omnis rei natales & originem respiciendum prius est, ut certè est, quàm certum de illa feramus judicium, &, num laude digna sit, an vituperio, dispiciamus, necesse prorsùs erit, ut ortum quoque navigationis, recto judicii oculo, inspiciamus. Quàm verò malus ille est? A. quàm turpis? quàm infamis est? Nec enim ullus navigantium coactus sortem aleæ tam dubiæ subiit, cum ante homines, quàm per periculosa maris flumina irent, satis rerum, satis opum, voluptatis satis, & tranquilli otii habuerint. Quot adhuc vivunt hodie, periculosæ navigationis nescii? & vivunt tamen bene, vivunt prosperè, dum suis, & terræ suæ bonis contenti, vivunt. Quid? Longè vivunt beatiùs, quàm qui tam periculosè vivunt. Nimirum, UT quis bene vivat, opus non est, avarè vivere. Quæsitis parcè uti; sed quærenda non periculosè decet quærere. Aliàs immodicarum opum cupidi, sæpissimè immodicis excidunt: qui omnem felicitatis suæ spem committit ventis & oceano, ipsius avaritiam, durâ interdum pauperrate, venti & Oceanus compensant. Unde & rectè vitaturum pauperiem sapiens monet, ne nimis appetat. Quot quæso urbes sunt? quot orbis loca, quæ, quamvis ignorent navigationes, & per ominosas maris

tis rupes scopulosque currere nesciant, felicia tamen sunt, imò longè feliciora aliis? Quid enim infelicius, aut quid acerbius, quam per tumultuantes rapidi maris fluctus hinc inde, mitis modis, disjici & projici? Modò enim ceu in alta montium, modò in vallium profunda, altercante sævientium ventorum fremitu, nautæ jactantur: jam nubes coëunt: jam nimbi cadunt subitò: jam tonat cœlum, micant ignes, nox ruit horridissima: jam discordes præliantur venti; jam perturbatæ surgunt undæ, ut, rapiente fluctu, mergi possint & everti omnia. Quis nescit sexcenta hæc navigantibus objici prælia, quibus toties, cum timore ac tremore, fatigantur? Et negabimus infelicem esse, qui se marinis credit fluctibus? qui vitam agit in oceano? Nemo verbis exprimat tantum, quantum revera navigantium est, incommodum, ut non immeritò de re non ludicra Poeta ludat:

Navita sollicitus quoq; ventos horret iniquos,
Et prope tam letum, quàm prope cernit aquam.
Quòd si concussas Triton exasperat undas,
Qui tibi nunc, toto est nullus in ore color.

Hinc Franciscus Petrarcha, feliciissimus literarum in Italia quondam restaurator, cum apud Neapolim horrendam tempestatem, in mari Mediterraneo, perpessus esset, nunquam se marifidem habiturum Columnæ scripsit: Ne me unquam (ipsius verba sunt,) ampliùs vitam ventis ac fluctibus committere jubeas. Hoc enim

est,

est, in quo neque tibi, neque Romano Pontifici, neque patri meo, licet in lucem redeat, velim parere. Et id rectissimè! CUM vita enim honestum ei vile est, cui navigare gratum est. Sapiens maritimorum discriminum impatiens est. Neq; hunc prudentem dixeris, qui sciens se in ea præcipitat, ut rectè sapientissimus Seneca, non sapientis hominis inventa, navigia asserat. Quòd si neque imperium necessitatis, neque spes jucunditatis, neque honestatis ductus homines ad navigandum impulit; quid tandem fuit, quod eos ad subeunda tot maris pericula impulit? quod originem navigandi studio dedit? Interrogate mercatores: uno ore omnes lucri cupiditatem causam sibi navigandi assent. Quis sine ea navigaret? Quis per mare curreret? Omnes, qui navigant, lucri cupiditate ducti navigant. Docemur id à nostris mercatoribus. Hic res emit varias, ut navigando varia lucretur; ille ex locis aliis alias congerit merces, ut nummum alienum largiter congerat; ipse cum suis transcurrit maria, ut suis auri argentique laminas corradat. Lucri causa, quæ sic fiunt, fiunt omnia! LUCRI spes curas acuit: spem excitat cupiditas: cupiditatem utilitas, quæ fluctus maris infestissimos docuit tentare. Mirum est, non inveniri, qui fabricari naves, novâ quadam ratione, audeant, quæ per gelu constrata maria Chalybeis currant rotis, vento administro, aut, illo sepositò, contis trudentibus, ut non Oceanus tantum aquis suis; sed frigore

gore densatus etiam velificetur hominibus, auri argentique nimium cupidis.

Auri sacra fames, quò non mortalia cogis
Pectora?

O famelica lucri cupiditas! nullosne novisti terminos? Profectò, QUOD naturæ satis, nunquam tibi satis est. Distentus tuus rictus est. Expanso semper curris gurgite. Ad argenti spem subinde hias, nec unquam eo potes saturari. Nonne tu Alexandrum, & vitiis, & virtutibus magnum, incitasti, ut ignota scrutaretur maria? ut, piscaturus novas urbes & novos orbes, classem mitteret in pelagus? O impudicam ejusmodi ingluviem! Dum multum habet, multum illi parum est! dum plura appetit, quid, præter miseras curas, accipit? Sed quid in ipsam opum detono ingluviem? Magis sunt accusandi homines, qui tam turpi lucri cupiditate ducuntur, qui suam ipsi naturam deserunt, dum navigationis studio incumbunt. Quid enim homo est? Terrestre animal est, non aquatile, quod nemo ignorat, nemo non fatetur: non ut oceanum; sed ut terram coleret, conditus est. NATURÆ profectò rumpit vinculum, imò Dei Creatoris turbat ordinem, qui se per undas trahi patitur. Num homo est, qui, more piscium, in aquis vitam agit? qui, more volucrum, ignotos petit orbes per Oceanum? Terra mater hominum, terra nutrix, terra educatrix est. Lycurgus legem statuit Spartanis, quâ vel nauticam exercere, vel navali decertare prælio, rigidè

pro-

prohibuit. Næ sapienter! Terræ hospes homo est, non pelagi. Pelagus ad pisces pertinet; terra ad homines. Unde non minùs verè, quàm venustè dixit aliquis: Aerem volucribus, mare piscibus relinquo; ego terrenum animal, terrestrem vitam agam. Quid ergo, extra terram, ad pisces navigationum cultores properant, & quod sunt, animalia terrestria esse nolunt?

Auri sacra fames, quo non mortalia cogis
Pectora?

At securius fortassis erit, iter ingredi maritimum? Falleris, quicunque illud sentis, omnino falleris! Quæ enim, quæso, navigantibus inter periculorum cumulos securitas? Tremebundus semper nauta mortem expectat. Quid ita? Everti ventis navis potest facilè, currenti rotæ similis, quam modo in sublime elatam, modò humi abjectam conspicimus. Ipsam enim navem, homo aquatilis, intuere! O lignum fragile! Compactis aliquot constat asseribus, picatis instruitur funibus. Si rimas agit, ex improviso undis mergitur, imò, clavo exerrante, tunc præciso, scopulis illiditur: illisa navis facilè perit cum omnibus! O homines salutis suæ prodigos, qui navigant! Quid, creatura Princeps, mortem tibi navigando miserè acceleras? quid tibi ipsi tanta vitæ pericula quæris? FLUXARUM opum desiderio ad navigandum properas, ut citiùs ad mortem properes! Vili te includis naviculæ, ut te includas Pelagi voragini! Expendit hoc periculum Anacharsis sapiens, & sibi cavit sedulò: unde cum audiret, navis crassitudinem esse quatuor digitorum: tantillum, respondit, à morte absunt navigantes! Idem interroganti; utrum plures sint vivi, quàm mortui: quain parte ponis, qui navigant? retulit. Profectò, non Apollinis magis verum, quàm hoc dictum est! Omnino, utrum inter vivos numeres, an inter mortuos, qui navigant vitæ prodigi, incertum est. Quàm facilè enim, etiam illi, qui se archinautas esse putant, &, audaciùs evecti, secreta maris omnia rimari satagunt, ab insanis pelagi fluctibus retusi & eversi depressique pereunt miserrimè. Sic eunt indignante pelago. Quid dico: eunt? Currunt; neque currunt etiam; sed ruunt, lucri avidi, in cladem suam, in suam ruunt perniciem. Hæc enim maris indoles, raptare omnia & devorare miserè. Quàm facilè se undæ efferunt? quàm facilè insana tempestas conturbat pelagus? Quassantur sæpius navigia, ut, fluctib⁹ impetuosis, ad syrtes alliga, triste satis faciant naufragium. Ventis ducuntur navigantes: ventis fidunt temerè & aëri. Quid ventis magis dubium? quid aëre est inconstantiùs? Hic albescit in nivibus; concrescit alibi in grandine. Nunc intumescit imbribus; nunc sudat rorem; nunc emittit flumina. Quàm repentè cœlum tenebricosum densis præsagit nubibus instantes miserias? Quam repente confusus aër ita miscet maria, ut nemo navigantium vitam non desperet? Cum nimbis collisis tonitrua (ut sic dicam) sæpe deningi-

m unt,

unt, micant fulgura, audiuntur horrido, fragore fulmina. Quàm infamis mari fides? nunc amicissimum videtur, & à decumanis alienum fluctibus, & credas mortuum; sed mox in montes surgit, &, ceu turris Babylonica, cœlum tentat invadere. Dum hæc dico, Audit. dum infesta & infausta navigantium pericula excutio, dum insultûs & tumultûs maris æstimo, occurrit animo meo tristissimi naufragii spectaculum, & ô si semper animis humanis occurreret? Quanta ibi pereuntium lamentatio percipitur? quam lacrumabilis cernitur conditio? Cum jam fluctus decumani navem obruunt, conspicimus hîc aliquem natantem semianimem; ibi in antennarum alium amplexibus, emorienti facie & pallidâ, clamantem miserè. Ille manu nutuque (nam fluctus & planctus mæsta miseri verba intercipiunt,) morti optat eripi; iste, quod omnium est atrocissimum, perreptat fractas tabulas jam semimortuus, donec cogentibus depressus undis ad pisces demergatur. Multi malum petunt labantem, in vitæ miseræ subsidium; plures funem; scapham navi naufragæ annexam plurimi. Frustra omnia! Omnes, omnes undis obruentibus mori coguntur. Frustra implorant cœlum & mare! frustra ventos & turbines! Feralis clamor est! Natant opes, & tabulæ undique per undas diffluunt. Primò quidem lentum mare cadaveribus mentitur malaciam; sed mox exsurgit, æstuat, & cuncta sorbet subitò.

tò. O Audax nimium, liceat cum Seneca Tragœdo exclamare:

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris.
Dubiaque secans æquora cursu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.

Quot sunt, qui navigationem horrent, tot perpessi ante pelagi discrimina? qui detestantur meritò? Inter alios audite Senecam Philosophum, cum navigâsset, sua fusè describentem pericula, ut alii malò ipsius sapiant, &, terræ bonis contenti, aquam piscibus relinquant: Quid non potest mihi persuaderi, (ita scribit ad Amicum,) cui persuasum est, ut navigarem? Solvi mari languidô. erat sine dubio cœtum grave sordidis nubibus, quæ ferè aut in aquam, aut in ventum resolvuntur. Sed putavi tam pauca milliaria à Parthenope tua usque Puteolos surripi posse, quam vis dubio & impendente cœlo. Itaque quò celeriùs evaderem, protinus per altum ad Nesida direxi, præcisurus omnes sinus. Cum jam eò processissem, ut mea nihil interesset, utrum irem, an redirem, primum æqualitas illa, quæ me corruperat, periit; nondum erat tempestas; sed jam inclinatio maris, ac subinde crebrior fluctus. Cœpi gubernatorem rotare, ut me in aliquo littore exponeret. Ajebat ille, aspe-

ra esse & importuosa, nec quicquam se æquè in tempestate timere, quàm terram. Pejus autem vexabar, quàm ut periculum mihi succurreret. Nausea enim me, segnis hæc & sine exitu, torquebat, quæ bilem movet, nec effundit. Institi itaque gubernatori, & illum, vellet nollet, coëgi, ut peteret littus. Cujus ut viciniam attigimus, non exspecto, ut quicquam ex præceptis Virgilii fiat: obvertant pelago proras, aut anchora de prora jaciatur; sed memor artificii mei veteris, mitto me in mare, quomodo Psychrolutam decet, gausapatus. Quæ, putas, me passum dum per aspera erepo, dum viam quæro, dum facio? Intellexi, non immeritò nautis terram timeri. Incredibilia sunt, quæ tulerim, cum me ferre non possem. Hæc Senecæ acerba satis, satis tristia pericula, quæ, ut communia sunt plerisque navigantibus: ita commune in navigationem odium, apud cordatiores quoque, excitant. Quantumvis ergo non sequatur semper tam horribile naufragium, ruentibus tamen procellis, navigantes aurum fortunasque spargere in fluctus, & rerum, quas habent in vita cariissimas, jacturam in lucro reponere coguntur, dummodò discrimen capitis vitæque amoliantur. Quoties fit, ut disjiciantur naves ad ignota littora & insulas, ubi, amissis bonis, pauperes, rerumque omnium egeni, patriâ orbati vitam agunt miserabilem, donec vel fame, vel alio malo intereant? Si verò in Oceano periclitantur, sine omni statim liberationis spe rapiuntur in vastos freti vortices. Præciditur vita in Pelago periclitantibus. Iratis detruduntur fluctibus, trahuntur undis rapidis, sorbentur subitò! Longè alia periculorum in terra conditio est. Si quis fallenti ibi curru excutitur, superstes tamen manet, & firmis adhuc pedibus in via ambulat. Insistit terræ firmiter, qui terram incolit. Terra eum fert, non deprimit; ast deprimit, nō fert Oceanus! Miserum ibi est in peritia natandi præsidiam! Si tempestatum vis colligit navem, natandi ars, adversus decumanos fluctus, nihil prodest: mergitur vel naudi petitissimus! Lacrumabili modò tollitur, qui ab æquore tollitur! Tandem enim hic piscibus fit esca gratissima; ille inventrem alicujus beluæ, miseri quondam Jonæ hospitium, mittitur: omnes eo detruduntur, unde nulla datur reversio. O tristem navigantium conditionem, tot pati Oceani discrimina! ò nautas miseros! Quos ego, nescio carosne rectiùs, an surdos appellem, cum tot, in variis feralis navigationis casibus, monitores innuentes non cernant, neque increpantes audiant? Quid aliud frequentes maris tempestates volunt, quàm ut æquor homines fugiant? Quid aliud tot tristia naufragia, quam ut ne pelagus ingrediantur ampliùs? SERO metuitur, quod jam sentitur! Moneat tot absorpta aquis corpora; non tamen movent obstinatos in mala sua: omnia respuuntur velut fabulæ. Non movent tot periclitantium lamenta. Temnunt talia homines: Raptari, spretis hisce, ma-

lunt per aquas: forsan per ignes se raptari paterentur, modò quid lucri raperent & caperent. Dum verò nituntur rapere, in ipso ausu rapiuntur miseri. Sed num satis periculorum audivistis, in navigantium miseria? Audit. Minimè! Alia adhuc exspectat maris amicos homines. Licet satis firma navis sit, secundi satis venti, mare satis placidum; Piratæ tamen sunt, rapaces homines & perfidi, qui cumulant pericula periculis, & tristia navigantium fata longè tristiora reddunt. Quòd si enim nonnulli in eorum (ut sæpe fit,) manûs incidunt, clamant isti: siste cursum, miserande socie! siste illuc ire! tu per præceps ad opes eniteris, & per letale pelagus ad corporis felicitatem tendis. Non est terenda, qua vis ire, via, non est! Falleris. Huc ad insomnes curas, huc ad stupendos metus, huc ad casum & ruinam properas. Et rectà properunt! In dura abstrahuntur vincula, & carcere detinentur sæpius perpetuo. Adaugent captivorum multitudinem, qui in ergastulo consennère, & miseram traxere animam. Qui enim in remotiores orbis partes, fœdo lucro ducti, navigant, in barbatorum sæpe potestatem veniunt. Ibi severè nimis in ergastulis habentur. Interdiu arathum trahere, aut fossas ducere, aut celoces impellere coguntur. Si cessat laborandi ardor, ferreis percussi loris illicò impelluntur. Vitam non aliter, quam atrô panc, & palustris aquæ haustu tolerant. O deflendam magis, quàm dicendam horum navigantium infelicitatem! Non enim vivunt

vivunt ibi, ut laborent; sed laborant, ut lentè moriantur. Alii in Turcas incidunt, quos non tam humana ratio, quàm libido effrenata moderatur: ubi itidem cruentas sentiunt scuticas, nisi continuos labores præstent. Sunt cruribus innexæ compedes, catenæ manibus: æternùm ipsi vincti gemunt, tremunt, lamentantur. Sed in terris quoque, dicis; sæpe variis vexamur periculis. Quis neget? sed plerumque possunt ea regi omnia. Vitari possunt ab hominibus terrestria incommoda; marina minimè. Suo stat loco terra placidè; sed mare turbidum hinc inde fluctuat: terra regitur ab incolis; ast mare non permittit, ut id homo incolat, multò minùs regat. Terrenis homo sufficit; sed quid in mari potest, nisi horrescere? clamare? plangere? Horridum mare est, implacabile & intractabile, ubi sævire incipit: quis iram ejus vel compescat, vel fugiat? Frustra sunt, qui magnum commodum ex navigationibus haberi dicunt, quo magnæ regiones locupletantur. O miserum enim commodum! miseram utilitatem, quæ tot tantisque malis quæritur! TRISTISSIMA commoditas est, quæ cum tantis, & inevitabilibus quidem, incommodis conjungitur. Speciosa hæc potiùs, quàm vera commodorum est commemoratio. Si enim mala cum bonis conferre liceat, hæc ne agnosci quidem poterunt. Quantum enim est, quod affert malum navigatio hominibus? Humanos in iis mores mutat, qui per mare volitant, IN falso salo plerique insulsi, in-

ter ſcopulos ſcopuli efficiuntur. Quid? quod, experegrinis navigationibus huc revertentes, ſæpe magnâ variorum ſcelerum ſaburrâ graves revertantur. Sentinam morum corruptiſſimorum afferunt, dum ſibi aliquid utilitatis afferre videntur. Illi ampullatas Italorum ceremonias; hi vanam Hiſpanorum ſuperſtitionem; dolos iſti callidos Gallorum advehunt. Syrorum levitate alii; Aſrorum rabido furore alii; Indorum tetrâ alii libidine contaminati redeunt. Sybaritarum taceo delicias, taceo tumidam Parthorum bibacitatem, Lybiorum fœditatem, quibus multi conſpurcati, patriam quoque reduces conſpurcant. Egregia verò utilitas! Rectiſſimæ Philoſophorum apex & ſublime culmen, Plato, monuit, UT navigationem fugerent perinde, ac improbitatis gurgitem, qui virtutem amant, vitia fugiunt. Felices quidem multi videtur, qui navigârunt; ſed videntur! numquid enim iſta vera ſolidaque eſt felicitas, quæ à putreſcentibus dependet funibus? Non moveor felicitate iſta, ſapiens reſpondit ex Laconibus, cum Lampidem Æginetam quiſpiam felicem prædicaret & prædivitem. Quid verius? Profectò, unde vita hominis ejuſmodi dependet, inde quoque dependet felicitas ejusmodi. Verò verius hîc eſt illud Poetæ:

Omnia ſunt hominum TENUI pendentia FILO,
Et ſubitò caſu, quæ valuere, ruunt.

Memorabile eſt, quod olim Alexis, Poëta comicus,

cus, de ſui temporis nautis dicebat: Quisquis navigat, is aut inſanit, aut mendicus eſt, aut mori cupit. Memorabile eſt, quod per omnem vitam trium Ariſtotelem inprimis pœnituiſſe dicitur: QUOD commiſiſſet aliquid ſecreti fœminæ: quod eò navigâſſet, quò abire licuiſſet pedibus: quod unum diem in teſtatus manſiſſet. Memorabile eſt, quod Antigonus, ſævâ jactatus tempeſtate, ſuis præcepit liberis, ut & meminiſſent, & narrarent poſteris, ne quis, niſi perire velit, in tam dubiis rebus vitam ſuam periclitetur. O dictum aureum! O dignum obſervatio monitum! Utinam mortales, id ſecuti, meliùs ſibi conſulerent, & navigationis fugerent pericula! QUID enim, ſi quis rem exactiùs perpendit, navigatio? Avaritiæ progenies, optatæ vitæ hoſtis, gymnaſium periculorum inſuperabilium. Quisquis in varia pericula incurrit, qui per mare currit: Securitatis ſedes terra eſt. Quisquis ſecurus eſt, qui eam curat. Timendum mare ſemper eſt. Quisquis verè ſapit, qui hîc ſapit, qui has atrocis pelagi ærumnas fugitat. SAPIENTIS certè eſt, effugere pericula; inſipientis, ultrò petere. Fugiant ergo mare, quicunque ſapiunt, ne eos, cum Catone, aliquando pœnitet, (ſi modò pœnitendi tempus ſuperfuerit,) quod navi, magno cum periculo, eò abierint, quò terra ire potuiſſent. Ne tot procellis vitam, omni lucro potiorem exponant, cogitantes ſecum illud: QVI amat periculum, peribit in eo. Ut bene vivant, tot oceani calamitates

sustineut homines. MALE vivunt, dum bene nimis volunt vivere. Sat bene vivit, qui eo, quod patria fert regio, contentus vivit. Non enim, qui plùs habet; sed qui minùs cupit, dives est. Nec pauper, qui minùs habet; sed qui nimis cupit. Infinitum est, quod petit, qui plus petit, q̃ q̃ deest. Qui cũ suis bene convenit, sat dives est. Panem & aquam natura desiderat: nemo adhæc pauper est. Omnis regio hæc exhibet. Nemo transmarina cogitet: hoc avarorum est. OMNES saniori mente studium virtutis studiosè appetant, ut extra tot periculorum lernam vivant, de sua sibi vita cum Plautino Labrace gratulantes, qui, cum miseriam navigantium describeret: Qui homo, inquit, sese miserum & mendicum volet, Neptuno credat sese atque ætatem suam: Libertas lepida es, quæ nunquam voluisti pedem in navem imponere!

NAVIGATIONIS ENCOMIVM.

ORATIO.

INterrogatus nauta quidam ab ostore navigationis; ubinam pater ejus diem suum obiisset? in mari dixit: cumque iterum de avo, tertium-

tumque de proavo, & denique de atavo nautæ quæsiviſſet ordine, responsum ipsi dedit. in mari omnes occubuisse! Hoc cum à nauta audiret alter, subito quasi horrore perculsus, subjecit: Et numquid tu, ô bone vir, nõ times impetuosa sævientis Oceani flumina transire? non times mare, quod majores tuos sustulit, ingredi? Nauta, quâ decebat comitate, subridens, responsum aliquantisper sapienter dissimulat; postea, conversus ad interrogantem: Et ubinam, inquit, tuus obiit pater? Suo, ait iste, in lectulo: Sed ubi avus? ubi proavus? ubi cæteri majores tui? Omnes, inquit, suis obierunt in lectulis. Tunc nauta hilari ore: nonne tu, inquit, propterea somno domi inter plumea indulgere stragula, & lectum ascendere times, qui omnibus tuis majoribus fatalis fuit? Elegans omnino, ab homine conditionis aliàs tam vilis, responsum, certè supra ingenium nauticum! Quod quidem iis etiam dandum esset, qui justo meticulosiores quascunque navigationes horrent, marinaque pericula nimiùm extimescunt, providè sibi scilicet consulentes ut certam vitæ suæ, in multa secula tuendæ, rationem cautissimè habeant. O homines nimiùm trepidos! O timidè providos homines, qui tantopere, in navigatione reprehendenda, maris pericula exaggerant! quasi non quisque etiam domi suæ calamitatem exspectare debeat: quasi nulla æque gravia incommoda in terra sint, quibus homo singulis diebus; imò omnibus subjici momentis possit.

IN-

INCERTUM certè est, quo te loco discrimina exspectent. Ubique exspectanda sunt mala homini, ubique calamitates timendæ ! Quis vestrûm, A. negare poreſt, multos fuisse, qui cum navigare, mortis metu, prorsus noluerint, in lectuli plumis mortem miserè oppetierunt? multos è contrario propitium numen, in mediis etiam pelagi fluctibus, salvos & senes præstitisse ? BENE vivere omni loco positum est. Num quippiam fieri potest tam turbidum, quàm forum? Et tamen ibi quoque vivere licet, si necesse sit. Quid ergo perversi illi rerum judices, ob qualia qualia maris pericula, ipsum utilissimum navigationis studium peritiamque prorsus damnant ? Numquid omnia, cum periculo conjuncta, plane rejiciunt? Bella igitur, in quibus non est minùs periculi, quàm in navigatione, rejicienda sunt omnia: abstinendum est à luculenta veritatis professione, quæ sæpius cum prælentissimo vitæ periculo conjungitur. O mentes solidæ virtutis ignaras ! O rigidos aut molles rerum arbitros ! Perpendant secum quæso pericula alia esse temeritatis & audaciæ, quæ certè fugienda maximè; alia vocationis & officii, quæ, qui extimescit, haud scio, annon judicii minùs subacti homo, suo merito, censeatur. QUÆ enim officii ratio postulat, quamvis difficilia sint & periculis obnoxia, tamen prompta mentis alacritate sunt subeunda. Quid ergo est, Auditores, quod prædecessor meus, vehementi verborum impetu, in navigatores

tores detonuit? quod ipsam navigationis gloriam nullam dixit ? Fruſtrà certè fuit in periculis ipsius recensendis ! fruſtra, ad damnandum eam, prolixiora verba fecit ! Mihi suffragantibus quibuscunque prudentioribus, tanta navigationis videtur gloria, ut ea non res temeraria; sed modis laudanda omnibus, & digno semper encomio ornanda sit. De quare, & tempori, & loco huic aptissima, dum plura dicere impræsentiarum conor, quàm possum officiosissimè rogo, ut meum hoc propositum non tam ex dicentis eloquentia, quæ in me Juvene perquam est exigua, vel potiùs nulla, quàm ex ipsius navigationis, in cujus laudatione versor, dignitate metiri, & aures mihi benevolas præbere haud gravatim velitis. EA est ingeniorum humanorum indoles, ut, si quid egregium, si quid præclarè inventum fuerit, omnes de eo sibi maximè gratulentur, omnes eam sibi inventionis vindicare gloriam soleant; prolixè & studiosè referant. Quàm varii inveniuntur populi, & quidem celeberrimi, qui, de navigationis inventione sibi arroganda, graviter certant? acriter dimicant? Græci primos sese navium inventores dici volunt; Ægyptii suam hanc laudem esse jactant; Tyrii autem se primos fuisse, qui, paratâ nave, per maria iverint, autumant: Brianni suæ nationi gloriam isthanc tribuunt. Nulli quidem rectè ! Non enim Janus aliquis, non Hercules, aut fabulosæ Poëtarum narrationes volunt, nec populi quicunque excogitârunt

runt navigationis usum. Non Æginetis, non Phœnicibus, non Tyriis, ac ne Jasoni quidem tanta concedenda gloria. Etenim non ab humani ingenii sagacitate hoc opus, opus profectò admirabile, opᵘˢ æternâ laude dignissimum, opus hominum bono commodissimum, profectum est; sed à mirabili DEI Optimi, Maximi sapientia & benignitate. Hic, hic certè fuit, qui primus Noacho, Patriarchæ, mirabilem condendæ usurpandæque navis artem revelare paternè voluit: & nisi DEUS, sator hominum & conservator unicus, nisi DEUS navigationis artem docuisset, frustra, procul dubio, in ea invenienda omnes laborâssent homines, imo omnes, antequam invenissent, tristi periissent diluvio. Noachus enim solus, DEI amicissimus, primus nauta, cum uxore & filiis, exstitit, & salvus evasit: cæteri, divinæ navigationis irrisores, rapientibus aquis submersi, miseris modis interire coacti sunt. O navigationem ab autore optimo optimam! O primum ejus usum mundo conservando utilissimum! Postquam verò, finito diluvio, Noachi navis, diu per undas huc illuc jactata & fluctibus exagitata, in Armeniæ stetit montibus, exemplum inde statim gentes aliæ, inprimis Phœnices, navigationibus primò omnium deditissimi, hausêre: ab his ad Ægyptios; ab Ægyptiis ad Græcos; à Græcis ad Italos; ab his ad Lusitanos, Anglos, Belgas transiisse navigationis usum, certum est. Quid mirum, quod rudioribus primùm navibus commodiores

res semper & elegantiores successerint? quod plura subinde media, quibus felicius & velocius vehi liceat, excogitata sint? FACILE inventis addi potest, neque tantæ artis est, excolere aliquid, quàm invenire. Ab illo autem tempore ubique Cultores, ubique admiratores maximos divinum opus habuit, Divinum, inquam, opus, & quod ipsi quoque Ethnici sapientiores tale judicârunt, Palladem, Deam suam, autorem ejus nominantes. Ut maximè mirari subeat, quod lignea ejusmodi (ut ita dicam) facie homines inveniantur, qui infamem præstantissimæ navigationis originem statuere audeant. Nonne Deum ipsum valde offendunt? Nonne in eum contumelioſæ linguæ fulmen ejaculantur, quando rectam utilissimæ navigationis curam, studiumque perversè damnant, & natales ejus fœdos turpesque impudenter appellant? Nonne in bonos quoque viros, navigationis cultores, injuriosi sunt, illosque terris avaritiæ maculis conspurcant promiscuè, de quibus tamen nemo unquam mali quippiam suspicari, aut illorum actiones vitiosas jure vocare potest. Nisi fortassis iste faciat, qui, malè sibi conscius, & perversâ opinione deceptus est, ac si non nisi turpissimi lucri gratiâ ducti, pessimæque avaritiæ hamo tracti, omnes navigationem, quam suscipiunt, suscipiant, vel alius lucri cupiditati deditis diligentissimè hucusq; commendârint. Sed toto errant cœlo! DEUS, DEUS, est primus ille & providus pater familias,

lias, qui, ex singulari gratia, hominibus, ut vitam bene honestèque sustentarent, duos nutritores, & terram ad excolendum, & mare ad navigandum, concessit. TERRAM quidem agricolis qui post cultos diligenter agros, annonæ proventus, largâ DEI manu datos, colligant, se suosque iisdem, adversus famem, muniant, vitamque aliorum etiam sustentent. MARE autem navigantibus, ut, navigationis beneficio inusus hominum aliunde allata convertant, ut inde vivere, & bene vivere possint. Non paucæ enim regiones sunt, non paucæ urbes, quæ frumenti & vini sterilitate ita laborât, ut, cum ultra vastos æstuâtis Oceani fines sitæ sint, commeatus, ad humanũ corpus alendũ necessarius, terrâ minimè queat advehi. Quomodo ergo sine navigatione his succurrendum? Quomodo ejusmodi defectu laborantes juvandi? Certè, navibus eò ferenda sunt, quibus ad commodiorem vitam; imò ad vitam maximè indigent. Navibus eò vehitur siligo, navibus triticum, navibus vehuntur alia, sine quibus minimè hominibus commodè vivere datum est. Tantum ergo hominibus commodat altera illa vitæ humanæ sustentatrix, navigatio! tam utilis, tam necessaria est universo mundo, ut nihil utilius, nihil magis necessarium eâ, post agriculturam, esse queat! Quid? quod non frumentum solùm; sed & aurum argentumque, splendidissima metalla, ipsius adminiculo nanciscimur. Aromata & alias præterea merces, quas per orbem distribuit,

buit, non attingam, quibus destituti miserè satis vitam degere cogeremur. Cum verò duo sint publicorum temporum genera: unum pacis, alterum belli, quorum alterum semper optabile; alterum citra votum, nonnunquam necessarium est, quantum bone Deus utroque prodest navigatio? Tranquillo certè pacis tempore illius beneficio mercatura floret & viget, ingentes opum thesauri, qui adversus tristem pauperta tem, maximam generis humani hostem, nos defendunt, colliguntur: Vires & nervi Rebuspublicis accrescunt, ut magnæ, potentes, invictæ etiam reddantur. Non est opus, A. variorum populorum urbiumque celeberrimarum apud vos exemplis. Quid Hamburgenses florentissimos reddiderit. Quid Lubecenses tam illustres fecerit: quid Dantiscanis aliisque passim civitatibus tantam gloriam conciliârit, notius est, quàm ut multis sit explicandum. RIGA inprimis nostra, (florentissimum, per DEI gratiam, totius Europæ emporium,) nostra patria Riga, hoc ipso navigationis medio, post Livoniam inventam, & exculta, & ditata est. Inventa enim est hæc Livonia à navigatoribus Bremensibus, qui postquam tempestate dubia vexati, ad propositum sibi portum appellere non poterant, singulari DEI providentiâ in hunc terræ sinum, in hanc regionem pulsi sunt: hanc ergo ipsi urbẽ condiderunt: hãc soli partẽ excoluerũt, ubi antea nihil, nisi colles, fruticetis, senticetis & pinis aliisq; silvestrib⁹ arborib⁹

refectiſſimi videbantur. Hinc magis magisque ſplendida, hinc egregia, hinc regia denique facta eſt! Quam magnificè nunc vallis cincta? quam pulcrè foſſis firmata, pontibusque & portis elegantioribus exornata eſt? Quàm egregia & DEO ſacra templa, turribus in cœlum uſque tendentibus, in ea eminent? Ibi Petrinum caput ferè inter nubila condit: hîc, quod Dominicis Patribus ſacratum olim fuit, quotidiè aſpicimus: Illic Jacobæum ſuâ mole excellit: Iſthîc Johanneum civitatem ornat eximiè. Unde niſi ex navigatione, poſt DEI gratiam, ſplendidiſſima & florentiſſima enituit hæc totius Livoniæ Metropolis? Unde, niſi ejuſdem beneficio, adhuc multum pollet? Nonne quoties ſtupendam mercium peregrè advectarum vim, quoties navium huc venientium robur, Ruthenicarumque lintrium multitudinem aſpicimus, ſumma cum admiratione talia aſpicimus, & ingens divinæ navigationis beneficium agnoſcimus? Aliæ profectò urbes, quibus vel navigationis ſtudium denegatum eſt, vel ubi frigidius exercetur, magno felicitatis promovendæ medio deſtituuntur. Intuemini Wiſmariam! Urbs antehac fuit illuſtriſſima; ſed cum navigationes ibi tam frequentes non ſint, gloria illius & felicitas non parum imminuta eſt. Intuemini Antwerpiam! tanta certè impræſentiarum non habetur, quanta erat, antequam Ambſtelodamum ſeſe navigationis gloriâ efferret. Quid cauſæ? quandoquidem ibi tam frequentia & potentia na-

vigia, quibus res in illam ſplendidiſſimæ antehac invehebantur, ibi non apparent. Quid multis? Tantæ ſunt civitates maritimæ, quanta ipſa navigatio? UT flumina, nullis frequentata piſcibus, contemta jacent, hoſpitiumque impuris præbent animalibus: ſic urbes quoque, juxta littorum crepidines poſitæ, niſi navigationis ſtudio clareſcant, abjectæ quaſi ſunt, & nullo flore, nullo honore eximiæ. Navigatio celebres, præclaras, navigatio florentiſſimas urbes efficit! navigatio quæcunque dona pacis atque bona ſuppeditat, auget, coſervat! O nutriculam felicitatis optimam, maximam! Quanta, præter iſthæc, belli tempore momenta in navigatione vertuntur? Depellit ea ſuo robore appropinquantes hoſtes: cultores ſuos ab illorum clade & crudelitate tutor ſalvosque præſtat: populos populis ſubjicit, præcipuum bellandi & expeditiſſimum medium. Teſtantur hoc Luſitani, teſtantur Angli & Veneti, qui navibus & ſe ipſos hactenus, ab aliorum vi, inprimis contra hoſtem immaniſſimum, Turcam, aſſeruere, & arces regionum aliarum ampliſſimas, ipſasque regiones etiam frequenter occupârunt. De aliis non dicam fuſiùs. Quid eſt, quod Batavi, toto orbe, toties triumphârunt? quod Reges nationesque, pœne ad invidiam felices, aut ſatis afflixerunt graviter, aut in ſua fœdera amicitiasque allexerunt? Nonne potentes navigationes, & validiſſimæ multarum claſſium vires? Uno certo iſto bellandi medio po-

tentissimam Europæ Monarcham, Hispaniarum Regem, toties superârunt, tanta in utraque India regna, tantas orbis divitias, tanta orientis & occidentis adepti spolia, ut cum ipsis Romanis, Persarumque Regibus propemodum possint certare. Non adducam rursus Venetos, qui, excitatâ in ipso mari urbe, unius navigationis beneficio, invictos hucusque sese, & adversus quascunque hostium infestissimorum machinas tutos, reddidêre. Neque de aliis dicam, qui navigationum studio tanti facti sunt, ut gloria illorum nullâ temporum vetustate sit interitura. Imprudenter enim, ut mollissimè loquar, agere, qui navigationem temerariam esse dicunt; imprudentiùs, qui inutilem, ex jam dictis, satis est perspicuum. Accedit, quòd ad alendam quoque exteris in locis prudentiam, quòd ad comparandam variarum rerum scientiam, quod ad colendam virtutem multum faciat. Quid enim docet fortitudinem, tolerantem frigora, perferentem æstûs, devorantem molestias, squalorem, sitim, horrorem, non reformidantem denique mortem ipsam? docet navigatio? Quid sublimium grandiumque rerum adspectu animos inflammat, & attollit? Navigatio! Quid ad humilitatem & modestiam informat? Navigatio. Qui enim indissitis quoque locis homines præstantes viderunt, intra fines verecundiæ se continent faciliùs, cùm sciant, non ultra mõtem tantùm, quod dicitur; sed mare etiam viros habitare. Contra videas, idem mammisugis, (liceat

ceat mihi rei non-novæ novum fingere vocabulum,) plerumque accidere, quod illi, qui Athenis Corinthum profectus, minùs nitidam ibi dixit lunam esse, quàm in patria. Tales nempe sua admirantur, aliena contemnunt, & supercilioso despiciunt animo. Imò, ut paucis multa comprehendam, quid ad concinnam morum elegantiam, ad politiam civilitatem plurimùm confert? Navigatio. Eant ergo, quotquot sunt, oforesejus, (si modò verè possunt esse rectam utilis, tam necessariæ ofores,) eant tamen, perfricent frontem, & inutilem navigationem proclament! Sed tantis tamen, tamque excellentibus commodis varia obvertuntur maris, præsertim ex veteribus, descripta pericula! Fateor quidem, Audit. veteres nonnihil duriùs, in navigationem, nimiopere exaggeratis ejus discriminibus, scripsisse; sed in eam, quæ tum fuit; ad nostra usque si vixissent tempora, aliter certè dicerent, aliter judicarent, sententiamque minùsæquam mutarent. Non fuit illis usus Magnetis & pyxidis nauticæ cognitus: hanc enim ante annos ferè quadringentos à Flavio quodam Melphi, in Campania, maximo navigantium bono repertam, constat. Non chartas illas Geographicas habuêre, tam exactè adornatas, ut nos hodie; quæ portuum, Insularum, Vadorum conditionem, mariumque profunditatem navigantibus ante oculos distinctissimè statuunt. Quanta verò hæc sunt facilis navigationis adminicula? Neque quisquam est, qui nescíat,

quantâ facilitate & velocitate ad loca, & quidem maximè dissita, navigationis beneficio, possit, hodierno tempore, perveniri. Nolo ad eos provocare, qui in Indiam, aut alias novi orbis, ut appellant, partes brevi temporis spatio profecti sunt: præterco illos, qui totum orbis circulum navigando superârunt, & quidem felici secundoque conatu superârunt: ad vos saltem, A. provoco, & quam optato, quam jucundè sæpius navigaveritis, jucundè vobiscum expendatis precor. Non quidem illud Callimachi ignoro, qui, jucundissimum esse mare; sed si quis illud è terra contempletur, censuit. Si quis tamen rem exactiori judicii librâ pensitet, inter ipsos marinos fluctûs, inter murmurantes undas, jucundissimo præsertim æstatis tempore, cum, cœlo aurisque addictis, & Zephyris amicè spirantibus vehimur, mirum, quantum jucunditatis & lætitiæ invenimus. Non defatigamur enim, aut lassitudine aliquâ opprimimur, ut plerumque nobis usu yenit in terrestri itinere. Videmus quandoque summa cum voluptate lusitantia, in liquido blandientis Oceani flumine, animalia: cum delectatione adspicimus varia marinorum piscium genera, volubilibus hùc illuc pinnis natantia: ipsi ludere, ludendoque iter ocyssimè conficere possumus. Omnia jucunditatis suavitatis plena sunt, quæ in patenti passim mari conspiciuntur, mirisque blandimentis navigantium animos magis magisque demulcent, & ad navigandum invitant. Et quid-

quidni vitarent? Possunt enim ipsi paucis, non dico hebdomadibus; Sed diebus etiam, tantum iter emetiri, quantum ne Pegasus quidem longo tempore conficeret. Proficiscuntur hilari animo, & felici siderum cursu, cursum suum satis prosperè peragunt, donec fausto ventorum auxilio, ad optatam mentam, feliciter perveniant. Non ibi occulti latrones vagantur, & homicidæ: non sunt nocturni pessimorum hospitiorum doli expavescendi. Omnia secura! omnia tranquilla! tuta omnia! Quid in terrestribus itineribus versantes? facilè in avia & devia, in latebras & periculosos viarum recessûs incidunt, ubi atrocibus immanissimorum prædonum manibus spoliantur, cæduntur, trucidantur. Quid loquar vices alias peregrinantium in terra, quibus sæpissimè objiciuntur? Hic equorum lapsus; Ibi pecuniæ defectus; isthic currus fractus moram injicit itineri. Hospitia sæpè miserrima obtingunt, quandoque nulla: si quod datur, plerumque non est, nisi unius noctis, vel prandii, vel cænæ: mox vetus illud occinitur: Exi hospes, da locum aliis! Sæpe loculi, aut itineris ratio peregrinatorem diversorio ejiciunt. Mallet ille quidem in diversoriolo, quantumvis incommodo, hærere diutius, mallet pausare largius; sed exeundum & pergendum est, deserenda taberna, ingredienda via molestissima, vocat viæ terminus, ut strenuè defatigeris. Impossibile est, Aud. omnia mala & pericula, quæ terrestre iter facientem exagitant, commemo-

rare. Graphicè, quid sibi aliquando, terrestre iter ingresso, contigerit, magnus describit Lipsius. Quid obstat, quin hîc audiamus questus ejus, quibus quidem aliorum olim crabrones irritavit? Dum enim fessus, recreare corpus suum voluit, qui recreatus est? Audiamus ipsum: cibi non dicam barbari, inquit; sed vix humani illis in hospitiis (sic appellabo, etsi revera stabula & haræ potiùs,) oblati sunt. Primum ferculum è lardo spisso, pingui quidem; sed crudo. Buccellas panis (si modò panis) tradunt; sed revera, si colorem, si pondus, si faciem vidisses, juro tibi (ad Heurnium ita ait,) de pane pejerâsses. Ater ille, gravis, acidus & formatus in massam quaternos, aut quinos pœnè pedes longam, quam vix quisambabus manibus elevare potest. Quid faciam miser? poscere aliud nefas. Et, quod caput cœnæ fuit, patinam grandem brassicæ sectæ plenam inferunt. Ea jurulenta est, adipe porcino ad digitum eminente & superstante. Hanc ambrosiam non comedunt illi; sed, tristissima fame coacti, cupidissimè vocant, & in gulam immittunt. Extremum ferculum caseus est; sed iste ita putridus, ut diffluat: hunc ipsum tamen habent, quoniam non alium habent, ut cerebrum Jovis. Sed hæc in Pagis solùm, inquis, contingunt! Certè, in oppidis haud multò meliora, nisi quod illic tamen pisces peregrinantibus appositi, ex his qui ex Norvvegia adferuntur, sale indurati & vento. O res delicati stomachi! Vultis lectum? pergit Lipsius. Planè electum!

ctum! Lecticæ pleræque in ordinem ad utrumque latus. Juxta eas vaccæ, equi vituli: supra pulli & gallinæ: subter porci, cum porcellis. Egregii socii! egregii concubitores! De pulvino & linteo quæritis? Mendicorum certè tegetes, aut centones longè meliores, longè puriores sunt. Sic & lectus stragulis paratus, ut per totum terrestre iter vestes peregrinator suas deponere nequeat. O miserrimam ejusmodi peregrinantium fortunam! Tantum habent lecticuli, tantum cibi, pecuniæ tantum, quantum in pera, humeris impositâ, ferunt. Quem antea fortassis à puero phasidos alites, & turdorum acies, & fartæ turundulis perdices aluêre, idem nunc terræ radices, nunc brassicæ caules, nunc allii fœtentis feces mandere: qui vini Falerni succum potare solitus est, poscâ, in peregrinatione istâ, & locâ sitim oblectare cogitur. Longè feliciùs, qui in maritimis itineribus versantur, versantur! Noctes non inter palcas; sed inter plumas placidè cõsumunt. Cerevisiam, vinum, & tot sapidorum ciborum genera secum in promptu habent, (possunt sanè, si voluerint,) ut, quantum, quantum iter fuerit, corpus magnificè satis alant & conservent. Si ventorum aliquis ingruit impetus, eò velocius domus aquatilis currit, eò citiùs, ad optatam metam, provehitur. Quò enim fortiùs venti adspirant, eò feliciùs ad portum deducimur, ubi res nostras, ex animi sententia votoque, possumus expedire. O nobilissimam navigationis peritiam!

O insignes ejus usus! Quid urbes sunt, quibus ejus commodis non uti liceat? Clarissimum certe est clarissimarū urbium decus navigatio. Hujus beneficio mercatores felicissimè diteſcunt. Hæc celsas domos, hæc splendida palatia, hæc pulcerrima templa ædificat! Quid navigationem minimè necessariam, minimè honestam pronunciabunt malè sani ejus contemtores? NESCIUNT certè, quid utile, quid bonum sit, qui laudabile navigationis studium inutile aut malum quoque esse asserunt. Nimiùm delicatuli sunt & molles: domi latitare, &, inter paternos lares lentuli seneſcere malunt, quàm alibi suam fortunam periclitari. In Dunæ flumine, sereno cœlo, necem metuunt ejusmodi (ut ita dicam,) Abydeni: quid non in mari fieret? Ante tempestatem trepidant, obstupeſcunt, formidine concutiuntur, ita penitùs, ut vel lenes ludentis venti susurros horreant. Suæ terræ affixi sedent, velut claudus sutor suo in solio. Humi repunt, otium quærunt, umbram sectantur, pueris illis similes, qui domi semper sunt, &, extra paterni agelli ambitum, neque solem orientem, neque occidentem intuentur. Resipiscite, qui antehac perversa mente navigationis curam & studium, tanquam turpissimum quid, contemsistis! Exuite illum minùs æquum animum, & meliorem induite! Semovete ab oculis crassam ignorantiæ caliginem, ut veritatis lumine illustremini! Definite navigationes futiles & inutiles nominare! Utiles profectò

fectò quàm maximè sunt. Urbes tantis divitiis & rerum opulentiâ beant, ut, summa cum gloria, mundum possint exornare. Necessaria ad alendam vitam asserunt: Ab Indis ebur, à Sabæis tura, à Persis Sericum, à Moluccanis aromata afferunt. Aurum argentumque Americani, ferrum, chalybem, æs Sveci, stannum Britanni nobis, ministerio navium, mittunt. O res humanæ vitæ utilissimas! Quis navigationem non summis evtollat laudibus & plausibus? quis nō magni faciat? Tibi verò, æternæ & omnipotens DEUS, tibi, inquam, autori navium, datori omnium bonorum, gratias agimus maximas, quòd navigationis beneficio hanc quoque Livoniæ Metropolim, Rigam nostram, excoli insigniter, magnificeque hactenus ornari voluisti. Continua hoc tuum in nos beneficium: fac, ut nostris mercatoribus, ex navigatione, omnia prosperè, omnia feliciter posthac eveniant, & Regia hæc Riga, alma virtutum & ingeniorum nutrix, sub optatæ pacis auspicio, opibus, dignitate, potentiâ & navigationis denique usu diutissimè floreat, vigeat, perennet!

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

MOSCHORUM IN LIVONIA FEROCITAS MIRABILIS CURONIÆ FELICITAS.

OMnino enim talis fuit, & ab eo quidem fuit, qui ex bono malum elicit, qui ad perniciem reperta, in salutem suorum vertit. Quis in talibus potentem Deinon agnoscat sapientiam? melius judicat, de malis bona facere, quam nulla in bonos mala permittere. Quis non miretur sapientem Dei potentiam? non solum vincit obluctantes suis hostes; sed & ità vincit, ut pro ipsis militent, ut arma pro ipsorum ferant gloria, ut in malis, si non à malis, divina voluntas semper fiat. Viperæ theriacæ admiscet medio, effectu saluberrimo: sic Deus noster pharmaco miseriarum noxas hominum, & sine noxa tamen, temperat: consumit certè mixtum illis virus, & arcano quodam providentiæ suæ igne decoquit. Respicite ad seculi superioris clades in Livonia: heu cades Moschicæ Tyrannidis, quibus nihil acerbius Sol vidit visurúsq; est, ab ortu omni ad occasum! Horreat sermo, si ad tabulam memoriamq; tot nobilissimæ provinciæ funera, & quantum malisit invectum, revoces. Experta est ætate illa, quid in felicitate ultimum, quid in miseria. Ab illa quidem præceps in hanc ruit, postquam usum ejus,

ejus, tot à Plettenbergio Victorioso lustris, habuit: in hac verò, quam tyrannus afferebat, denuò felicitatis semen nacta est. Quis hoc, quis credat? mirum prorsus est; nec tamen mirum est, si quis mortalium conditionem æstimet. ADVERSA ibi ex secundis: secunda ex adversis subnascuntur: utrorumq; semina occultat Deus, & plerumque bonorum malorumque causæ, sub diversa specie, diliteſcunt. Quid fuit Moschorum in Livonia ferocitas, quàm flagellum aliquod lascivientium? quàm purgamentum vitiorum? quàm luculenta tot virtutum commendatio? situm utique absterſit illis, ut vividiùs niteſcerent, ut impetu feliciori, ad tuendum bonum publicum, exsurgerent. Profectò sicut ignis, munitus ab injuriarum tactu, otiosa pruna, serpit per pabulum: mox sponte sua moritur; sed ventis undiq; vexantibus, quantâ vi erumpit? quam totis flammis emicat? Sic VIRTUS etiam inter congestas pacis opes præfocatur facilè & perit; nunquam in excelsis animis tam bona sese fide exserit, quam ubi cum miseriis committitur. Adesdum Curonia incluta, & Tuam mihi mentem hic expone! nunquid tanta meritorum gloria exsplenduisset Tua gloria GOTTHARDUS, Heros augustissimus, si nunquam infestâsset Livoniam Moschorum rabies? nunquid, in perenni tranquillitatis sereno, ad tantum pietatis, fortitudinis, constantiæ robur induruisset? nunquid ipsa ad Ducalis eminentiæ insignia evecta esses, nisi Phalaris Ruthenus tam ferociter presſisset Livoniam? Nisi prorsus fallor, arma ejus, arma crudelissima, ignaro licet hoste, servierunt bono Tuo, servierunt conversioni ac mu-

mutationi Tuæ auspicatissimæ, cui tum, mirando Dei nutu, Heros sui nominis, GOTTHARDUS, auspicato destinatus erat. Et quis alius, successu tã secundo, Tibi unquã præfuisset dicã, an profuisset? Quis alius tot tantisq; pro salute Tua laboribus continuò vacãsset? Ille, ille erat, quem divina cura Tui curã singulariter habere voluit. Nimirum QUOTIES ad singulare decus excitandus est quicunq; populus, virũ ejus bono Deus excitat, illustri virtutum divinitate spectabilem, qui animum heroicum, ingentis effectorem operis, ad florem & honorem boni publici commasculet. Nec enim tantæ sunt fragilitatis nostræ vires, nec tanta miseræ mortalitatis potentia, ut tam pretiosas mundo Gemmas ferat. Cœlum est, ubi oriuntur: Divinæ bonitatis sacrarium est, unde magnæ mentes prodeunt. Nec aliunde magna illa mens, gemma illa incomparabilis, illustrissimus GOTTHARDUS, Pater suæ Curoniæ, pater atq; custos publicæ felicitatis providentissimus, ex Ordinis Teutonici Magistro, augusta SIGISMUNDI AUGUSTI, Polonorum Regis, autoritate, Dux splendidissimus. Suspice hoc astrum, ô Curonia! cœli est, & Tuum. venerare sancta ejus in Te merita! Cœli sunt, & GOTTHARDI Principis, cujus optatissimo adhuc germine, in pace omniumq; rerum abundantia, ex voto gaudes. Illustrissimum Ducem JACOBUM intelligo, Heroem & majoribus suis, & quibusvis nostris laudibus majorem, cujus felicissimum splendorem patria non capit: exteri non satis mirantur: omnes in eo omnia inusitata agnoscunt & depradicant. Perennet hæc Ducatus florentissimi prospe-

ritas! in omni semper statu vigor Pietatis ac Iustitiæ perennet! ut majora semper incrementa capiant bona illa, quæ conversioni suæ jamdudum debuit. Quam ut sibi aliisq; imprimeret Nobilissimus Iuvenis, GEHARDUS Torck / Eques Curonus, in describenda illa generosum animi conatum exercere voluit. Et inde nata ei est Oratio, insigne studiorum specimen, quæ juxta Eloquentiam, Politicæ Historicæq; apud nos, eximia cum laude, nec minori, ut speramus, fructu, cosecrat. UT enim usui potius & Reipublicæ, quàm hominum opinioni serviatur, istis sanè studiis nobile exerceri ingenium debet. Multi quidem, dum sectari sese putant Eloquentiam, loquẽtiam insulse tractant: talis enim est, quæ nullis vel moralis, vel civilis prudentiæ præsidiis roboratur. His verò judicium Politicum, quo nihil sapientia humana possidet sublimius, formandum, his firmandum est, ut rectum afferatur ad Historicos. Mutua hic est & secreta conspiratio: mutuum cordatæ Eloquentiæ robur & decus, ad quod propterea futurum hoc familiæ & Patriæ suæ decus eximium (tale enim utrique promittimus,) constanter excitamus. Cum autem Oratio illa d. VII. Iulij ex memoria reddenda sit, omnes Musarum nostrarum Patres, Patronos, Fautores, Cultores humiliter, officiose, humaniter, amicè oro, rogo, ut, vel materia jucunditate excitati, nobilem suã præsentiã panegyrim illustrent, &, ex spissis ærumnarum superatarum tenebris, modernæ felicitatis in Livonia lucem, quam æternam Deus esse velit! gratã mente æstiment. Nos eãdem beneficium nobis exhibitum constanter venerabimur. P. P. Rigæ, d: 4. Iulij. Anno 1651.

CON-

CONVERSIO CVRONIÆ.

ORATIO.

POsteaquam pristinum vivendi decus Romani neglexerunt, & mores patrios, disciplinam bene temperatam, velut leviora suâ magnitudine ducentes, peregrina sensim æmulati sunt, cum peregrinis simul moribus, peregrina vitia inoluerunt. Rerum enim militarium, quam quietis otiique, antè patientiores, excepêre ambitio, luxuria, avaritia: quos arma nunquam fregerant, vitia vicerunt. Ibi pro labore, desidia: pro continentiâ & æquitate, lubido atque superbia plerosque invadere: pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, cupiditas vigere: omnia ad exitium status florentissimi tendere. Quid mirum, Romanorum fortunam immutari cum moribus? Nihil in tam corrupta Republ. quam tot mala vexabant, salutis supererat, nisi, quod corrupti Civitatis mores, ad movendas turbas, multos invitabant. Cædibus igitur mutuis se atterebant, non vulgus ad talia pronum; sed præcipua Romanæ Reipub. capita, mutuisque abalienata odiis, nonnisi cædes intestinas, intestina arma

arma cogitabant. Jam Marius & Sylla cruentis mutuò ardebant odiis: jam Catilina, cum funestissimis sceleris satellitibus, Ciceroni exitium, Patriæ incendium, orbi vastitatem intentabat: jam Clodianæ factionis socii in cives bene meritos grassabantur: denique Pompejus & Julius Cæsar, affinitate licet conjunctissimi, ambitione stimulante, ad arma, ad necem concurrebât. Quò successu? ut tota Reipub. Romanæ facies mutaretur, & tandem cuncta discordiis civilibus fessa, sub unius Octavii Augusti principatum concederent. Si Livoniam; sed qualis seculo superiori exstitit, indice historiâ illius, dispexerimus, nonne idem ferè, qui Romæ vultus? nonne idem prope status morum & mutationum apparet? Postquam enim, anno supra millesimum quingentesimo primo, WALTHERUS PLETTENBERGIUS, Magister, jubar illud Ordinis Teutonici, (de quo silere præstat, quam parum dicere,) Moscovitæ, hosti crudelissimo, &, ob potentiam suam, spe atque animo conflatum, tantum terroris, cæde instructissimi exercitûs, intulisset, ut inducias annorum quinquaginta cogeretur pacisci, secundo isthoc rerum successu mores plerorumque, sicut fit, in deterius vertebantur, cum æquâ mente suam ferre felicitatem nequirent. Dominantium inprimis animi, instantibus laxati curis, cum vix Pacem, rerum optimam, gustâssent, proh dolor! non gradu; sed præcipiti cursu, à virtute discisebant ad vitia, priorem disciplinam

nam deserebant, corruptos mores sectabantur, in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negociis ad ocium se convertentes. Quæ ibi cultûs divini cura? quod virtutis aut honestatis studium? Conviviis dies pariter noctesque sæpius uti Hectores, quorum faucibus, jugi siti ardentibus, vix Cereris aut Dionysii vis sufficeret, consumebant. SIC continentiam & moderationem, bona in altissima quaque fortuna eminentia, in superbiam & luxuriam vertebant. Quis hîc exoriri miretur bella civilia? quis perennaturam felicitatem credat? Ipsi etiam prudentiores malum tristissimum, quod adhuc latitabat, plenis inde flammis erupturum cernebant. Nec fefellit eos opinio: in mutua ruerunt dissidia. MODO CASPARUS MUNSTERUS, Prætorii Livonici Præfectus, WILHELMUM FURSTENBERGIUM, Commendatorem Vellinensem, ignominiosè differebat, ac si, ruptis legum ordinis repagulis, sibi & Coadjutoratum, & dignitatem Magisterii rapuisset: modò accusabatur Ordo, ac si iniquis bonis inhiaret Archiepiscopalibus: modò ipse Marggravius WILHELMUS, Archiepiscopus, & HEINRICUS à GALEN, Ordinis Magister, capita Livoniæ præcipua, collidebantur, ut hic, audito Livonicorum statuum consilio, tympanorum strepitu milites undique colligeret, &, quæ in Moschum comparandæ vires fuissent, contra Archiepisc. consumeret. Jam HERMANNUS WESELIUS & JOH. à MON-

MONNICHAUSEN, Dorpati, Osiliæ & Curoniæ Episcopi, cum Ordinis Magistro, sese conjungebant: jam diffidationis literas, ut vocant, Archiepiscopo Kokenhusam mittebant: jam Rigenses dato ipsi renunciabant juramento: ignis fumo undique erat proximus. O miseriam civilium in Livonia motuum certissimã! O manifestum instar Romanarum turbarum in Livonia! Quantumvis, in infelicitate illa, feliciorem Rep. Romanâ prædicare Livoniam possimus. Quis enim partes in illa dissidentes? quis bella dirimere intestina poterat? Nemo prorsus: in sua Romani ruebant exitia. Livoniæ autem, tum hac in parte, tum in multis aliis, augustissimus eo tempore Rex Poloniæ, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, velut salutare sidus, affulsit, & tot animorum tempestatibus finem aliquem imposuit. Anno enim supra millesimum quingentesimo quinquagesimo septimo, Mense Decembri, Pasvvaldi, quo se se Bauskenburgo nuper electus Ordinis Magister, FURSTENBERGIUS, cum Archiepiscopo, & Coadjutore ejus, CHRISTOPHORO, Duce Megapolensi, receperat, in suo ipsius tentorio, suâ autoritate, ipse Rex, interna sopivit dissidia, ut solennissimè, datis manibus, & juramentô additô, pacificatio firmaretur, & Lithvani quoque cum Livonis arctiora adversus Moschum fœdera inirent. Sed ut vaporem Solis æstivi vehementissimum, gravis sæpè cœli fragor & tempestas sequitur, quæ non oculos modò;

dò; sed animos quoque hominum gravissimè exterret: ita Pacem istam, optatissimè reductâ, turbo belli Moscoviticus, turbo impetuosissimus, turbo miserabilis obruit, imò penitùs subruit! Vix enim conventu isto Pasvvaldensi finito, fama, (ut solet) strenuè totas regiones atque populos percurrit, animumque Moscovitici Tyranni in novas iras suscitat. Suspectum illi erat Lithvanorum fedus cum Livonis: Magister Ordinis, HEINRICUS à GALEN, cum quo paucorum denuo annorum inducias inierat, vitam cum morte commutârat. Sub titulo igitur exigendi Dorpatensis tributi, Livoniam cum infinita latronum multitudine, adoritur, totamque statim cædibus horribilibus implet. Quod miseris restabat hic remedium? Exhausti erant turbis intestinis: Moscovitis arrogantissimis, qui totum Livonorum exercitum, uno à se spiritu difflatum iri, dixerant, resistere non valebant. Necessitas igitur in rationem vertebatur, ut, consumti tandem internis externisque bellis, primum Protectioni; postea Dominio SIGISMUNDI AUGUSTI se subjicerent. Hæ nimirum vices sunt regionum! Tàm variis vicissitudinibus rotantur Imperia! UT omnibus creatis: ita & provinciis hoc est ingenitum, ut, instâ quâdam vi, ad casum & mutationem ferantur. Quanquam tota Livonia Dominio Regis Poloni non cesserit; pars enim altera Potentissimo Suecorum Regi subjiciebatur, cum Revalienſium Legatis, opem in hostes peten-

petentibus, auxilium promisisset. Hoc enim impetrato, ipsi ad Magistrum ordinis, ex Equestri Ordine Reinholdum Lode, & Johannem Winter ex Senatu, ablegârunt, qui, dato juramento, quò obstricti adhuc erant, & Equestris Ordinis, & Civitatis nomine renunciarent. Pars altera ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM transiit, in qua deinde ultimus Magister Ordinis, GOTTHARDVS KETLERVS, autoritate Regiâ, Curoniæ Semgalliæque Dux constitutus est. O mutationem Livoniæ memorabilem! in qua Curonia præsertim, singulari Dei consiliô, aliam prorsus faciem induit. Deus enim est, qui Regna tribuit & aufert. Deus est, qui Regna convertit. Deus, qui provincias immutat: omnia ex ipsius nutu pendent & arbitrio! Et hanc ipsam quidem Curoniæ, in Ducatum, conversionem, ex certis historiarum, manuscriptis etiam, monumentis petitam, brevi Oratione impræsentiarum explanare statui: quod tamen antequam faciam, spectatam tuties humanitatem vestram, A.O.O.H. officiosissimè imploro, ut Juveni Curono, de Curoniæ conversione, verba breviter tenuiterque facturo, vestrâ benignitate adesse, ne dedignemini.

Tumultuabatur adhuc JVVAN BASILIEWITZII insania in miseros, &, instar tigridis funestæ, sæviebat in omnia: vagabatur, per totam Livoniam, infinita latronum multitudo, Livonorum spoliis onusta, Livonorum sanguine cruenta: sine ullo ætatis, ordinis, aut sexûs

discrimine omnes contrucidabant, iram omnes vertebant in rabiem. Effusi per pagos ac vias rutibundi canes, omnia diripiebant, omnia vastabant: fœminas stuprabant & virgines: pueris tenellis non parcebant: senes, juvenes miserabiliter cruciabant. Undique gladiorum fulgor perstringebat oculos, undique armorum sonitus, fragor undique audiebatur. Puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, Moschorum clamoribus, privata, publicaque circumsonabant omnia: per silvas cadaveribus oppletas hominum cruor manabat. Ipsæ urbes ac arces, pæne dimotæ & convulsæ suis sedibus, suorum incolarum in cæde ac sanguine natabant. Quæ lingua efferendis tot miseriis sufficeret? quæ lacrumæ deflendis iis satis essent? Tot autem malis victi Livoni, pluribus, ut apparebat, mactandi, quid facerent, incertum erat. Convertebant sese ad Germaniam; Poloniam sollicitabant. Sueciam orabant, undiquaque ad auxilia, pro avertenda internecione sua, circumspicientes; sed raros miserorum amicos esse, passim experiebantur. QVI enim multum in aliorum misericordia ponunt, ignorant, quàm celeriter lacrumæ inarescant. Nemo fideliter diligit, quem fastidit: nam & calamitas querula est, & superba felicitas. Ita suam quisqi fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat. Nisi mutuò simus misericordi, alius alii subitò fastidio sumus: neque mirum, fortunatos semper patres quærere. Promissis quidem multis

multi ex Germania miscellos solabantur: literas mittebant frequentiùs, iisdem nescio quos montes aureos pollitici. Sed alia requirebantur resistendi tam feroci hosti media, qui properè majorem Nobilissimæ provinciæ partem vastârat; imò ad ipsa ferè Statuum Livonicorum castra, quæ in Districtu Dorpatensi, Kirempeii & Schvvanenburgi, ponebantur, pervenerat. Conveniebant tum ex castris Kirempejensibus Dorpatum Livoni proceres, consultaturi: quibusnam mediisaut modis, Romani Imperatoris voluntatem secuti, vicinum quendam Regem, ad subsidium præstandum, vocarent. Frustra! Tot in Consilio sententiæ erant, quot capita: affectuum hinc inde impetu trahebantur: quisque illum, unde sibi plurimum spærabat, cupiebat. Ita huic metus, illi cupiditas, isti naturalis eorum, quæ cogitaverat, amor, obstabat, ne solidi quippiam in medium consuleret. Et jam, negotio infecto, abire tum parabant, cum Consul Dorpatensis, Antonius Tylcus, Vir spectatæ probitatis, prodit, & præfatus: Sibi forsitan nejus esse, parere dicto, quàm consilium, inter illos, qui, veluti in Reip. puppi sedentes, clavum tenent, afferre, cum idem illos, qui parent, quod cæteros: qui verò suadent, proprium maneat periculum. Obortis tandem lacrumis dixit: Tot jam dies, consultando tantum de auxilio, consumtos, nihil tamen effectum esse. Ipsimet cogitarent, sive ex Oriente, sive ex Occidente vocarent ahquem, nullum tamen, sine Livono-

rum damno, damnum hosti Moscho illaturum. Cum ergo multis adhuc divitiis multi abundarent, venderent potiùs mundum muliebrem & ornatum, omitterent luxuriæ instrumenta, & illo auro, ad defendendam Provinciam, fortem colligerent exercitum. Consilium optimum ac fidele! Auditores; surdis tamen narratum auribus. Spernebatur alto supercilio! fœminarum torques, armillæ, monilia, majoris fiebant, quam ut Salus curaretur Patriæ. Privata cuique stimulatio, & vile decus publicum. Quam verè hîc militavit, quæ ex Patavino adyto sors data est: PRIVATÆ res semper offecêre, officientque publicis consiliis! Plerique omnes suo tantùm bono velificabantur, non absimiles formicæ, quæ, ut animalculum est sibi sapiens: sic in horto maximè nocivum. Centrum planè ignobile erat consiliorum, commodum proprium, quicquid Livoniæ accideret, cujus afflictis & penè prostratis rebus, quod subsidium arcesserent, ab omnibus derelicti, ignorabant. Unus SIGISMVNDVS AVGVSTVS, verè augustus, Protector Livonorum, & jam propiùs, ex Pasvvaldensi fœdere, illis junctus, supererat, Heros animosissimus, qui prudentem Christianæ fidei curam & salutis servabat, sive sævus fremeret Boreas, sive nubilus Auster sudaret prælia, sive Oriens turbas creparet, sive minas spiraret Occidens: hujus se benignitate recreabant atqui solabantur: ad hunc, calamitatem Nobilissimæ Provinciæ; sed jam immaniter vastatæ, deplorantes fugiebant: hunc ipse tum temporis Coadjutor Ordinis providentissimus, GOTTHARDVS KETLERVS, ad opem miseræ Livoniæ ferendam, inducebat. Certis tamen sub conditionibus, quas ipse Rex & Coadjutor, tertio Septembris, anno supra millesimum, quingentesimo quinquagesimo nono, juramento confirmabant. Nimirum pro belli sumtibus, novem arces ac Præfecturas, loco pignoris, cum Rege paciscebatur, salvo Imperii Romani jure, quas Ordinibus Provinciæ, bello cum Moscovita confecto, aut Pace quacunque conditione compositâ, sexies centenis florenorum millibus, redimere jus esset. Ea de re Instrumenta confecta, sanctè confirmata, & levamina miserarum impetrata sunt. Neq enim melius esse noverant, contra potentiam majorem, remedium, quam potentiorum implorare & subire Patrocinium. Neque una hoc Livonia fecit. Frequens hoc semper fuit, præsertim populis Italicis. Annon enim Pisani, Aretini, & olim Florentini, cum sibi ab externis hostibus metuerent, suarum Urbium Dominium in annos quinque Roberto, Regi Neapolitano, transcripserunt? Annon Senenses Johanni Bohemiæ Regi, & Genuenses, triennio ante, Carolo Franciæ Regi ita se dediderunt? Nec aliter hodie Lucenses & Genuenses faciunt, qui se omnino Regis Hispaniarum Patrocinio, quàm parato semper in castris exercitu, tutiores arbitrantur. Miremur autem meritò illam Regis

SIGISMVNDI Humanitatem! Miremur facilitatem AVGVSTI augustissimam! Quanta à Livonis affectus erat injuria, quos juvabat! quam graviter ad vindictam irritatus? Cum enim, bello intestino jam exorto, Rositensis Præfectus, Wernerus Schall de Bell, cum aliis nonnullis aulicis, in prædio Serzenensi viveret, & Legatus Regis Polonorum, Lonsky, Kokenhusam profecturus, hâc transiret, O factum contra jura gentium perpetratum! arripitur Legatus ille, nudatur, miserabiliter contunditur, corpus illius tot vulneribus laceratur, ut uno vel altero die postea vitam exhalaret. Quis hic miris modis exasperatum Regem SIGISMVNDVM negaret? Cædem certè istam, instructo exercitu, ferro & sanguine vindicare volebat, nisi Romanorum Rex, FERDINANDVS I. intercessisset, post preces Legatorum Danicorum, missis Petrovitio, Saurmanno, aliisque splendidissimis Legatis, Regem benignissimum Livonis Statibus reconcilians. Is ergo, facili humanitate victus, subsidia Livonis nihilominus promisit, licèt afflictissimis, licèt undique & undiq; pressis. O vim facilitatis regiæ laudatissimam! FORTVNATORVM aliàs amicitiæ, multo suntgratiores, quam miserorum; sed horum tamen stabiliores. Felices enim, sicut meritò amicitias sibi oblatas esse statuunt; ita parum religiosè colunt: miseri verò, quod in solo beneficio & misericordia aliorum positum vident, curiosissimè, ut in offensum colatur, studeant.

Quan-

Quanquam beneficio illo subsidiario haut diu perfrui Livoni potuerint: his enim conditionibus datum erat, ut Rex Poloniæ, totam ex Moscovitica tyrannide relictam Livoniam, contra unum hostem Moschum, submisso ex Germania auxilio, defenderet. Sed ubi illud toties petitum frustra, frustra imploratum ex Germania auxilium? Nullum apparebat! Neque ullum inde, vel aliunde etiam, sperari poterat, cum jam omnia profundis essent nivibus obsita. Quid adhuc? illa ipsa, ex tyranni immanissimi sævitia superstes adhuc, Livonia dividebatur. Mutabant enim animum Revalienses, quorum quidem dissidia, scriptis ad eos literis, Amplissimus Senatus Rigensis, tollere, & firmare animos volebat; nullo tamen successu! Postquam enim ERICVS XIV, Rex Sveciæ, Revalienium Legatis, Johanni Schmedemanno, Senatori, ac Justo zur Hacke, Tribuno plebis, auxilium, sub conditione Subjectionis, promiserat, ipsi statim ad illustrissimum GOTTHARDVM, Ordinis Teutonici tunc Magistrum, Hermannum Szögen, & Rupertum à Gülsen, ex Harria & Wiria, Ordinis Equestris nomine, ex Civitate verò Johannem König, Consulem, Georgium Hünerjägern, Senatorem ac Laurentium Schmid, Secretarium, miserunt, quæsituros ex ipso: utrum satis instructo Revalienibus auxilio succurrere vellet? Quid adhæc Optimus Magister? Solabatur illos, ut decebat, ad constantiam & Patientiam prudenter hortabatur. Sed ipsi juramen-

mentum, Ordinis Magistro datum, postea Mitoviæ per alios Legatos ejerant, ac, Regis Suecorum nomine, Nicolao Christersonio, Johanni Larsonio, ac Hermanno Brussener, Secretario, Homagium, diebus 5.6.7. Junii, Revaliæ solennissimè præstant. Hic verò consurgentem erat videre nigram Septentrionali ab Oceano nubeculam, quæ continuis, & interdum non modicis, accessionibus aucta, jam immensum seprotenderat, totique propemodum Poloniæ magnâ tempestate gravis immmebat. Suecorum enim Rex occasionem belli, cum Polono exinde capiebat, ut SIGISMVNDO AVGVSTO non unus hostis; sed plures jam essent oppugnandi. Sic igitur ad incitas redigebantur apud Livonos omnia: nulla eorum calamitas erat sola: abyssus abyssum invocabat. Denegabat Rex Polonus auxilia: nihil subsidii ferebant Germani: Regem Sueciæ priorem, GVSTAVVM, ad ferendam Livonis opem promtissimum, in ipso conatu, invida mors abripuerat! Non semel; sed toties rebellabant Ordinis milites! Modò Ovverpali, cum illustrissimus GOTTHARDVS Magisterii assumeret dignitatem, passis vexillis aufugiebant: modò, quæ in arcibus erant præsidia, idem minabantur. Et jam improbitas eò Vellinenses incitaverat, ut Moscho arcem, & in ea Magistrum emeritum, VVILHELMUM FURSTENBERGIVM, obsidenti, impiè proderent, & lanienæ tyrannicæ Dominum suum offerrent. Neque alio-

aliorum fides satis firma erat: stipendia urgebant omnes acerrimè: unde verò ista? Nervus belli, pecunia, deerat: tyrannus denuò furibundis imminebat copiis: alii ad Livoniam reliquâ diripiendam accurrebant. O mare calamitatum, in quo adhuc reliquiæ Livoniæ versabantur! Quantillum enim ordini & Archiepiscopo supererat? Totum Ducatum VViriæ, Vellinum, Marienburgum, integram Dorpati Diœcesin, usque ad Archiepiscopatum Rigensem, Tyrannus tenebat: Revaliam cum arce, Padies, Borckholmum, alia Sueci possidebant: Districtum Osiliensem, VVikensem, ac Curoniam, MAGNVS, Holsatiæ Dux, intempestivius in Livoniam appellens, habebat. Quid hic Archiepiscopus? Quid Ordo cum suis reliquiis, quibus itidem auferendis plures imminebant alii? Mortemne potius expectarent miserrimâ, ab Oreste Moscovitico, an libertatem, certa cũ subjectione, permutarent? LIBERTATEM rem inæstimabilem, & ipsa nobis luce cariorem esse, nemo nescit. pro hâc discrimina bellorum, vulnerum, mortis subire plurimi non reformidant; sed ubi nihil ejus retinere licet. Quicquid enim alias Catoni videatur, qui mori, quam alicui parere maluit, si aut libertas amittenda, aut salus atque vita totius populi, in præsentissimam perniciem adducenda, quis hanc illi non præponat? Cogitate, Auditores, furorem Tyrannorum, immaniissima sævitia hinc inde grassantium: cogitate cædes atque vulnera carissimorum

pigno-

pignorum, matrum, conjugum, liberorum! cogitate quiritatûs atque ejulatûs infantium, mulierumque innocentissimè pereuntium! Hic hîc profectò Pax, cum libertatis licèt imminutione, utilior erit, quàm periculum internecionis, quod, cum libertate, Pacem pariter ac vitam omnium exitio damnat. Eat ergo Vibius Virius Campanus, cum pessimo suo consilio! qui, cum Romani urbem obsiderent, septem & viginti Senatoribus persuasit, ut secum mortem quàm subjectionem, mallent! Eat cum omnibus, qui, ipsum secuti domum, ac inter epulas, alienatis vino mentibus ab imminentis sensu mali, venenum sumserunt, ut priusquam hostibus aperirentur portæ, exspirarent. Brutis ipsis exsensi illi sævierunt deterius, ac sine mentis usu sese necaverunt. Melius antea illi ipsi Campani fecerant, qui, cum Defensionis pactum inire cum ipsis Romani nollent, auxiliumque adversus Samnites, quippe fedare sibi junctos, denegarent, promto animo dixerunt: Quandoquidem nostra tueri adversus vim atque injuriam, justa vi non vultis, Vestra certè defendetis. Itaque populum Campanum, Urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina, humanaque omnia, in vestram P.C. populique Romani ditionem dedimus. quicquid deinde patiemur, dedititii vestri passuri. Num quid aliud Livoni reliqui egerunt? Campanos; sed ex prudentiæ consulto se dedentes, secuti sunt, postquam totos annos quatuor soli, nullis adjuvantibus

tibus, cum immanissimo Tyranno, bellum gessissent. Desperatis enim aliis auxiliis, anno supra millesimum quingentesimo sexagesimo primo ipsum Archiepiscopum, ac Magistrum Ordinis, cum Romperto Gilzenio, Juris Doctore, Georgio Francken, Fabiano à Borch, Heinrico Plater, & Johanne de Medhē, Livonicorum Statuum legatis, plenissimè instructis, Vilnam mittunt, qui, cum eò die 14. Octobris pervenissent, die 19. in arce Vilnensi, tertia pomeridiana, quid velint, Regi SIGISMVNDO AVGVSTO, per Orrtorem suum Justum Cloth, exponunt. & se Regis, Regnique Poloniæ subditos fore, unanimiter declarant. Quam sollicitè ab illo die, in subjectionis pactis, laboratum, & in has tandem conditiones transactum est: ne Principis mutatio Livonis apud Cæsarem aut Imperium damno sit: ut Confessionis Augustanæ professio libera promittatur: Nobilium privilegia confirmentur: omnimoda Jurisdictio, juxta leges & consuetudines, & mores antiquos, salvo tamen provocationis jure, servetur: penes Magistratum Germanicum Jurisdictio maneat: Magister Ordinis Dux creetur, eique ditiones novæ, hereditario jure, attribuantur, quò facto Transduina provincia Regi cedat, Riga item, cum omni jus territorio ac Jurisdictione, prout Imperio fuberat, in eaque illustrissimus GOTTHARDVS, novus Dux, tanquam Regis Poloniæ Legati partes teneat. Alia quoque, quæ ad compensationem juris,

quod

quod MAGNO Holsato competebat / pertinebant, pleraque, uno omnia instrumento comprehensa : triduoque interposito Nobilitatis privilegia, altero simul instrumento, confirmata sunt. Secundum Rex ipse statim, posteaquam omnia Livonis nequiter erepta, aut per ultimos belli tumultus à Moscho avulsa, se recuperaturum, & antiquis restituturum Dominis promisisset, & Archiepiscopus Rigensis, cum Magistrato Ordinis, fidem solenni juramento interponunt. O actum hunc subjectionis memorabilem! ô digna Dominis Livonis studia, conatus, labores! VERE illud probè expendendum fuit, quod statuendum semel, eò, quod nunquam nimium Prudentiæ in talibus adhibeatur, ubi satis esse nequit. Certè præterita, beneficio memoriæ, respiciendi sunt, & exillis de præsentibus, propter futura, quod agendum, agendum. Futurorum in primis habere debet ratio, ut, priusquam ipsas res aggrediamur, commodissimè illas quasi incedentes excipiamus & obvias, quod quidem attentissimè curatum esse illo tempore, res ipsa loquitur. Et jam conversio CURONIÆ, consilio divino imminebat : jam facies ei alia, exigente ratione temporum, fumenda erat. Magnum opus, Auditores, magnum & æternâ dignum memoriâ negotium ; quid mirum, si tantum quoque, post Deum, autorem, requisivit? Nec enim quilibet magnarum rerum gerendarum capax exsistit ; invictos humeros tantarum rerum

rerum moles poscebat. Neque tales in Curoniæ mutatione desiderabantur. Magno conversionis negotio, Magnus Vir divinitus admovebatur, quem sæpius laudavi, Illustrissimus Dominus GOTTHARDUS, Ordinis Teutonici Magister ultimus, qui, magnis ac illustribus ortus natalibus, cum vigesimum ætatis annum attigisset, instinctu sine dubio divino, à Parentibus in Livoniam missus erat. Cum verò ex illius factis singulare quiddam & divinum elucesceret magno statim omnium consensu, in Ordinem Teutonicum assumtus est, & expeditionibus gravissimis adhibitus est. Quantum ibi exsereabat sese statim indoles Heroica ? quam illustribus promicabat tadiis ? Legationes huc & illuc obeundæ erant ? obibat prudentissimè ! Pacis aut Belli negotia expedienda ? expediebat felicissimè! De maximi momenti rebus consultandum? consultabat gravissimè ! Idcirco, cum propter Ordinis salutem in Germaniam, ad Electores, aliosque Principes legatione fungeretur, constantem animum, & tempestatibus quibuscunque insuperabilem ostendit. Nec enim vel naufragio deterreri à proposito potuit. Exsecutus omnia est strenuè, &, per obstantes itineris difficultates, acriori subinde studio, egit omnia, Reip. studio omnia esse superanda existimans. Quis ex ejusmodi operum auspiciis, spem futurorum bonorum certissimam non concipere ? Quis fundamenta solidæ dignitatis hinc excitata non videret? Re certè laudabiliter gestâ

cum reverteretur, Wolmariæ, in Convent
publico, anno supra millesimum quingentes
mo quinquagesimo quarto, ipso Trium R
gum die, non tantum Commendator Dune
burgensis factus; sed novâ etiam Poloniam l
gatione ornatus est. Ita per labores, ad labor
alios, subinde vocabatur cœlestis animus. Tal
enim erat. Ut enim alia cœlestia, continuo inf
rioribus motu inserviunt: sic ille etiam pro Rei
Livonicæ salute, novis subinde laboribus exe
cebatur. Vix in Polonia Legationem suam e
pedierat, ecce in Germaniam denuò, ad coll
gendas vires militares, ab ordine mittitur. N
derrectat iter, licet difficillimum; sed anno M
D.LVI. ante Bacchanalia, per Lithvaniam, Po
loniam, Silesiam, Saxoniam, Lubecam tendit
indeque rebus, ex voto omnium, citiùs tame
opinione omnium, peractis, feliciter red
Quanta ejus, ab eo præsertim tempore, inte
mnes veneratio? quantus in Illustrissimu
GOTTHARDUM totius Livoniæ, maxim
rum, minimorum, cultus? quanta per Polonia
per Lithvaniam, per Borussiam, per Germa
am nominis KETLERIANI celebritas? To
Ordo, ut insigni quodam argumento, suum
tot ejus merita studium probaret, principe
in tota Livonia præfecturam offert, Wolma
riæque ipsum, in conventu solito, Vellinen
Commendatorem proclamat. Quantum il
posthac in Livonia præstitit? quantis peric
pro Salute ejus, caput suum objecit? quantum
fec

servanda ea laboravit? Ut suo certè, si quis un-
quam, merito anno sequenti, Livoniâ fere ad io-
citas redactâ, præter suam tamen voluntatem,
splendidissimâ Coadjutoratûs dignitate, 1x.
Julii mactaretur. Quid hîc laudatissimus
GOTTHARDUS? cum vacandus in subsi-
dium Rex Polonorum esset, ipse, ipse, ut illu-
strius officium, illustriori quoque in Livonos
beneficio ornaret, in Poloniam profectus est:
ipse Livonorum bono ibi fecit omia. Quis
enim SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Re-
gem Poloniæ, ut auxilia Livonis ferret, ut hosti-
les ab iisdem Moschorum impetus in se ac sua
Regna converteret, permovit? Interrogatè
temporum illorum Scriptores! Unum hunc
GOTTHARDUM, singulari cœli curâ, his
admotum curis nominabunt & prædicabunt;
qui, ut antehac Illustrissimum Principem, NI-
COLAUM RADZIEVILIUM, præcipuum
illius seculi ornamentum, amore sibi, cum Dü-
neburgi adhuc esset, sedò devinxerat: ita proce-
ribus Poloniæ præcipuis, ob singularia Pruden-
tiæ specimina, longè erat acceptissimus; autori-
tate quidem apud omnes maximâ pollebat, ut,
nisi vigili ejus sollicitudine, vix tantum potuerit
negotium confici. UT in telo aliquo aut gladio
multum interest, à qua manu veniat: sic in ne-
gotio, ut succedat, multum facit robustæ alicu-
jus & receptæ autoritatis pondus, quod in Illu-
strissimo GOTTHARDO omnes mirabâtur.
Huic igitur Livoni adhærebant unicè, hunc

Patrem appellabant Patriæ, huic ſummam Ma-
giſterii dignitatem, quam FURSTENBER-
GIUS depoſuerat deferebant : in hoc ſalut
ſuæ ſpem, poſt Deum, reponebant unicè. O in-
ſuperabilem verò difficultatem illorum tempo-
rum, quæ auguſtiſſimarum quoque mentium
conatûs eluderet! Verè hîc apparuit, MAJOR
laude, qui Reſp. conſervant, quam qui conſti-
tuunt, ornandos eſſe. Ut enim autores, pro ar-
bitrio, inter pacem & quietem agunt : ita co
ſervatores cum pluribus hinc inde difficultati
bus certare coguntur. Faciliùs exſtruitur navis,
quam ſervatur, præſertim cum procellaru
tanta inſolentia eſt, ut omnem Gubernator
curam & induſtriam contumaciter eludant. U
num ergo hujus votum eſt, ad portum que
dam tutum appellere. Unum etiam hoc votu
Gubernatoris & Magiſtri Livonici fuit : ho
ipſum unicè egit, ut ſuorum ruinam averteret
quam etiam, ſubjectione illâ hujus Provinci
Regi Regnoque Poloniæ factâ, prudenter &
feliciter evitavit. O invictum erga ſubdito
amorem! Nihil ille intentatum, modò ſuos
exitio præſentiſſimo ſervaret, nihil intactum re
liquit. Quantum eſt, Auditores, Principem o
ſalutem ſubditorum ire velut in exſilium? Cert
magnum eſt! Et tamen illud in animo GOT
HARDI noſtri fuit, in quo, quicquid eſt, ma
gnum eſt. Quid enim voluit? Subditis ali jam
Domino obnoxiis, omnem fortunam æquo a
turus animo, in Germaniâ ambire voluit, ut ibi
quie-

quicquid vitæ reliquum, in pace tranſiret. Quid
verò ejus ſubditi? quid conſiliarii? Ingens apud
eos, ex hoc Domini ſui propoſito, ſollicitudo, &
jam luctus : flentes, plorantes, lacrumantes ip-
ſum ſollicitant : maneat, in Regis benigniſſimi
voluntate acquieſcat. GOTTHARDUS, inter
ſubditorum preces abeundique propoſitum
conſtitutus, & ignarus quid faceret, ut maneret,
ex Boruſſia etiam eſt monitus. Quæ & alia dum
perpendit ſecum altiùs, ecce Rex Poloniæ, SI-
GISMUNDUS AUGUSTUS, ut cariſſimum
ſibi ſemper Magiſtrum GOTTHARDUM
retineret, iu faſtigium Ducalis dignitatis eve-
hit, partemque ſubjectæ Livoniæ, Curoniam
nimirum & Semgalliam, cum generali Livoniæ
reliquæ Præfectura, ei offert. Sicut igitur, anno
M.D.XXV. ALBERTUS, Ordinis Teutonici
in Boruſſia Magiſter, poſteaquam bellum gra-
ve, bellum ſatis cruentum, cum SIGISMUN-
DI AUGUSTI Prædeceſſore ac Patre, SI-
GISMUNDO I. geſſerat, induciisque in annos
quatuor pactis, nullum à Cæſare auxilium acce-
perat, Pacem cum Polono faciens, ei fidem
tanquam Regi ſuo dedit, mutatoque Ordine,
partem Boruſſiæ accepit, ut, qui fuerat ante
Magiſter, autoritate Regis Dux Boruſſiæ ſalu-
taretur : eundem prorſus in modum SIGIS-
MUNDUS AUGUSTUS, Rex Poloniæ,
Illuſtriſſimo GOTTHARDO, Ordinis huc-
uſque Magiſtro, titulum Ducalem, cum omni
dignitate, inſignibus, Privilegiis, illaque Livo-

niæ parte, cum omni jure obtulit & confirma-
vit. Jamque tempus illud, tempus omnibus Cu-
ronis memorabile, tempus grata mente repe-
tendum, imminebat: illuceſcebat lux ſplendi-
diſſima III. Nonarum Martii, anno ſupra mille-
ſimum quingenteſimo ſexageſimo ſecundo,
quâ transactio conſummanda, dignitas pro-
miſſa Duci noſtro conferenda erat. Quem
quidem actum oculis Veſtris quodammodo
ſubjicere vellem; ſed ad hoc ipſum artifex inge-
nioſior, eloquentia robuſtior requiritur. Ut
tamen omnia animis veſtris, Auditores, ſiſtan-
tur manifeſtiùs, veſter labor erit, ſi placet, ut
Auditoribus ſpectatores reddamini. Cogitate
Palatium in hac arce Rigenſi ampliſſimum! in
una parte collocate ſellam, Regio honori ſplen-
didiſſimè ornatam, in qua Illuſtriſſimus NI-
COLAUS RADZIEVILIUS, Regius Lega-
tus, conſtitutus eſt. Circa illum magna varia-
rum nationum, caterva oculos & aures ar-
gens, glomeratur. Ex altera parte Illuſtriſſimus
GOTTHARDUS adeſt, quem præcipua Li-
voniæ ornamenta, cum reliquæ Nobilitatis
flore & Conſiliariis, latè ſtipant. Totam aream
ingens omnium ætatum, omnium ætatum
omnium Ordinum concurſus, effuſaque omnis
generis multitudo implet. Ecce hic Illuſtriſſi-
mus GOTTHARDUS accedit ad Legatum
& coram eo Ordinem ritu ſolenni ejerat! Ecce
jam crucem, Ordinis inſigne, illi porrigit, tum
ſigillum, literasque ac Diplomata, quæ Ordi-
Teu-

Teutonicus ab Imperatore ac Pontifice acce-
perat, cum omni jure RADZIEVILIO tradit:
officium una Commendatoris, atque alia jura
Regi cedit. Quid hîc niſi funus ducitur Ordini
Teutonicæ militiæ, qui tot annos Livoniam gu-
bernârat? Anno quidem, uti referunt,
MCLXXXVIII. HEINRICO VI. Friderici
Barbaroſſæ filio, Imperatore, primum habuit
ortum: deinde circa annum M C C IV. AL-
BERTO III. Epiſcopo in Livoniâ, fuit ſuper-
additus, ſub hac conditione, ut, quas terras
Ethnicis eriperent, Ordo hic Enſiger, ejusque
Magiſter, qui primus VINNO dictus erat,
poſſiderent. VOLQVINVS verò, ſecundus
Ordinis Enſigeri Magiſter, cum HERMAN-
NO à SALTZA, Ordinis Crucigeri Magiſtro
in Boruſſia, egit, ut Ordo Enſiger in Crucige-
rum transſcriberetur, quod mortuo etiam illo
factum eſt. Tamdiu igitur Ordo Cruciger
Teutonicus Livoniam rexit; ſed aſtro Ducalis
dignitatis in hac arce oriente penitùs exſtinctus
eſt. Sed jam Illuſtriſſimum Legatum Regis
RADZIEVILIVM, acceptis, quæ ſunt tradita,
ad dicendum videmus accingi. Quid promit
ſacrum Regis os in Livonia? Publicè GOTT-
HARDVM Curoniæ Semgalliæque Ducem
creat; GOTTHARDVM quam ſolenniſſimè
Ducem Curoniæ & Semgalliæ proclamat. O
vocem omnibus Curonis auſpicatiſſimam! Il-
luſtriſſimus Princeps ac Dominus eorum, Do-
minus GOTTHARDVS, in Ducalem ſubli-

mitatem ſplendidiſſimè elatus eſt! O Non
Martiæ, quam fauſtam ac felicem toti Curoniæ
nobisque veſtri memoriam reliquiſtis! O die
veſtros, dies magnæ indices lætitiæ! Quis hi
ſenſus omnium? quæ exſultatio? quæ jubila
Omnes certè, inter tympanorum undique ſo
nantium ſtrepitus, inter tubarum clangorem
redundantem & foras erumpere geſtientem
lætitiam, ore, oculis, manibus indicant. Omni
fauſtis acclamationibus undique & undiq; per
ſonant: omnium in novo Duce fixus obtutus;
omnium vox una: Vivat Dux GOTTHAR
DVS optimus! Vivat Dux GOTTHARDVS
præclariſſimè meritus! qui, jam auguſtiori vul
tu decoratus, inter gratulantium vota, procedit
cui fidem ſuam utriusque Ducatus Nobilitas
ſolenni juramento, ceu Principi ſuo heredita
rio, confirmat. Salvete Auguſti vultus, (liceat &
mea mihi verba miſcere gratulantibus,) quos
intra fortitudo illuſtre ſibi ſtruxit palatium!
Salvete Ducalis Illuſtritatis ſplendida lumina!
Veſtrarum virtutum radiis orbis collucet, me
ritorum fulgore inclareſcit Livonia. Salve
ſplendidiſſime Curonorum Phoſphore, auſpi
cato exorte, & redde, poſt tot atros dies, tot Cu
roniæ noctes perpetuas, innubē miſeris diem,
quem nefaſti hactenus Tyranni impetus obnu
bilârunt. Vivat Dux! vivat Pater Patriæ! Vivat
GOTTHARDVS, Deo acceptiſſimus, Deo
dicatiſſimus! Sic, ſic virtus ſuum tandem aufert
præmium! Sic meritis illuſtriſſimæ dignitatis ti
tulis

tulis ornantur labores, pro ſalute Patriæ & Ec
cleſiæ, qui profectò unicum obtinendorum,
unicum retinendorum honorum fundamen
tum exſiſtunt. Nihil temerarius aſtrorum in
fluxus, nihil cœcus fortunæ favor, nihil peſti
lens ambitio in hoc fecit opere! Virtutibus
GOTTHARDIANIS, quod delatum eſt, de
latum eſt, ejus in primis nutu, qui & aſtrorum
& fortunæ, ſi qua eſt, & univerſi orbis regimen
obtinet. Hujus voluntate Reges, Duces, Prin
cipes occidunt; hujus Providentiâ conſtituun
tur, confirmantur, conſervantur. Ejus arbitrio
Imperia ſtant & cadunt: aſſeruntur & mutantur,
quod in curoniæ quoque converſione valuiſſe,
& præcipuè ſpectandum eſſe, quis inter Chri
ſtianos nomen profeſſus ſuum dubitet? Faceſ
ſant hîc clamores nonnullorum moleſtiſſimi!
Taceant rigidiores dicam, an iniquiores? illi re
rum judices, qui, Livoniam nullam ob cauſam
ſe Polonis ſubjeciſſe, qui, contra omne jus & fas
ab Imperio Romano defeciſſe, qui, neſcio cujus
criminis laudatiſſimum GOTTHARDUM
reum agere, audent, quod ſuam iſti ſubjectioni
operam commodaverit! Quid enim? Solane
ob diſceſſum ab Imperio Romano Livonia
damnabitur? Sola vapulabit cum magiſtro ſuo?
Certè, ſi Hiſpania, (ut unum hujus rei aliunde
exemplum arceſſam:) ſi illa ſuam ab Imperio ex
emtionem ſatis juſtè tueri poteſt, quod eam,
maximâ infelicitate ſub Arabum Tyrannide la
borantem, ipſi Hiſpaniarum Reges, ſuis pericu

lis, suo quoque sangvine, absque ullo Cæsarum auxilio, à Christiani nominis hostibus, liberârint: quanto magis Livonia, ab omnibus derelicta, vastata, consumta se tueri ratione istâ justè poterit? INDISSOLUBILE quidem Imperantium & subditorum est vinculum, fateor; sed matrimonii quoque est ejusmodi; & tamen, ubi altera pars, alteram temere deserit, quarumcunque legum consensu cessat obligatio. Ita ii Imperantes, parentes prorsus derelinquant, omnii illos auxilio destituant, omnise eorum curâ abdicent, quæ ibi vinculi firmitas? Nemo dicet, Regum Regi profugo devinctum manere. Parum autem à profugo distare eum, qui omnē populi sui curam fugit, cum juvare possit eum atque debeat, vix dubium est. Missi sunt Legati Livonorum ad CAROLUM V. anno M. D. LI. satis tempestivè, pro impetrando, adversus imminentia mala, auxilio. Frustra! ad petendā Regni Suecici & vicinorum aliorum auxilia dimittebantur miseri. Denuò, Statuum Livonorum nomine, anno M. D. LIX. ad FERDINANDUM I. Comitia Augustæ celebrantem, Georgius Segebergus ablegatus est, qui miserabilem Livoniæ statum cum lacrumis, omnibus Imperii Proceribus, exposuit: frustra! Centum millia tantùm aureorum, summa & imperii Majestate, & temporum necessitate minor decreta. Quæ autem fiducia in tam exili subsidio collocari potuit? Rursum explicabatur imminens mutatio Cæsareo Legato, Zachariæ Hoffmanno,

&, quod magis est, certum determinabatur tempus, quo, nisi valida adessent ex Germania auxilia, certò vel temporale, æternumque Livoniæ exitium vel mutatio futura esset. Fruſtra! Neglecta, deserta, desolata mansit Livonia, donec tandem, fato quodam, fruſtra consumtis miserorum impensis, curâ, diligentiâ, labore, intermittendis, ad Imperatorem aliosque vicinos Reges, Legatis, hanc mutationem subiret. O singulares Imperiorum in his terris periodos! Nemo forsan, præter Deum, causas noverit, quod ita neglecta, spreta & rejecta quasi, ab Imperio hæc Livonia fuit. Quid ergo est, quod temere hic factum à Livonis dici possit? Obligabantur quidem Imperio; sed mutuò; quid? obligabantur cum tacita summæ necessitatis exceptione, sub qua obligationes fieri, leges que ferri sine dubio solent. Certè obligatio subjectionis Livonorum pendebat ab eorum voluntate, qui se primùm Imperio Romano subjiciebant. Si verò Principes illi laudatissimi, in quos Jus ab Imperio manabat, interrogati tum fuissent: Utrum velint hac subjectione istam Livonis imponere necessitatem, ut tyrannicè cruciari, laniari & assari præoptent, quam derelicti undique alii se subjicere Christiano Principi? haud sanè scio, an se velle respondissent? Quin potius, ut homines fuêre: ita, humanitatis ductu, salutem se illorum malle, quam perniciem extremam dixissent. Quid verò, nisi Regno se Poloniæ, reliquiæ subjecissent Livonicæ, ipsis expectan-

ctandum erat ? Iidem laniatus lacrumabiles, iidem cruciatus immaniſſimi, quibus tot viri fœminæque in diſtrictu Dorpatenſi, in Wiria & alibi miſerabiliter perierunt. Quæ vox, Auditores, eos ſatis efferre ? quæ lacrumæ deflere ſatis poſſent ? Hic latrones quidam immaniſſimi, cruento acinace, prægnantes diſſecant fœminas, partumque & infantes alios ſudibus affixos, ſemivivos veligni admovent, vel beſtiis dilaniandos exponunt : ibi alii arreptos ſenes, Juvenes, viros, mulieres, truci manu, proſternunt, &, ô infandum cruciatum! latus ferro aperrum, tormentario adimplent pulvere, ignemque admovent, ut ſic in altum miſeri tollantur & diſrumpantur. Iſthic alii, tenellos lactentesque adhuc, nutricum abſtrahunt mammis, collum, è quo lac cruore mixtum manat, abſcindunt, &, inteſtinis abjectis, verubus configunt. Quid de impuriſſimis dicam canibus ? totilli virgines, tot fœminas à ſe ſtupratas, arboribus horribiliter applicant, & haſtâ, equo calcaribus concitò, transfigunt, ut per dorſum ferrum emineat. Quid de illis referam, qui, barbarâ inſanientes feritate, quosdam viros præacuto affixos palo, ſagittis, ac ſi ad ſcopum collinearent, perierunt, donec ſagittis continuò miſſis, carne, vivi adhuc, oſſibusque nudis manentibus, ſpoliarentur ? Non eſt mirum, quod horrendâ feratum Moſchicarum crudelitate territi, tot viri fœminæque, una cum infantibus, ſeipſos Wendæ morti obtulerunt, omnia potiùs, quam tanta tor-

tormenta perpeſſuri. Cum enim hoſtis truculentiſſimus, cum majore filio natu Johanne, horrendum in modum graſſaretur, ipſam arcem oppidumque Wendam gravi obſidione cingens, cum ſpes effugii nulla ſupereſſet, Sacrâ Cœnâ ſumtâ, arci pulverem ſuppoſuerunt tormentarium, quo incenſo, mutuis amplexibus juncti, inter querelas & ſuſpiria, inter ejulatus & quiritatus, inter lacrumas & clamores ad Deum, in aerem projecti perierunt. O ſpectaculum etiam non periclitantibus triſtiſſimum ! O factum ipſi tyranno, ſi modò quicquam in eo ſuperfuit humani ſanguinis, flebile! Tyranno, in cujus caſtra, quædam hominum combuſtorum & laceratorum membra, pulveris impetu projecta ſunt, quibus ſuam utique ſatiare rabiem potuiſſet. Quis non omninò illum diceret immitiſſimum, qui fugienda eſſe quoquomodo iſta mala non putaret? qui tale ferendi onus miſeris Livonis imponeret ? qui ſubjectionem ideò factam reprehenderet? Declinanda erant iſta, & à miſellis reliquiis avertenda, quod prudenter ſatis Principes optimi, Archiepiſcopum intelligo & Ordinis Magiſtrũ, ſubjectione iſtâ ſuâ præſtiterunt. Cum verò Dux illuſtriſſimus GOTTHARDUS, qua erat Prudentia, facillimè conjiceret, ab inhumanis factorum alienorum ſcrutatoribus, hoc ipſum quoque in Imperio Romano reprehenſum iri, neque eſſet neſcius, quid Illuſtriſſimo Boruſſiæ Duci, ALBERTO, factum ſit, & quomodo ille, ſollicitante

tante Waltheto Cronbergo, fuerit ab Imperiô Romano proscriptus, neque, misso licet à Rege Polonorum Legato, Stanislao Lasco, ab hac proscriptione liberari potuerit, idcirco cautionem à Serenissimo Rege SIGISMUNDO AUGUSTO ne sibi hæc subjectio damnosa apud Cæsarem esset, impetravit. Neque verò ullam ex Imperio molestiam, quæ quidem ab historicis notetur, propterea Curoni senserunt, multo minus ullo proscriptionis fulmine ad annum usque M.D.LXXIX. tacti sunt, testante Regis STEPHANI Diplomate, quô promissam cautionem, & alia à Prædecessore collata, amplissimè confirmat, ut inde jus illud mutationis satis firmatum, ad hæc usque tempora, judicetur. Æquum enim judicârunt Proceres Imperii, miserarum humanarum affici dolore, ne afflictis adderetur afflictio, ne tot malis exhausti, & vix respirantes, sub Rege suo gravibus turbis macerarentur. Quod verò & quantum malum, nisi hæc mutatio fuisset facta, Curoniæ præsertim impendisset? Dicam uno verbo: Exitium, idque crudelissimum & miserrimum! Sed felicis hujus conversionis beneficio, Deo benignissimo indulgente, inde præservata, multum sibi gratulabatur. Neque id immerito! Si enim illi, qui ex tempestatibus marinis, ubi inter ventorum, undarumq; prælia satis diu projecti, disjecti, rejecti fuêre, lacerato licet velô, in portum deducuntur, cum dolore quidem aliorum aspiciunt naufragia; sibi tamen serio de liber-

libertatione gratulantur: quidni Curonia quoque cum reliquam Livoniam, Lettiam, dico, Hattiam, Witiamque aspexit, dolere quidem; sed gaudere etiam, & multum sibi gratulari potuit? Ibi enim Sueci, ibi Dani, ibi Moscovitæ, ut fieri in bellis amat, omnia diripiebant, incendebant, vastabant: sola Curonia & Semgallia, ô singulare Providentiæ divinæ beneficium! sola illa tunc in columis, sub Patre atque Duce suo GOTTHARDO, verè GOTTHARDO & in DEO FORTI, respirare ac resloresc ere incipiebat. Ipse furibundus Moscovita quietam illam relinquere malebat, quàm pessundare. Mirum est! & grato repetendum animo, quam mirè Deus rexerit illius animum. Cum tyrannus anno M.D.LXXVII. cum toto exercitu Kokenhusa, ubi crudelissimè sævierat, Wendam reverteretur, ne infestis quidem oculis Curoniam turbavit. Imò Duci nostro, eandem suis metuenti tempestatem, & in hujus Civitatis arce commoranti, in responsoriis promisit, se Curoniam, quam per contemtum sine dubio, Gottes-Ländichen/ nominavit, intactam prorsus relicturum: quam vocem, vocem à tyranno quidem profectam, festo tamen plausu Dux piissimus excepit, ut exultabundus in hæc verba prorumperet: quod si ergo Ducatus meus DEI TERRA est, ut omninò est, quid mihi meisq; metuam? DEUS terram suam asseret! DEUS freno potentiæ hostem avertet! DEUS firmam satis tutelam undique præstabit! O beatam Patriam!

triam! O fauſtam ac felicem Curoniam! Quis tuam hanc felicitatem ſatis poteſt exprimere? Te ipſe hoſtis prædicat! Te tyrannus ipſe DEI TERRAM nominat! ô magnam felicitatem! ô felicitatis nomen, omine fehci commendabile! Verè enim fuit abhinc Curonia DEI TERRA, ubi ſedem verbi ſui, ubi aras & focos DEUS habuit, poſtquam in hac ipſa mutatione purum ejus h.e. Lutheranum cultum retinuit. Confirmabat enim eum Rex Poloniæ, dato de Religione Diplomate auguſtiſſimo, quo tam ipſi Duci, quam Civitatibus, ſubditisque cujuscunque ordinis aut ſtatus fuerint, liberum Religionis ac receptorum rituum uſum, juxta Confeſſionem Auguſtanam, ſtatuminat. Ipſe Dux Illuſtriſſimus hoc inprimis, ne dicam unicè, agebat, ut ſemel à Rege Poloniæ confirmata, purè in Ducatibus ſuis conſervaretur. Ipſe omnem movebat lapidem, ut Eccleſiaſtica conficeretur Ordinatio, ut examina, quibus ipſe toties interfuit, ut viſitationes paſſim inſtituerentur, ut libri Lettici in lucem ederentur, quemadmodùm tot ejus Conſtitutiones, tot mandata, ſatis ſuperque conteſtantur. Et quid aliud Illuſtriſſimus ſuis filiis, FRIDERICO ac WILHELMO, pius Princeps inculcabat toties, quàm ut ſingulari ſemper Eccleſiæ DEI curam agerent? ut hanc terram DEI TERRAM eſſe recordarentur? Ignei enim vigoris fomite, quo paternum pectus abundabat, filiorum quoque accendebat animos. Idcoque, ut ab ætate incunte, illuſtriſ-

ſtriſſimum, in Ducis Celſiſſimi & Fortiſſimi FRIDERICI, corde, palatium pietatis exſtrueret, eum tredecim annorum adoleſcentulum, Orationem latinam, plenam dictorum SS. in præſentia tot Conſiliariorum atque Capitaneorum, habere juſſit, cum anno M.D.LXXXII. templum in arce Mitavienſi inauguraretur. Quid hâc pietatis curâ ſanctius aut Principe dignius exſiſtat? Noverat ſcilicet Curonæ gentis Stator providentiſſimus, noverat Heros Dei, GOTTHARDUS, PIETATE ac Doctrinâ, præcipuis & principalibus decoribus, cuncta optimè regi: noverat, citiùs urbem ſine ſolo, quam Reimp. ſine Pietate atque Religione conſervari: noverat, optimam humanæ vitæ rectricem, piam juſti injuſtique normam, frenum in proſperis, in adverſis ſolatium: hanc corda hominum cum corporibus, artes & arma, neceſſaria in primis Reip. inſtrumenta, arctiſſimo conjungere vinculo noverat. Quidni proinde Curoniæ, de tanto Duce, gratularentur viri ex Germania celeberrimi? quidni felicitatem ejus modò ex Megapoli, magnus ille Chytræus, modò ex Boruſſia, celebratiſſimus Wigandus, & alii prædicarent, &, dedicatis Illuſtriſſimo Duci ſcriptis ſuis ſanctiſſimis, toti mundo gloriam virtutum Heroicarum patefacerent? Quam ſollicitus jamdudum, de Illuſtri quadam Schola exſtruenda, fuit Princeps optimus? Prudentem enim Oeconomum imitabatur, qui non tantùm omnia, ut bene ſeſe habeant, diſponit; ſed & ſibi

promtuarium constituit, è quo necessaria quæ-
que depromete,& in usus suos, suorumque a-
hibere possit: ita ipse non tantùm Ecclesiis
aliis in utroque Ducatu officiis diligentissi
prospexit; sed unde illos etiam acciperet, qui
suis præficiat,crebrò cogitabat.Imò cum ad h
Commendator Dunebutgi esset, cum anim
pio hoc propositum conceperat, ut Gymn
um illustre exstrueret,& primarium Rostoc
ensium Theologum, David Chytræum, R
&orem ejus constitueret.Sed ipsum Chytræu
audiamus, de ejusmodi proposito. Nec
primùm,inquit ille,Christianus hic & Optim
Princeps, cum Celsitudo ipsius, post sum
Magistratus Livoniæ mutationem, Ducat
summi Gubernationem susciperet, hanc
gentiam in Ecclesiis & scholis constituendis
hibuit,vetùm & antequam de Moscovitici
tanni irruptione quisquam cogitaret, cum
ta adhuc Ordinis Majestas, & potentia in
mo flore essent, hæc consilia, quæ alii Ordi
Magistri parum curabant, seriò suscepit, ut
clesiæ & scholæ sub ordine meliore & statu
sent,sicut Celsitudo ipsius, ante quadrag
duos annos, cum summi Ordinis Magis
Commissarius Lubecæ, & adhuc Duneb
Commendator esset, mecum per sibi a
ctum Nobilem & literatum Georgium
berg, eo tempore domûs Rigensis Com
datorem,jam Principis Juliacensis Consilia
& Capitaneum in Blankenstein, agi vol
quo

quod, quamprimum eo tempore vigens cum
Archiepiscopo controversia esset sedata, tan-
tum apud Ordinis Magistrum & Ordinis Præ-
fectos se obtenturum rebatur, ut ludus litera-
rius vel Gymnasium erigeretur, in quo, cum a-
liis artibus & linguis, præcipuè Catechismus ac
summa Doctrinæ Christianæ diligenter exco-
leretur, & barbarorum Esthonum, Lettorum
ac Curensium liberi, in lingua latina & Christi-
ana Doctrina ex fundamentis instituerentur,ac
ad concionandum apti ac promti redderentur.
Mecum,inquam,egit,ut ejus Gymnasii Recto-
rem me futurum profiterer. O ardorem animi
commemorabilem! O pietatem omnibus se-
culis prædicandam! Certè pium hoc sanctæ
mentis propositum omnino persecutus esset,
nisi Pacem, per benignam Musarum alumnam
& fœcundam literarum altricem, effrons Mars,
inexsaturabili semper furore æstuans, tot annis
inquietâsset, totque malis onerâsset, turbâssetq;
omnia. Curam ergo illam posteris reliquit suis,
ut,quod ipse,velut David aliquis, tot bellis un-
dique & curis præpeditus, exsequi non potuit,
Salomon quidam felici studio consummaret.
Satis fuit ipsi; quantum verò fuit? quæ ad Po-
litiam spectârunt, prudenter ordinare, & velut
certum statuere domicilium, in quo Ecclesiæ
Scholæque possint vigere & florere. Unde nul-
lam hîc diligentiam, aut providentiam, quæ ab
homine requiri aut proficisci possit, in se desi-
deratari passus est Princeps laudatissimus. Omnia

quæcunquè mortalitas capit, implevit. Quàm
sollicitus de obtinendo, in Poloniæ Regno, in
digenaru fuerit, quis est, qui nesciat? Loquun-
tur hoc Provisiones illæ Ducales, comitialia de-
creta, pacta subjectionis & Nobilitatis privile-
gia, quæ Ordinis Equestris Internuncii à S.
GISMUNDO AUGUSTO acceperunt: ha-
verò ut deinde à SIGISMUNDO III. anno
M.DC.XXIII. & post 27. Martii, anno M.DC.
XLV. ab VLADISLAO, glorioſissimæ recor-
dationis, Poloniæ Regibus, approbata sint &
solidata, fides publicorum monumentorum
abundè ostendit. Quid de Regiminis forma, ab
Illustrissimo Duce constituta, dicam? verè ille
vinculum felicitatis est in hoc Ducatu, quo ca-
put & membra felicissimè uniuntur. Eminent
in eo Consiliarii supremi sex: Summus aulæ
Magister, Cancellarius, Burggravius, Prætorii
Præfectus, cum duobus Juris Doctoribus: Cum
his Dux Illustrissimus aulica quotannis judicia
& circa Trium Regum, & Trinitatis Festum
quatuor septimanarum spatio, celebrat, con-
ventibusque Provincialibus biennio elapso
Mitaviæ habendis, interest. Eminent in eo Ca-
pitanei superiores quatuor: In Curonia, Gol-
dingensis & Tuckumensis, in Semgallia, Sel-
burgensis & Mitaviensis, qui in Districtibus
suis, Nobilibus & ignobilibus, certo tempore
in causis primæ, ut vocant, Instantiæ, Assesso-
ribus adhibitis, jus dicunt. Eminent in illo, inte-
riores Capitanei octo, ut Vindavienſis, Grobi-
nen-

nensis, Durbensis, Schrundensis, Frauwenbur-
gensis, Candovensis, Bauskenburgensis & Do-
blenensis. Eminent tres isti in regimine Politico
Ordines, & sub Duce suo Illustrissimo, ex præ-
scripto Juris & æquitatis, prudentissimè, &, Dei
affulgente gratiâ, felicissimè Ducatum utrumq;
accurant. Fruere hâc cœli benignitate, Curonia,
gratoque illam semper animo æstima! Fruere,
ô Patria, tuâ felicitate, quam Deus ter-optimus,
ter-maximus tibi donavit! Misericordia Do-
mini est, quod non consumti sumus! Bonitas ip-
sius est, quod non extincti sumus! Verè ita est!
Misericordia Domini est, æternùm prædican-
da, quod non consumti sumus à Tyranno tru-
culentissimo, à Busiride Moscovitico, cum Li-
vonia olim florentissima, commune Livono-
rum cœmeterium fieret, cum nonnisi tumulos
aceremos, nonnisi Christiani cruoris undas,
cruces, equuleos, longas literas, nigra Theta, a-
liaque infinita mortis portenta, & animarum
mitium tormenta, advenæ in ea cernerent. Mi-
sericordia Domini, quod, sub Ducali hactenus
regimine, in Ecclesia, in Politia, in domestica-
rum rerum cura, secundò undique successu usi
sumus! Quis ex laniena Moscovitica tantum
promittere bonorum Curoniæ potuisset? FRE-
QUENTER equidem mirari licet, quod
pravissima quæque, contra ingenium suum, to-
ties in melius exerrent, ut pessimæ rei usus sæpe
luculentior, quàm ab usus melioris appareat. In
primis hæc calamitatum publicarum indoles

est : licèt omnia, quæ supra mortalitatem le
tollunt, radicitus nitantur exscindere, multa ta
men sæpe afferant commoda. Nunquam al
fortassis, tot illustribus meritorum documen
exsplenduisset lumen illud Curoniæ GOTT
HARDVS, neque tantus utilitatum pro ve
tus ex eo in Ecclesias & Politiam, nisi turb
tantæ interpellâssent securam Livoniæ quie
promanâsset. Agnosce Curonia, hæc tanta be
neficia ! Æternùm prædica Patrem tuum
Dominum GOTTHARDUM, qui jam rel
cto, suisque pedibus subjecto toto terrarum
Orbe, gloriosè in cœlis triumfat. Surge Curo
nia ! Surge Semgallia ! solennibus Ducem tu
um GOTTHARDUM celebra præconiis
Ille, ille alacriter, pro veritate Religionis, ac
curitate Regionis, sanguinem quoque funde
non recusâsset : ille acriter domita vitiorum
plurimorum monstra è Ducatu suo relegavit,
ardenter virtutum gloriam amavit & ornavit;
ille Justitiam, ut oculi pupillam, conservavit,
ferventerque exsulantem Livoniæ Pacem redu
cere studuit : ille vigilanter pro Juribus, pro sa
lute, pro incolumitate omnium excubavit, & fi
suaviter amorem sui, in animis omnium, excita
vit. Quis tot fortissimi Heroïs virtutes, dom
& militiæ spectatas, vel enumerare univers
quid dicam, celebrare singulas, potest? Fine ca
rent, & majores ferè, quam humanæ, adora
malunt, quam prædicari. O verè Patrem, no
Patriæ tantùm & Ducatuum suorum ; sed Du
calis

calis quoque dignitatis splendidissimum ! Verè
aurea quædam stirps exstitit, ex qua, velut aure
us surculus, prodiisti, qui subinde magis efflo
rescis, Heros Celsissime, JACOBE, Dux Illu
strissime, cujus felicissimo regimini Curonia
modò & Semgallia prosperitatem suam debet!
Macte istis Natalibus, quos non modò animo,
factisque gloriosè renovas ; sed & honestissi
ma, ipsique Beatissimo GOTTHARDO, si vi
veret, gratissimâ contentione superare contendis ; imò superas. Macte istâ gloriâ, felicitatis
nostræ Atlas eminentissime, quam tuis toto ter
rarum orbe celebratissimis Virtutibus mereris :
quas Patria non capit, Polonia, flos regnorum,
multum veneratur, Suecia, augusta magnorum
animorum æstimatrix, admiratur, Germania,
decus terrarum, celebrat, Anglia, gemma Ocea
ni, magni ducit, Hispania, tot Regnorum Do
mina, novit; imò & Turcia, & regiones, quas
in extremos orbis angulos deficiens natura
projecit, non ignorant. Quid dicam ? Cedit sty
lus humilis Tuis hisce in Patria augustis, ahbi
splendidissimis meritis ! Cedit umbra sermo
nis mei, fulgido tuarum virtutum lumini ! In
tactæ, Tua Pace, maneant : inviolatæ excellen
tioribus ingeniis serventur. O JACOBE, Or
thodoxæ Ecclesiæ Tutor, Aræ columna, purio
ris Doctrinæ templum, DEUS te servet ! O
JACOBE, Curonæ gentis Stator, Justitiæ sub
lica, amoris lilium, DEUS te servet ! O JACO
BE, Patriæ Pater, Illustrissimi generis Gloria,

Decus quorumcunque Principum, DEUS te
servet! Diu superis! pacificè gubernes! felici-
ter præsis & prosis omnibus! Quod & tu, ODe-
us, tum ob potentiam maxime, tum ob bonita-
tem optime, eidem & nobis largiaris, quæso, &
Curoniam, Semgalliamque, & utriusque Du-
catus Patrem, cum tota Illustrissima familia, fe-
licem, incolumem & perpetuò florentem serva,
protege, custodi! Prospera in eo Statûs omnes,
& tua in primis Virtute, Illustrissimum Ducem
ex alto robora, ut susceptum illud æternæ Pa-
cis, inter Sereniſſima Regna Poloniæ & Svecia-
negotium, cui, velut Arbiter, interfuturus es-
felicissimè promoveat & adjuvet, quò, post tot
tempestates, post tot motûs, atque metûs, tota
Livonia celebratissima, & hæc ejus Metropolis,
Riga Regia, æternùm vigeat, æternùm vireat,
æternùm floreat!

PROGRAMMA INVITATORIUM.

DEXTRA IN IGNE.

HÆc verò fuit C. Mutij Scævolæ, dextra Fidei invictæ testis; sed in patriam, quâ nulla potior aut sanctior, præsertim apud Romanos. Fuerint quandoque

que in Sidonia juvenes, qui sartatecta patriæ jura, quàm olatum in ea regnum, maluerunt: magna utique hæc fides fuit magnorum animorum, spernentium, quod aly per ignes ferrumq; peterent; eò major etiam, quod in juvenibus, qui, supra annos sapientes, quanto minus esset, regnum fastidire, quam in patriam peccare, intelligebant. Fuerint, ex Græcis, unus atq; alter, qui, ne patriæ in se injurias ulciscerentur, exsules, suâ sponte, perierunt cum Themistocle, &, ceu illustres fidei constantis victimæ, occiderunt: nullibi tamen aut plura, aut miranda magis hujus fidei exempla, quàm veteris Romæ, vides. Vides, inter primos, Gen. Cipum! ne regnare, libertate patriæ invitâ, cogeretur, voluntarium sibimet & perpetuum exsilium indixit. Quid eum, nisi fides, huc induxit? Vides præcipitem in fœtidam abyssum Curtium! fides illum agit, calcaribus longè vehementioribus, quàm quæ equo admovet. Vides mortem provocantes Decios! fides patriæ utrumque provocat, ut vitam atq; mortem suam uni patriæ devoveant. Quid paucos mihi mulos ibi nominas, ex Catilinæ alicujus aut Coriolani familia? muli sunt, quascunque etiam sceleribus prætexant causas. Vna vera ista hæc fuit: humili se loco stare putaverunt, nisi starent supra Rempublicam. O vos ambitiosè iracundos! ò iracundè ambitiosos! Vt miserescatis aliquantum & mutemini, ite ad Camillum vestrum, invidia ejectum in exsilium: hic tantum abfuit, ut quicquam contra fidem patriæ tentaret, ut anxius etiam occasionem quæreret, quâ summam iniuriam, beneficio non inferiore, rependeret. Ite ad Q. Cincinnatum, quem nec populi in bene-

merentissimum crudelitas, nec iniquitas in generosum filium, à fide patriæ tantillum avocârunt! Sed quid tot Heroas memoro? quid viros dextræ fidei? Satis eam unica in igne dextra docet, dextra C. Mutij: hanc non tam flammæ urit foculi, quam fidei in patriam, flamma omni aliâ flammantior: hanc, juxta fidem, Fortitudo animat heroica, & ita animat, ut, quasi ignibus alatur, invalescat Mutius, ut minis, ut periculis, ut morte ipsa evadat validior. TANTI esse debet salus patriæ! tanti nominis honesti dignitas! Audet Cordus cordatissimus: dextram conjicit in ignem. Ardet manus, corrugatur pellis, riget brachium, venæ contrahuntur, sanguis coquitur: quid ipse? tolerat, consistit, non movetur. Ignis ipsi non est ignis, licet munus suum agat strenuè; dextra verè dextra est, etiam cum esse desinit: vim suam exserit insigniter, cum amittit. Quis tantam non miretur fortitudinem? Parum interesse judicat paratus mori Mutius, quî cadat: semel mori non, non sæpius, datum esse, omniaque, si quis perijt, passum novit, modò pro patria. SIC enim perire, vigere: cadere, surgere: sic mori, immortalitatem judicat. Quid dicam? nisi Rex, miraculo attonitus, jussisset amoveri, certâsset cum flammis dextra in igne, quia pietate roborata erat, pro qua certabat: armata erat prudentia, sub cujus certabat auspiciis. NON est, non est à virili pectore libido citra causam moriendi: non est à prudenti, periclitandi acceleratio; ubi tamen, clypeo prudentiæ, divertere pericula non datur, generosus in illa graditur Codrus aliquis, urticamque non cunctanter attingit; sed premit. Videt ipse, dum de eo cogitat, periculum,

culum; sed spernit: ecce fortitudinem! consilium autem patrum patriæ adit & audit: ecce prudentiam! Non vult ex illis esse, qui non eunt in negotia; sed saliunt; sed volant. Audit, & audet postea. Omnia manu dextrâ, manu dexterrimâ! Ratio enim manûs intellectus est; (cum sapientiæ Magistro loquor,) rationis oratio; orationis manus: manus enim jussa facit; jussa obediunt rationi: ratio vis intellectûs est. Quantam hanc fuisse dices, qui dextram in hoc igne rexit? Mactè virtute esse juberem, si pro mea patria ista virtus staret! jubeas modò, Rex Porsena, qui vim in hac dextra singularem ita depradicas! mactè esse jubeas! pro Te stat utique & patria Tua, cum Te aliis ex bello isto periculis eripit, cum Te Romanis reddit amicissimum. Felicem ejus errorem, quod in scriba, si peccavit, peccavit! superesse Regem præstabat, testem Mutianæ fidei in patriam: præconem fortitudinis heroicæ, quam dextra in igne, ignis in dextra Regem docuit, cujus ipsi quoq; Mutio memoriam firmavit. Philippus ægrè quondam tulisse fertur, quod ex accepto inter hostes vulnere claudicaret; rectè Magnus eum filius monuit: non irasceretur vulneri, cujus operâ virtutis suæ, ad gressûs singulos admoneretur. Dictum Alexandri, factum Scævolæ est! quis hunc iratum credat fuisse dextræ, non-dextræ, suæ? operi illius (nulla enim erat alia, nec poterat,) nunquam non virtutis suæ, ipsi prope igni verendæ, admonebatur, non tam frequenter posthac appellatione Mutij, quàm Scævolæ, à dextræ manûs clade, cognitus. Beatum Te, Iuvenis inclute! beatum splendidissimo hostis, à Te uno atq; solo victi, testimonio! beatum tot mactatæ à Te beneficiis

cius patriæ judicio, præmio, cultu! hunc ad cognomines quoque Tibi alios; sed eosdem fide in patriam, extendit. Tanti certè Asiæ Proconsulem fecit, ut defuncti dudum effigiem, ituris in provinciam Magistratibus, proponeret, normam officij & exemplum. Neq; Tua, Muti Scævola, effigies adhuc aliud, quàm officij exemplum præbet; pinxit eam in memoria proborum dextra Tua: imò tabulis, non æneis marmoreisve; sed animorum penitùs inussit ignita: adhuc lucet bonis civibus dextra Tua in igne, licet non satis æquis eam oculis alij adspiciant. Quid mirum? non æquè omnibus sani, aut eâdem acie. Pictæ etiam effigies, alio atq; alio loco positæ, placent displicentque; plumæ in columbis naturæ opus, prout solem diversimodè excipiunt & reddunt, discolores apparent, cum non sint: sic illustrium virorum facta fata sua habent pro lectorum captu. NIHIL *est, quod livor non arguat, aut ignorantia, in sole quoque maculas nonnulli vident. Sed à scævis talium judiciis ut liberetur Scævola. Vindicias illius suscipere placuit Iuveni Nobilissimo,* JOHANNI von Burghausen / *Nob. Livono, contemnatâ hunc in finem Oratione non indoctâ, quâ factum, ex scriptoribus historiæ Romanæ optimis, & afferet, & efferet. Cum ergo fœtum hunc ingenij, Mutianæ gloriæ vindicem, d. XIII. Ianuari, ex memoria depromere exoptet, omnes tot virtutum in Scævola, dextræque in igne vividæ, admiratores, summates infimatesq;, eâ, quâ par est, animi submissione studioque oro, rogo, ut spectabili suâ præsentiâ labores Gymnasticos, dictâ die, honorare denuò dignentur. Id quod novum erit gratiosi in nos animi*

specimen, cum novo anno, quem ex voto illucescere omnibus, devoto animi voto, precamur: annare & perennare omnes feliciter jubemus! Dab. in Museo, d. 6. Ian. Anno 1653.

M. SCÆVOLÆ VINDICIÆ.

ORATIO.

CUM varia hinc inde celebrantur Regum monumenta, quibus nominis sui, & virtutum gloriam, transmiserunt ad posteros; tum in primis illa memoratu sunt dignissima, quæ, relictis post obitum egregiis sepulcrorum formis, ingeniosè statuerunt. Nolo quidem usitatas Regiorum sepulcrorum turres huc afferre, quibus dignitatis suæ celsitudinem & vitæ decus innuunt: quis enim est mortalium, qui nesciat, sanctissima Regum nomina venerandamque majestatem, instar editissimæ Phari, in conspectu, in honore, in amore omnium versari? Aspiciamus Regis Hermiæ, in Cypro, tumulum, qui, Leonibus smaragdinos oculos habentibus illustris, quid, nisi masculam Principum ac leoninam fortitudinem, cum sobria & attenta affectuum moderatione, notavit? Amasis, Ægyptiorum Regis, sepulcrum formam Sphin-

gis,

gis, monstri apud Poëtas notissimi, exhibuit: quo fine? ut divinarum humanarumque rerum notitiam, ut robur & prudentiam, præsertim Reges, decere doceret. Trajani, Imperatoris Romani, monumentum erecta fuit columna, sine apparatu alto, sine pompa. Sufficere putabat Princeps optimus memoriæ suæ, si Regiæ mentis rectitudinem, necunquam incurvandam vim justitiæ columnâ illa recta, Principibus inculcaret. Et quis omnes ejusmodi sepulcrorum ornatûs referat? Non possum tamen istius monumenti, neque debeo hîc non meminisse, quod Lar Porsena olim, Etruscorum Rex, velut statûs regii, præsertim sui, esse indicem voluit. Instar Labyrinthi jussit exstrui, quod varios intricatissimosque Regum labores & pericula notaret. Commodè nimirum & graviter! Si enim illos Regum inspiciamus labores, pericula illa, quibus sunt expositi, quàm aptissimè cum Labyrintho vitam eorum comparari, nemo sanæ mentis inficiabitur. Sicut enim Labyrinthus variis pyramidum insignibus externè ornabatur, ut sui admirationem facilè excitaret adspectantibus: sic externâ quoque Regum excellentia ac splendore nihil, in mundo, videtur præclarius, ut omnibus ferè mortalibus ejusdem venoratio, ne dicam cupiditas, innascatur. Quem enim pompa ejusmodi Regia non fascinet? quem potentia illorum, in quorum manu mors & vita, à quorum nutu tot pendent alii, non in stuporem rapiat? At verò, sicut Labyrinthi interiora perlustrantibus, varia statim occurrunt pericula: inexplicabilibus enim dubiarum viarum fallaciis ambagibusque horrent undique, ut, qui, fortunâ indulgente cundi se reperiisse viam putat, novis subinde, & prioribus multò difficilioribus, anfractibus impediatur, à Minotauro denique, infami illo monstro, devorandus: sic eadem quandoque Regum sors est, ut suo pateant exitio, & modò hac, modò illac, vario malorum impetu jactentur. Modò ingens periculorum procella, extra Regnum, illos turbat; modò, intra ipsos imperii terminos, nou satis tutam possunt vitam degere. Surgunt, surgunt sæpiusculè plus quàm civilia spirantes animi, &, insanæ ambitionis flatu concitati, ante non quiescunt, quàm, eversa majestate Regia, in patriæ ruinis dominentur. Quæ quidem Labyrinthi Regii discrimina præclarè olim intellexisse videtur Dionysius, Syracusanorum Phalaris, qui Damocli, felicitati Regum, non ex animo; sed favoris aucupandi gratiâ, adulanti permisit, ut ad tempus etiam felicitate isthac frueretur. Sed ô felicitatem hanc infelicissimam! In solio Regio sessitans Damocles, & epulis delicatissimis, Regio more, inter Musicos satellitesque, fruens, pendentem ex equina seta gladium, præcipitique lapsu vertici suo imminentem, ex improviso aspicit, & terrore statim ac pallore miserrimè confusus, nihil ardentius, quàm Regiâ liberari dignitate, expetit: mihi amplius, inquiens, hac perfrui felicitate non

lubet!

lubet! Sed cur tandem aliunde hujus rei exemplum repeto ? Ipsius Potsenæ Regis vita, qui Labyrinthum memoriæ suæ monumentum esse voluit, Labyrinthus dici prorsus meretur. Quot enim mala exercuerunt ipsum, in solio regio? quot pericula cervici ipsius sæpe incubuerunt ? Ex quibus principem meretur locum illud, in quod, nihil tale cogitans, à Juvene Romano, Mutio Scævola, in castris regiis conjectus fuit. Error Juvenis, fortuna Regis, habitus scribæ occisi, à præsenti eum liberârunt impetu; quî aliàs extremum ictum evasisset ? Cum verò de hoc ipso facto Mutii Scævolæ, facto Cordi cordatissimo, variæ exsistant hominũ sententiæ aliis in cœlum illud efferentibus; aliis improbãtibus penitùs ac detestãtibus, tem istam impræsentiarum altiùs non nihil expendere, & juvenem, fortissimum à variis accusatorum vafra mentis, à Theoninis invidorum dentibus, pro virili, vindicare animus est. Op.ârim equidem, tantas mihi & tam felices obtigisse dicendi vires, ut in graviori, & digniori Illustrissimo hoc auditorio materia versari posser oratio. Quanti enim hoc æstimem? quo devotissimi animi cultu efferam ? quod vos duo, splendidissima cœli Suecici lumina & columina, Vos Perillustres & Generosissimi, quorum alter summam Præfecturam Livoniæ; alter universæ Esthoniæ gloriosissimè administrat: quod Vos, inquam, in Magnifico isthoc & Amplissimo consessu, exercitio huic Oratorio, gratiosissimè interesse sustineatis ? Exercitium enim tantùm est juvenile, quod illustri & rara tantorum Heroum Dominorumque præsentia ornari, supra vota nostra, supra omnem expectationem accidit, eò devotiùs à me, si quid unquam in me erit, (quantillum autem unquam erit ?) æterna laude efferendum. Dum verò causam Juvenis fortissimi coram tantis, pro virili mea, nunc discepto, à Vob s omnibus humillimi studiosissimique animi observantia contendo, ut mihi, de tam nobili nobilissimi Romani facto breviter & modicè dicenti, pro singulari vestra gratia & benevolentia, benignas indulgere aures animosque ne dedignemini. Tumultuabatur Etruscorum Rex Porsena in Romanorum finibus, consiliaq; sua omnia, ad expugnandam urbem, convertebat. Ne vero sola esset hæc gravissimæ obsidionis calamitas, intus frumenti, cum summa caritate, inopia miseros immaniter vexabat: idcirco hujus rei, ex transfugis, certior factus Rex, pacisci cum Romanis recusabat, nisi leges subirent indignas ingenuis, Tarquiniumque dignitati pristinæ restituerent. Quid hic Romani? amore libertatis retinendæ exardescentes, extrema sustinere omnia, quàm excusso servitutis jugo denuò implicati malebant. In maximas itaque omnium rerum difficultates conjecti, (tanta erat Tarquinianæ tyrannidis aversatio !) certam prope ex fame, si non à ferro, mortem expectabant. Seniorum metu, juniorum motu, tristi omnium planctu pressa turbabatur civitas: om-

nia incertâ trepidatione marcebant! SÆVÆ divinitatis hæc sunt opera, ut miserias, viribus hominum majores, sors æquior ex improviso vertat, ne vel unquam improbis timor, vel spes absit camitosæ virtuti. Versabatur eo tempore in patria Cajus Mutius Cordus, cognomento Scævola, adolescens nobilis, qui, velut salutare sidus omnibus affulgens, tot animorum tempestatibus, tot malis afflictorum, optatum finem imponeret. Indignum ille existimabat, magnos illos Romuli nepotes, qui imperium Oceano, famam astris essent æquaturi, qui in servitute libertatem, in ipsa tyrannide honestatem vitæ servâssent integram, tàm turpi exitio succumbere: magnô igitur audaciâque aliquo facinore indignitatem eam avertere meditatus est. Ne verô minùs prudens esset, quàm fortis; seu institutô laudatissimô, juvenilem confidentiam, senili temperaret prudentiâ, Senatum Romanum adiit, animi sui sensa patribus aperuit: Transiturum se Tiberim, inquiens, & petiturum castra hostium, non ut prædo, nec depopulationum invicem ultor; majus, si Dii juverint, in animo esse facinus. Quid ad hæc Patres Patriæ? Patriæ salutem unius vitæ anteponendam judicantes, in ipsius institutum omnes consentiunt. Confestim Mutius noster, impetratâ veniâ, abditô intrà vestem ferrô, ad iter se accingit, & in castra hostium proficiscitur, mortem vel inferre, vel perferre paratissimus. O vim virtutis incredibilem! quid non efficis, ubi ge-

nerosa pectora occupâsti? Non dulcedine patriæ, nô tristitiâ cognatorum, non hostis, quem petebat, ferocitate, non denique periculi magnitudine, retineri strenuus Juvenis intra mœnia poterat. Properabat in castra hostium, in confertissimam sese turbam, prope Regium tribunal, penetrans. Hîc verò ardentes vidisses Mutii oculos, quos modò in hunc, modò in illum conjectabat: animus, repetitis subinde ictibus, masculum pulsabat pectus: ferrum in manu vitæ Regis imminebat; sed ignoti; sed confidentis inter alios; sed cincti splendidissimis proceribus; qui Regis instar eminebant. Quid faceret? periculum in mora erat: periclitanda citò alea: prosilit igitur, & calente ferro, ceu emisso fulgure, scribam Regis statim petit, vulnerat, interimit. Quis tum erat omnium, in hoc spectaculo, sensus? quæ Regis Porsenæ cogitatio, cum Purpuratum illum suum tam repentè sanguinem cum vita profundere conspiceret? cum cruor de occiso in ipsum rueret? Atrocitas spectaculi vitam illi prope submovebat, tacitus, (nam horror verba suppresserat,) fixis in cadavere hærebat oculis. Et jam Regii satellites Mutium, qua cruento per turbam trepidam mucrone sibi viam animosè fecerat, cõprehensum ad Regem reducunt. Sed ille inter horridas fortunæ minas, metuendus magis, quàm metuens, summa animi constantiâ, oculis flammantibus, porrectiore fronte ultrò ad Regem: Romanus civis sum, inquit, hostis ho-

ſtem te hoc ferro petii: veſtitu deceptus, ſcri-
bam trucidavi. Nec tamen hoc fortunæ errore
imminutus eſt animus: iisdem ſemper obnoxi-
us eris periculis, donec Romæ libertatem im-
pugnare deſinas. Dixerat hoc,& Regem non
tàm horrore ſuperatl periculi,quàm futuri me-
tu totum confundebat. Inſidebat cogitationi-
busimago facinoris horridi, quod vix evaſerat,
audacia Juvenis, minæ, inſidiæ aliæ ancipiteni
verſabant animum. Tandem converſus ad Mu-
tium: quos habes igitur inſidiarum ſocios? ait
minitans: Cave,quicquam mentlaris, niſi ma-
vis, per tormenta & ignem veritatem exprimi.
At generoſus Juvenis, omne malum pro patriæ
bono vilipendens,dextram,quod in cæde aber-
râſſet,ultrò igni, quem in foculo animadverte-
bat,admotam comburit,ut, ſe ne quidem atro-
ciſſimo cruciatuum genere terreri poſſe, de-
monſtret,cordata voce acclamans: En tibi,ut
ſentias, quàm vile corpus ſit iis, qui magnam
gloriam vident! Hic verò loco manere ſuo
Rex non potetat: ſive ſtupor, ſive miſericordia
percellerent,territum, proſilit ab ſede ſua & ex-
clamat, ut à flammis abſtrahatur ſui prodigus
Mutius. Tam hic extemplo terrorem Regis do-
lo geminat: quaſi beneficium relaturus, vultu
& verbis minacibus: trecentos verò adhuc ſui
ſimiles in necem Regis omni modò tentandæ
conjuraſſe,aſſerit. Audivit iſtud trepidus Por-
ſena, audivit, & mente ſecum reputans ſolicita-
Cajum Mutium,non ſine commendatione for-
titu-

tudinis,non liberum modò dimiſit; ſed cum
Romanis etiam,datis utrinq; obſidibus, pacem
deinceps optatiſſimam iniit. Haberis,Audito-
res,factum Caji Mutii Scævolæ, factum gene-
roſa mente editum, quod non paucis tamen
plus temeritatis habere, quam fortitudinis vi-
detur. Quid enim? inquiunt: numquid viri for-
tis titulo gaudebit,qui,omnis meritis expers, in-
ſtar trunci aut bruti,inſtar furioſi hominis, pe-
riculo ſupra vires,ſupra hominem ſeſe exponit?
Quid ſolus Mutius,nullo adhibito præſidio,tot
ſeſe telis hoſtilibus temere objicit? Quid ſe in
præſentiſſimum vitæ periculum,&quidem ſinè
omni evadendi ſpe,præcipitat? Inſana hæc au-
dacia eſt,exſenſa temeritas. Fortis certè quan-
torumcunque ſubit quidem periculorum aleâ;
ſed horret tamen; non bruto in ea ruit impetu:
utrum ſuperare poſſit ea, neç ne, conſideratè
perpendit. Cœca non eſt virtus martia; ſed o-
culo prudentiæ omnia reſpicit, omnia circum-
ſpicit, Niſi fortuita Regis clementia juſtam ejus
iram ſuperâſſet,eodem ſanè momento & ſpeci-
men audaciæ ſuæ dediſſet, & pœnam Mutius.
Haud abſimilis illi Alexander Magnus exſtitit,
ejuſdem reus vitii,cum,in obſidione urbis Oxy-
dracarum,ſolus de muro,in medios hoſtes,ſtu-
pentes concurrentesque,proſiliret. Omnium
manûs, tela omnium, omnium impetûs in u-
num expediebantur,ut in uno capite orbis bel-
la finirent,& ultionem darent tot gentibus. Re-
ſiſtebat quidem Rex conſtanter,& adverſus tot

millia ſolus præliabatur; ſed felicem illum truncum, qui prope murum ſtabat! Huic vitam ſuam Rex debebat temerarius, ne multitudine hoſtium opprimeretur, ne, ſub tanto telorum imbo, caderet miſerè, donec, cognitò ejus periculo, amici ad eum properarent, urbem vincerent, interfectum pæne Regem in caſtra referrent. Numquid ovum ovo eſt ſimilius, in præſenti, quàm Mutii noſtri & Alexandri Magni audacia? Ita quidem videri poſſet hominibus, qui hoc factum Mutii non ſatis ad amuſſim rectæ rationis examinant, audaciusq; quàm veriùs, audaciæ crimen juveni fortiſſimo impingunt. Expendamus denuò inſtitutum ejus! Ille ſingulari quodam, ac debito amoris in patriam affectu proficiſcebatur ad caſtra hoſtium, ne ſuam vitam cives, ex frumenti inopia, & libertatem, admiſſo Tarquinio, amitterent. Num audaciæ veſtigium in hoc amore? Num iſtiusmodi in patriam pietas temeritas dicenda eſt? Quin potiùs ſingulari quadam atque præcipua laude ob amorem, ob pietatem hanc dignus videtur Mutius noſter. Quis enim noſtrum tam obtuſo ac que Bæotico eſt ingenio, qui neget, PATRIÆ pietati etiam illam, quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritatem parentum cedere? amoti ſui ſubjici? Nemo quisquam facilè, quod ſancto pietatis patriæ inſtinctu ſuſcipitur, temeritatis poſtulabit. Neque primus eo celebratur nomine noſter Mutius; alios Romæ laudis hujus habet ſocios, qui vitam patriæ ſalute vilipen-

rem habuerunt. Quid enim movit Horatios, ut, pro Romanorum ſalute, pro aris & focis dimicarent? Amor Patriæ. Quid Junium Brutum, ut, cum Arunte, Regno expulſi Tarquinii filio, in acie ita concurreret, ut, pariter illatis haſtis, uterque, gravi ſaucius vulnere, exanimis proſterneretur? Amor Patriæ. Quid viros denique alios fortiſſimos, ut ad idem gloriæ ſtudium accenderentur, quàm amor atque pietas, quam patriæ ſe debere ſuæ judicârunt? Dici profectò non poteſt, Auditores, quantò olim ſtudio, Romani præſertim, omnia ſua conſilia & facta ad hanc virtutem retulerint, ut hac de cauſa, ab ipſo quoque DEO, ſingularem benedictionis, in imperio, gratiam obtinuiſſe cenſeantur. Quid ergò eſt, quod homines tam invidi noſtrũ Mutium ſubleſtæ arguant temeritatis? piò amoris in patriam affectu, quæ fecit, fecit omnia: fecit adhibitis in conſilium patriæ patribus, quò vel uno, à temeritatis ſuſpicione, planiſſimè poteſt liberari. Impetratâ enim ad eundi Senatûs poteſtate, quaſi allaturus aliquid neceſſarium, de magnis ſe rebus aleam jacturum indicat: apud populum cogitata illa effari, tutum non eſſe: Patribus ſe talia, qui arcana continere poſſint debeantque, primis ac ſolis proditurum. Pòſt cogitati facinoris ſeriem mirantibus aperit, quod, ſumptâ transfugæ ſpecie, caſtra Etruſcorum intraturus ſit. Si ſuſpectum obtruncaverint, unò privari cive patriam; ſin intromitti contigerit, ferro, quod habebat, Re-

gem hostium vitâ expellere pollicetur, quô cæ-
sô belli finem auguratur. Num revocavit Sena-
tus prudentissimus ab instituto suo juvenem,
ceu temerarium? Non revocavit certè; imò
collaudatum bonis ire avibus jussit. Adeste nũc
qui nostrum traducitis Mutium! ubi audaciã
in hoc facto? ubi temeritas? Nonne viris pru-
dentissimis expositum? nonne justissimo ipso-
rum judicio approbatum est? Ne putemus, i-
gnorâsse Mutium, quod, SICUT fortitudo si-
ne prudentia nunquam salutaris esse potest; ita
nec prudentia cum temeritate consistat. Certè
si quis est, qui æternam rerum à se præclarè ge-
starum gloriam adepturus est, ut mascula in i-
pso fortitudo eluceścat oportet, cujus ductu
ingenti animo, sua omnia efficiat, Animus ra-
men magnus, sine recta solidaque prudentia
verè nullus est; hujus enim ductu fortis sollici-
tè provideт, ne quid cupidè, ne quid impoten-
ter, ne quid improbè committat. Quam qui-
dem fortitudinis cum prudentia conjunctio-
nem, collocatâ in sacratum ædium vestibulis
Sphingis effigie, indicârunt Ægyptii, ut, quã
parte bestia erat, robur; quâ homo, pru-
dentiam designaret. Vis enim consilii expers
mole ruit sua; ideoque prudentia duce, quã
fecit Mutius, fecit omnia. Non secutus est juve-
nilem impetum; sed audivit gravissimorum vi-
rorum consilium, qui singularem sibi prudẽ-
tiam non in otio; sed in negotio; non præce-
ptis; sed factis; non multis libris legendis; sed
rebus

rebus difficillimis gerendis, comparaverant: hi
verò & approbârunt institutum juvenis animo-
sissimi, & commendârunt. Num verò cum pru-
dentia, quæ Mutium firmavit, temeritatem
posse consistere putabimus? imò commisceri
duo hæc non possunt: pugnant inter sese, & a-
quâ igneque pugnant acriùs. PRUDENTIA
non tantùm virtus; sed virtutum præses & dire-
ctrix præclarissima; temeritas vitium turpissi-
mum; illa, sub rectæ rationis auspiciis, militat;
huic desperatio, furor, rabies, feritas sociantur;
illa intemperiem coërcet affectuum; hæc mo-
derationis lineas excedit fœdissimè, ut neque in
aggrediendis periculis providentiam, neque in
perferendis constantiam comitem patiatur.
Notam hanc esse audaciæ, à doctioribus acce-
pimus, quod, qui ductu ejus dicam, an impetu?
periculis sese objiciunt, ante discrimen Achille
videantur animosiores; in ipso autem, Epẽo ti-
midiores inveniantur; in lacessendo tigride pro-
caciores; in malo, damâ fugaciores: impavidi
ante periculum leones; fugitivi in ipso lepores.
Num verò talis noster fuit Mutius, ut notam
inde mereatur audaciæ? Minimè talis fuit; sed
imperterriti semper animi robur dictis, factis,
gestibus præ se tulit, ideoque, cum sibi mortem
intentari audiret, nec colore mutato, nec vultu
cogitabundo, nec ullo alio signo, qualia solent
in mortis periculo incidere, metum prætulisse,
laudatissimo antiquitatum Romanarum scrip-
tori dicitur. O verè fortem & cordatum Mu-

tium Cordum noſtrum! qui, amore patriæ incenſus, neque Regem, iracundiæ incenſum facibus, neque proceres, conſternatis omnia crudelia minantes animis, neque totum denique exercitum, ad torturam properè accinctum, timuit; ſed præſentiſſimum mortis periculum, heroicâ atque conſtanti magnanimitate, tantùm non provocavit! Atqui ſolus hoc fecit, dicunt oſores juvenis; annon temerè, quod ſolus? O turpem in hoc facto maculam, ſcilicet! Solus egregium animi ſui propoſitum exſecutus, eſt Mutius! ſolus patriæ ſalutem fortiter curavit in hoſtico! laudine hoc cedat ipſi, an vituperio? Niſi prorſus fallimur, virtutem animoſi herois magis illuſtrat, quod ſolus, nullas exhorreſcens difficultates, ſolus rem inſignem tentaverit, ſolus rem inſigniter tentatam geſſerit, ſoluseam, admirando ſucceſſu, confecerit. Nemo ſaniorum ignorat, MULTO eum majorem laudis fructum percipere, qui ſolus rem præclaram gerit, quàm qui aliorum auxilio perpetrat. Quis fortitudinem, quam fiduciariam Doctores morum nominant, fortitudinis loco æſtimat? Magna quidem præſtantiſſimorum Ducum in bellis gloria eſt, cum victoriæ florēt inſignibus, cum triumfali lauru ſuperbiunt; ſed ea non eſt ipſorum propria: partem ex ea centurio, partem præfectus, partem cohors, partem turma decerpit, & in iſtius ſe ſocietatem offert. At verò hujus gloriæ, ſicut ipſius facinoris, ſocium Mutius habet neminem: tota illa, quantacunque eſt, quæ certè maxima eſt, tota, inquam, fortiſſimi Mutii eſt, omni monumentorum genere, ad immortalem poſteritatis memoriam, meritò conſecranda. Quanquam nec adverſus totum pugnaturus exercitum iter ingreſſus ſit: unus unum Regem petiit, in uno iſto periclitari fortitudinem, illius cæde liberare voluit patriam ſuam; illam nempe ſuam patriam, cujus mœnia oppugnabat Porſena, cujus agri incurſionibus vaſtabantur horridis, cui denique, tam graviter obſeſſæ, commeatus omnis denegabatur, hanc ab excidio præſenti, ſua quoque liberare morte ſolus voluit. Quis hîc generoſæ virtutis exemplar non videat? cujus ea plerumque indoles eſt, ut difficilibus, ut pulcris occupetur: Quid verò difficilius? quid pulcrius, ab alio quoquam tam fortiter, tam prudenter, præſtari potuit, quàm quod à noſtro Mutio præſtari potuit? Eant verò & frontem perfricent, qui Alexandrinæ hîc temeritatis inſtar cōminiſcuntur! Quid enim huic ſimile in facto Alexandri apparet? Rex in urbem hoſtium plenam, contra omnes pugnaturus, ſaltu de muro præcipiti ſe immiſit: noſter in unum Regem facinus egregium meditatus eſt. Rex, citra omnem neceſſitatem, rem inauditam, & toti exercitui ferè exitioſam, aggreſſus eſt; hic verò amore patriæ, quam in extremis conſtitutam vidit, vitæ ſeſe periculo expoſuit. Rex nullo adhibito conſilio, imò gementibus poſtea proceribus, hoſtilibus ſeſe telis, temerè moriturus, miſcuit: noſter

noſter Mutius, auditi, antequam auderet, conſilii ductum ſecutus eſt. Quid multis? Ipſe laudum Alexandrinarum præco, Hiſtoricus, factum iſtud Alexandri rem incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quàm gloriæ inſignem nominat. Aliter profectò de Mutii judicâſſet inſtituto: rem ad famam fortitudinis heroicæ, rem neque incredibilem dixiſſet, nec inauditam. Annon enim ſimile quippiam, in eodem Romanorum cum Etruſcis bello, Horatius Cocles auſus eſt? cum, extremam pontis cujuſdam partem occupans, eorum hoſtium, in urbem jam jam irrumpentium, agmen, tamdiu ſuſtinuit, donec poſt tergum ejus pons à Romanis dejiceretur. Ipſe, patriam imminenti liberatam videns periculo, armatus in Tiberim proſiluit, & ad ſuos incolumis reverſus eſt. Quanquam ſi intimùs prudentem noſtri Mutii animoſitatem ponderes, major ea, quàm Coclitis, & commendatior deprehendatur. Cocles enim, ſubita periculorum vi adactus, propè mœnia pugnavit; noſter inter hoſtes medios, ſponte ſua, audito tamen Patrum conſilio, fortunam periclitatus eſt. Illi elabendi via Tiberis patebat: quid noſtro? Nihil omnino! Quocunque oculos ſuos verteret, hoſtes, hoſtes tantùm aſpiciebat. Triumfat igitur prudens Mutii fortitudo, triumfat fortis ejus prudentia, & in ruborem dat accuſatores ejus, qui temeritatis notam facto laudatiſſimo ſatagunt inurere! Non tamen hic ſubſiſtunt adverſarii; ſed,

ſed, ut Porſena, ſemel armis Romanorum pulſus, renovat aciem, & denuò fortunam experitur: haud aliter ipſi, depulſi primò illo adverſus Mutium præſidio, tantæ virtutis hoſtes, rurſus ipſum adoriuntur, ſi non temerè; perfidè tamen, fraudulenter, doloſè ipſum hîc egiſſe, clamantes. Certè per fraudem & dolum in caſtra hoſtium irreptit, inquiunt, Etruſcumque ſe mentitus, cohortes in ſtatione, lingua etiam alia uſus, quàm patria, decepit. Num verò iſte candor Romanus eſt? Quid? mendaciſſimè trecentos adhuc juvenes vitæ inſidiari Regiæ aſſeruit. Nemo cordatorum aliam facilè de hoc, quàm de Perſici illius Ducis Zopyri facto, ferre poterit ſententiam; imò utrumque ſuò meritiſſimo reprehenſione dignum accerrima judicabit. NIMIRUM fertiliſſimæ ſceleſtiſſimarum inventionum malæ ſemper mentes exiſtunt, eaque verſutiæ in iiſdem varietas, ut impoſſibile ſit, ſingulas ejus rationes veſtigare. Sed ô futilem quoque accuſationis hujus impetum! Quid futilem dico? Utilem oportebat dicere Mutio noſtro; laudi enim ejus dum obtrectant homines livid, mirum quantum velificantur. Nulli non prudentiores ingenioſa commendant ſtrategemata, cum nihil referat, quò modò hoſtem noſtrum, & quem perdere mos faſque eſt, vincamus. UBI enim juſtum ſuſcipitur bellum, via aperta pugnet quis, an ex inſidiis, quid ad juſtitiam intereſt? Ecce venatorem! fera! qualdam vi & manu interficit; quaſdam,

dū, occultus subsistens, laqueis aut retib. captat? quis reprehendit? Ita si in bellis hostes, non aperto semper Marte, sed insidiis quoque, ab adversa parte, impetantur, à laude propiùs abest, quàm à culpa. Imò ejusmodi belli furta pulcerrimam laudem habent, per quæ hostes maximè decipiuntur, & amici juvantur plurimum, modò salva semper fide, integra dignitate utrumqi fiat. Fraudem enim contra fœdera aut pacta quis probus probet? quis viles & impios dolos? Neutrius verò criminis reus noster Scævola; utriusque Zopyrus. Quàm perfide hic Babyloniis fidem dedit? quam dolosè, & fraudulenter sese obligavit, se adversus illum statum, à quo præsidium haberet, præsertim, cum Babyloniorum Dux constitueretur, nihil facturum? Fuerit fidelis Regi suo; fides isthæc perfidiam in eos, ad quos confugerat, minimè excusat, quid dicam, tollit? Quàm vilis verò? quàm impius dolus & indignus tanto viro fuit? sævitia in corpus ambitionem suam saturare, domi niumque in membra sibi rapere, quæ data ad custodiam? Mutius salva fide, Mutius dignitate integra egit omnia! Transfugium simulavit: verum est: illæsa fide & virtute simulavit. Nihil hic infame, perjurum, indignum facto Argus ipse deprehendat, etiamsi centum suos afferat oculos. Si enim simulatione habitus, fugæ, & similibus non læditur, sive naturæ jus, sive gentium, cur simulatione transfugii? Talis certè nihil perfidi significat. Si decipiatur ea hostis noster, quid tum?

tum? Num hoc cavere alterum oportet? Vah providos hostium amicos & tutores! annon sua libertate, huc vel illuc eundi, magis minùsve celeriter eundi, hoc vel illo habitu, modo, tempore eundi, cuique uti liceat? Dolus an virtus, quis in hoste requirat? id quod apud Poëtam dicit ac docet

——Ripheus, justissimus unus,
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

Quid verò de mendacio Mutii fiet? Nimis manifestum esse videtur, Auditores, mendacium; sed videtur! nec enim, si ad liquidum res exigatur, tam infami nomine dicta ejus traduci debent. Non quidem Stoicorum hic opinioni album, quod dicitur, calculum addimus, qui inter sapientis dotes posuisse dicuntur, mentiri, ubi & quomodo oportet: satis improbè servile vitium sapienti suo, quem Jove faciunt superiorem, tribuunt. Nec ferenda aliorum est malitia, qui velut solenne illud habent, nunquam verum dicere. APERTE vera loqui, hominis ingenui, hominis honorati & honorandi indicium est: mentiri, sordidum opus, & quod invidi maleq; compositi animi opinionem aliis ingenerat. Verè, & ut Pythius alter ex tripode, Pythagoras, interrogatus: Quidnam faciendum esset hominibus, ut Deo similes reddantur? Si verum dixerint, respondit. Nequeramen multis verborum ambagibus hic discutiam: Annon hostem publicum circumvenire falsiloquio liceat? Excutiant hanc quercum in utramque partem alii,

alii, modò ne sua, cum Lysandro illo, jungant suffragia, qui, verum quidem falso esse melius; sed utriusque dignitatem & præstantiam usu discerni, judicabat. Nimirum bonum publicum hîc respici voluit, quo insitum in mendaciis ejusmodi malitiæ virus facilè exfugatur, facilè absorbeatur. Et quidem plenæ sunt ejusmodi medicamentis, ut vocant, veneno mixtis historiæ: pleni exemplis deceptorum ejusmodi scriptores; ô si tantum historiæ! si tantum scriptores! Nos insidioso illi cætui misceri nulli patimur Mutium nostrum, cum non fuerit mendacium, quod mendacii arguitur. Non aperuit cogitata mentis suæ: nihil peccavit. Quid? Num semper aliis, quæ meditamur, manifestare oportet? Hoc verò prudens taciturnitas non largietur, quæ veritatem tegendam suo tempore asserit & loco. Sed illo veritatis tegumento nocuit Regi: largiamur nocuisse. hostinè nocuisse sacrilegii est? Imò, quod permirum dictu videri cuipiam possit, nulli nocuit Mutius figmento suo, ne Porsenæ quidem ipsi, quem à nocendi potiùs instituto utilissimè revocavit. Nulli fecit injuriam, qualem sanè hosti, quippiam fingendo, non facimus, nisi fidem ante ipsi dederimus, nisi juramento nos illi obstrinxerimus. OMNIA enim, quæ ad vincendum hostem publicum, & salutarem belli finem faciunt, quocunque modo fiant, salva tantùm fide fiant & integra dignitate, quod, cum fortissimo Romanorum Camillo, denuò ingerimus. Dum hoc dico, Audi-

tores, dum subactissimo prudentiæ vestræ judicio argumentum hoc subjicio, Lartem Porsenam intueor, qui ipsemet, nisi fallor, intentato crimine liberat Mutium, & cognitam postea fraudem utilissimam prædicat: haud ægrè quidem procul dubio tulit, cum se tam salutariter deceptum animadvertit. Nemo utique infamis mendacii Medicos arguet, cum ægrotantibus, non veris licèt solatiis, sanitatem restituunt: nemo Ducem belli reum aget inhonesti criminis, si milites suos, in prælio periclitantes, suppetias aliunde advenire, falsa persuasione soletur, ut incitati victoriam & salutem sibi pariant. Profectò, qui tam salubri fallacia decipiuntur, non decipiuntur, nisi cum non decipiuntur. Frustra sunt, quicunque Regem Porsenam, sine ullo deceptum damno, argutiolam postea illam Mutianam ægrè tulisse putant: quin gratias potiùs tacitè habuit, quod per illam maximum assecutus est commodum. Romanos enim, gentem fortissimam, sibi amicissimè conciliavit, & hoc juvenis vaframento militari (ut Dionysius appellat) plus, quàm suorum armis, obtinuit. Quid ergo est, quod in hoc viro, ad omnes facto virtutes, (laus illa Mutii à laudatissimo scriptore Plutarcho proficiscitur,) quia eas forsitan non capiunt, rigidi admodum censores carpunt? Cur diris & duris verbis in eum invehuntur? Si ex fraudibus consutum habuisset animum, non tam candidè simpliciterque egisset cum Rege, totum sese illi postmodum aperiens;

Civis Romanus sum, inquit: Cajum Mutium vocant; hostis hostem occidere volui: nec ad mortem minus animi est, quàm fuit ad cædem & facere & pati fortia Romanum est. Ita dixit, ita fecit, minimè hîc mutus Mutius; vicit vere cordatissimus Cordus, ut frustra maculam in eo fingas, nullam hîc invenias. Sed novam tandem in nostrum Mutium, & ultimam expediunt saciem hostes ejus: alio nunc ipsum inevitabiliq; tormento arietant: quali demum, quæritis? Crudelem, truculentum, impium hominem proclamant. Quid ita? Sæviit in Regem, non sacra illa membra, non proximum DEO nomen reveritus, truculentam sicam in eum distrinxit. Istane est in sacrosanctam majestatem reverentia, inquiunt? Imò cum fortuna Regis sceleri perpetrando obsisteret, gravissimis ad hoc minis ipsum infectatus est. Sed quid de impietate hominis tam multa? Nonne ipse in se ipsum, improbè sæviit? dum non tantum in præsentissimæ se morti objecit, vitæ suæ temere prodigus; sed in manum postea suam, igni audacissimè injectam, truculentus exstitit. O belluinum facinus! Sed quid beluinum dicimus? Nulla belua tam immanis, tam est rabida, quæ in ipsam furorem suum effundat, quæ in sua membra sæviat, neque ea, quæ benignitas naturæ largita est, pro viribus servare studeat. Tantum potuit effrenis Mutii insania! tantum enecat malitiosa Mutii ambitio! Quàm impii alias & crudeles sint, qui ne corpori quidem par cum suo; sed in illud, rabidorum canum instar, sæviunt, nemini non est manifestissimum. Pessimè quidem sui ipsius carnifex audit, supra ex Persicis proceribus adductus Zopyrus, quod sibi ipsi truculentas manus intulerit, quod infesto infaustoque ferro crudeliter sibi membra præsciderit & temerè. Nunquid alio censendus loco Scævola noster? Annon potiùs ut insanus habendus, ut crudelis culpandus, ut impius reprehendendus, ut inhumanus diris omnibus devovendus est, qui neque sui, neque majestatis regiæ rationem habuit? Verumenimverò, si tam graviter Heroëm nostrum accusare sufficit, quis erit innocens? Loquatur potiùs ipse, & læsæ sanctitatis Regiæ crimen objectantes reprimat. Hostis hostem occidere volui, ad ipsum hostem dicit. Ecce spongiam quæ omnem intentati sceleris maculam abstergit. Num enim hostis persona, quamdiu hostis est, sive Rex, sive subditus fuerit, hosti sancta est? Bonum scilicet commentum! bonum munimentum! quasi sanctam illam haberc personam oporteat, quā modis omnibus, modò salva honestate, circumvenire licet & interimere. Si in ipsa acie trucidatus esset Porsena, num & ibi proximum Diis nomen, Regium numem impiè læsum fuisset? Aspiciamus modò & sacras, & profanas historias: DEUM immortalem! quot Reges ab hostibus occisi sunt, imò ipsius DEI T. O. M. mandato, quod ad nulla nos turpia incitat, à sanctis etiam viris occisi sunt? Horrendas

quidem graviſſimi ſupplicii minas audimus à in Scævolam, quæ admiſſæ culpæ fidem poſſent facere; ſed nonniſi illis, qui quodcunque ab hoſte in hoſtem malum, culpæ antecedentis præmium exiſtimant. Plus ſatis vobis omnibus, Auditores, me tacente notum ex hiſtoriis eſt, quam exquiſitis ſubinde ſuppliciis non modò immiſſi ab hoſtibus percuſſores; ſed emiſſi quoque exploratores, affecti fuerint. Quid cauſæ dicemus? Injuſtumne prorſus eſt, uti exploratoribus? uti in hoſtem percuſſoribus? Sic nullis in eum militibus liceret uti, ne quidem integro exercitu. Multi enim, an pauci ſint, aut unus etiam, qui vim in hoſtem, quem occidere licet, expediant, quid ad juſtitiam intereſt? Sexcenti cum Leonida Spartani, caſtra Xerxis maſculè ingreſſi, rectà petierunt Regis tentorium, ut finem & vitæ ejus, & terribilis belli afferrent. Pauciores ſi periclitati aleam illam fuiſſent, annon magis ab fuiſſent à culpa, quàm à gloria? Valerius Maximus pium ac forte vocat Mutii propoſitum: magnus Cicero ſummis effert laudibus. Et quidni? Sancti illi Romæ in bellis Senatores veteres ad audendum autores fuerant. Quid autem ſuis Rex ſuppliciis terret Mutium? non certè, quod vel improbè, vel impiè egerit; ſed illa ipſa utitur licentia, quam adverſus hoſtem hoſtis jure obtinet. Quanquam ipſe aliàs nonniſi laudatiſſimam in hoc facto virtutem agnoſcat. Nimirum ſæpius virtutem in hoſte merita laude tollimus, ipſum tollimus. Neque pri-

primus fuit ex Romano ſanguine Mutius, qui pulcrum & decorum eſſe pro patria mori ſtatuit, ne quis ipſi vitio vertere pergat, quod morti vitam expoſuerit. Notior eſt, quàm ut multis impræſentiarum efferatur, virtus Marci Curtii, & animi, & generis nobilitate inſignis juvenis: qui, cum in media parte fori, vaſto ac repentino hiatu, terra ſubſideret, reſponſumque eſſet, tantummodo compleri poſſe, ſi nobilis quidam Romanus ſe in illum præcipitaret, militaribus inſignibus ornatus equum conſcendit, admotisque vehementer calcaribus, præcipitem ſeſe in illud profundum egit; continuò terra priſtinum recuperavit habitum. Memorabilis Deciorum, patris nimirum & filii, pietas in patriam fuit: è quibus ille, cum, Latino bello, aciem Romanam inclinatam, & penè jam proſtratam videret, caput ſuum pro ſalute Reipublicæ devovit, ut, ex vulneribus illius atque ſanguine, inſperata exſurgeret victoria: Hic verò ſimili devotione, (qualis quidem Ethnicorum eſſe potuit,) pugna æquè ſtrenua, conſentaneo exitu, labantes perditasque urbis Romæ vires reſtauravit, ut dignoſci arduum ſit, utrum Romanæ civitati utiliores Decii in vita, vel in morte exſtiterint? quoniam vita eorum, ne vinceretur, obſtitit; mors, ut vinceret, effecit. Sed quid mortem eorum nomino? NON moritur, qui ſic moritur; ſed mortalem vitam cum immortali commutat gloria. Mutii noſtri hæc vox apud Hiſtoricum, vox Cordi cordatiſſimi: Donare

vitam meam patriæ volui, ait, quæ me protulit, pro mortali corpore immortalem recepturus gloriam. O exemplum fortitudinis ac amoris in patriam spectatissimum! O verba ex ipso sapientiæ tripode prompta! Omnibus ea hominibus satis dilucidè demonstrant, EX aliis virtutum præmiis, si præmiorum habenda est ratio, amplissimum esse gloriam: ea enim est, quæ brevitatem vitæ posteritatis memoriâ consolatur: ea est, quæ efficit, ut absentes adsimus, ut mortui vivamus: ea est, cujus gradibus etiam homines videntur in cœlum ascendere. Quis ergò erit magnus animus, qui non ad eam aspiret? Qui verò immortalitatem nominis leve egregiorum animorum incentivum putant, virtutis indolem ignorant, cujus efficacissimum pabulum est gloria. Sed aurem nobis adhuc vellicat manus Mutii, &, si tamen crudeliter igni admotam corruptamque indicat. Nunquid hoc sine Mutii labe factum est? deforme procul dubio corpus reddidit; furtassis facto etiam illius turpitudinis notam inussit, & tantam quidem, quantam ne omnis quidem vis aquarum eluat. Mirari posset quispiam, quî factum sit, quod scriptor Romanarum antiquitatum accuratissimus, Dionysius Halicarnassensis, nullam manûs ambustæ mentionem, in operosa facti hujus recensione, faciat. Dubiæne illo tempore fidei fuit, quod fama de injecta foculo manu circumtulit? Princeps tamen Historiæ Romanæ exsertis verbis refert, & dignis omnino,

no, quæ ex illo audiantur: Quum Rex, inquit Livius, simul ira infensus, periculoque conterritus, circumdari ignes minitabundus juberet, nisi exprometet propere, quas insidiarum minas per ambages jaceret: En tibi, ait, ut sentias, quam vile corpus sit iis, qui magnam gloriam vident; dextramque accenso ad sacrificium foculo injicit, quamquum, veluti alienato ab sensu torreret animo, prope attonitus miraculo Rex, ab sede sua prosiliit, amoverique ab altaribus juvenem jussit. Sævitiam hic notabimus Mutii, quod manum igni injecerit, an prædicabimus potiùs prudentiam, quod, ne totum corpus flammis consumeretur, unum perire membrum ejus maluerit? Prudentiam certè nominant gravissimi scriptores, quod Pompejus, (sed quantus vir?) cum, Legationis munere functurus, ab infestissimo Illyriorum Rege interciperetur, Senatusque Romani consilia & mandata juberetur aperire, blanditias minasq; pari loco habuit, nec vel in ipso casu animo cecidit; sed ardenti lychno admotum digitum cremandum præbuit, suamque ipsius virtutem ac fidem allocutus: Pompei, ait, hîc priùs in cineres te flamma rediget, quàm patriam populumve tuum proditorie prostituas. Et, tam constantis patientiæ indicio, ultioris quæstionis periculum evasit, unusque & solus (quod exercitus nequiverat,) hostibus cum populo Romano faciendi fœderis insevit cupiditatem. Quid aliud in nostro animadvertimus Mutio, quàm

quod tantis in Pompejo, & quidem justissimis effertur laudibus? Nonne pari modo, ipsis jam flammis cædem minitantibus, manum foculo Mutius injicit? pari motu inexpugnabilem fortissimi animi fidem hosti firmat? pari successu solus & unus, quod patriæ exercitus non poterat, hostis vincit animum? Triste quidem, corpus urere; quis ambigat? sed IN omni negotio, ubi periculum imminet, id spectant prudentes, ut quàm minimo damno defungantur. Ita medici, ubi, correpta corporis parte, morbum in cæteras transjici vident, unius membri jacturam pro reliqui corporis incolumitate, paciscuntur. Quis nullo casu membri, licet adhuc integri, jacturam faciendam statuat? Si quis manu sua, sive casu, sive de industria, ligatus esset alicubi, aut implicitus, subitumq; oriretur circa hominem incendium, quod non nisi manûs impeditæ abscissione liceret effugere, quid, quæso, faciendum ei statueretis, Auditores? Omnes, omnes procul dubio succlamabitis, spero, manum potiùs perdendam, totum corpus à præsenti malo liberandum esse. Nullum verò tale cum Prærorem Persicum, ad deformandum tam horribili conatu corpus, impulerit, quid impiam illius sævitiam? quid sævam impietatem Scævolæ nostro imputabimus? Fides, fortitudo, prudentia, in periculoso constitutum bivio, aut laudabili dolore ad honorem masculè contenderet, jussisse videntur, & instigasse Mutium. Ipse Rex Porsena, miratus talia, laudes ejus decantat: Juberem

berem macte virtute esse, inquiens, si pro mea patria ista virtus staret. Nunc jure belli liberum te, intactum, inviolatumque hinc dimitto. O splendidissimam gloriam, gloriâ immortalitatis memoriâ prosequendam, quam Mutius noster ab ipso quoq; hoste obtinuit! Cujus caput gladio petit, ab eo tot Virtutum laudes, dignum earundem præmium, accipit: laudes sine fuco, sine fraude, sine adulatione, cum tantus hostis tribuat. O felicem ergo mutium hoc nomine! Felicem istiusmodi honoribus ac præmiis, quæ postmodum à tota patria consecutus est! Quid enim illud? annon quantivis est, quod, rebus licèt Romæ satis angustis, ipsi tamen ex publico, quemadmodum antea Horatio, pontis & patriæ defensori, tantum agri, quantum uno die aratro circumarare posset, Patres trans Tiberim dono dederunt? Quanquam majus adhuc & amplius accesserit præmium: E questris statua honori ejus sempiterno splendidissimè posita, & apud Curiam Hostiliam collocata est, monumentum fidei invictæ, fortitudinis heroicæ, prudentiæ felicissimæ, qua exsultantem hostium ferociam compressit, flammam atque ferrum, cædem, incendia, rapinas à Romanorum civium vita, tectis, fortunis arcuit: magnum Etruscorum Regem, Patriæ antea terribilem, amicum effecit utilissimum. Quis ista heroici facinoris commoda verbis possit asse qui? Vix paratum erat à cive patriæ amantissimo, ecce mutatum Regis in Romanos animum! funesta ponit

nit odia: Victor propemodum, ad incitas redactos provocat ad amicitiam, quam Tarquiniis ſtatim, cum hoſpitio, renunciat: munera, caſtrorum ornatus, captivos ſine pretio plurimos Romanis donat: æternæ pacis cum iiſdem federa pangit, muneribus viciſſim ornatus longè ſplẽdidiſſimis. Quis Romanorum unquam, non dicam ſperare; ſed propemodum optare, tantam patriæ felicitatem auſus eſſet? Præcurrit fortitudo tua, Corde cordatiſſime, ſpem Patriæ tuæ! quæ, ne fruſtra optaret ipſa, verebatur, admirabili tuâ & ſingulari virtute perfecta ſunt. Habeas ergo tibi non minus laudis, honoris, gloriæ, quam temeritas, fraudulentia, impietas reprehenſionis conſequitur! Habeas tibi divinum patriæ liberatoris nomen, quod tam fortiter, tam prudenter, tam piè, tam gloriosè egiſti. Verè fortiter! Fortitudinis enim incitatus ſtimulo, in caſtra hoſtium profectus es: hâc manûs ad trucidandum Patriæ hoſtem armaſti: hac, ipſo quaſi periculorum cingulo concluſus, animoſiſſimè minas omnium atrociſſimas ſuperaſti. Verè prudenter! Prudentia enim duce optatiſſimâ, à prudentiſſimis Patriæ patribus, conſilium petiiſti, ne quid tibi, dum de patria agitur, tribueres: ne totum corpus pereat, manum comburendam præbuiſti, dictis, factis, geſtibus ſaluti patriæ conſulens. Verè piè! Quis enim hoc negaret? vitam tuam, quâ nihil alii homini carius: quid de fortunis, de conſanguineis, de amicis Romæ neglectis dicam, an relictis?

ctis? dicam? vitam tuam juvenilem, vividam, vegetam patriæ libertate viliorem habuiſti. Verè glotiosè! Quot enim dona? quot præmia à patria? quas à ipſo hoſte laudes obtinuiſti? Tuum, tuum hoc factum, Heros fortiſſime, tot virtutibus, ceu ſtellis magnum hoc cœlum, exſplendeſcit, ut, dum te prudentem, dum te fortem, & pium in patriam appello, non tam nomen tuum his honeſtare titulis, quam hos titulos tuo nobilitare nomine videar. Nihil prorſus abeſt, quin te Patriæ tuæ patrem plenò ore nominemus. Civitatum fundatoribus hoc laudis ſolet tribui; quidni autem earundem potiùs conſervatoribus conveniat? MULTO magis nobis jucundi atque illuſtres ſunt illi dies, quibus conſervamur, quàm ii, quibus naſcimur: nam ſalutis certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio, ut cum laudatiſſimo quoque Patriæ ſuæ patre, Cicerone, laudes hus obſignem. Agite ergò, quicunque Cives eſtis, agite, qui, quantum debeatis patriæ, intelligitis, Mutium noſtrum imitamini, & eum induite animum, ut pro patriæ ſalute omnia cum eo faciatis, omnia patiamini. PATRIA eſt, quæ omnes caritates ſancto ambitu complectitur: ne majorem alibi unde expectetis gloriam, quam ex ſervata patria. VILIA & exilia ſunt omnia, quæ fortunæ ſunt: at ſalus patriæ quantiſcunq; bonis majus bonum eſt: talis pietas, quæ, Mutianæ inſtar, ſua quoque vita potiorem æſtimat ſalutem patriæ,

triæ, honoratissimo cœli terræque judicio, æternùm comprobatur.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

PARADISUS MUSARUM BABYLONICVS.

NEc enim pensilem intelligo, quem Nabuchodonosor fratrum voluit uxori suæ, ad stuporem ipsi factus erat undique : testudines surgebant ex Euphratis fundo; sed quæ sustinerent alias; his ipsis, velut atlanteis humeris, pavimentum horti, (quanta moles!) incumbebat. Quis silvam, tot proceris eminentem arboribus? tot limpidis strepentem rivulis, in aëre visam, meminit ullibi? hæc verò Babylone fuit, non in solo utiq;, nec tamen sine illo. Multi è longinquo molium tantarum montes conspicati, nubes se videre judicabant. Factos dicas ad illarum instar, quas inter capita sua condebant. Sed ad stuporem tantum! Alium ibidem paradisum excitabat Magnus Rex, Deo scilicet & Musis: hortum floridò insignem, toti regno salutarem & mundo, præ quo pensilis ne quidem hortus. Regium Collegium intelligo, de quo Vir desideriorum, ceu illustri studiorum suorum sede, pulcra omnia, regia & egregia omnia.

Quantum enim horti fundatorem prædicat? Nabuchodonosorem, cujus operâ vicariâ hic DEVS usus est. Quantum curatorem? quò vix alium illustriorem maximus Monarcha, tot in regnis, habuit, ut scilicet officio illustri, ex curatoris dignitate, splendor affulgesceret. Quantos verò? quam idoneos colonos ejus Aschpenazus legit? dulces in iisdem, cum fidelitate, nexûs comitas, cum hac gravis rerum agendarum peritia miscuerat. Ecce autem venustos, & ad omne decus factos flores, qui in paradiso regio lucebant! non astrorum illi ignes magis nitent! nullò non colore, nullò non cultu eminebant principes omnium, Daniel, Sadrach, Misach, Abednego. Quæ lingua fructibus suavissimorum florum efferendis sufficit? Exitis enim ad salutis publicæ ornatum, ad curam, ad robur, publicæ salutis robur, cura, ornatus, Flores juvenes: Phyturgo vestro, quæ exspectat, commoda promittis, ut singularem ex vobis fragrantiam percipiat! Imò divite adhuc ea sinu funditus, neque mirum: æterna sunt, ex Musarum paradiso, qualia nulla ex Babylonis pensili. periit hic cum floribus decoribusq; suis: vix satis certam sui in scriptoribus reliquit memoriam. Ille verò suis adhuc floret florebitq; laudibus! Quas quidem, ex præcipuo illius quondam flore, singulari studiò collegit Ornatissimus Iuvenis, JOHANNES HARTMANNUS, Iunior, strenuus virtutum Paternarum æmulus, & eruditæ Orationis fasce complexus est. Occasionem instituti sui cepit ex natali nostri Collegii optatissimo: vigesimum secundum enim celebramus, die mensis hujus duodevicesimò, quò regia Civitatis hujus Regiæ benignitas,

novum

novum hîc Musarum hortum plantavit. Pulcrum opus, ad salutem & ad decus omnium! utrumq; procul dubio in animis & votis fuit laudatissimis Patriæ Patribus, cum primam ejus curam susciperent. O fortunatos nimium, bona si sua nôrint Rigenses juvenes! ut exclamantem hùc Poëtam vocem. Nihil sanè est, quod ad Musarum cultum avara quoque vota amplius hîc exigant. Majore quodam numinis afflatu ad colenda sacra commoveris? illustre tibi viridarium, in patria, Theologia aperit. Ad decus aequi & juris, nobilis adspirat animus? saturare illum suis etiam fragrantiùs Jurisprudentia ibidem gaudet. Quam spacioſum horti ambulacrum vides? non vasarum quidem sepibus cinctum est; sed quibuscunque disciplinis liberalibus, ut, in quamcunque partem ejus te ardor rapiat, perficiendi & reficiendi animi media suppetant. Philosophia, quaquaversum patet, sedulò excolitur: Philologiæ cultus non habetur insuper: audire licet & adire, sub delectis ad has operas ductoribus, cujusvis generis autores, & jucundos inde fructus capere. O fortunatos nimiùm, bona si sua nôrint & curent juvenes! iterum exclamo cum aliis plurimis, qui, patriis quondam ejecti laribus, benignitatem matris Livonicæ mecum adhuc sentiunt, ac gloriam illius alibi, per universas Europæi orbis partes, prædicant. Servet DEVS hortum istum floridum, ut tanta in nos beneficia non quercui, non cedro, non saxo, perituris rebus; sed ipsi æternitatis domicilio, gratis inseramus animis! adversus tot ferorum morum impetus defendat Deus! Vah, quam tumida illarum turba devastare hortum nostrum gestit! Videat non

non paucos, ad fallaces Adonidis hortos exspatiari crebriùs, quàm Musarum: tanta est ineptiarum vis in leves animos! Videas superbiæ inflatos typhò, vestes diligentiùs, tot undique fenestras patulas, curare; imò comam muliebrem, pulvere, non scholasticô; sed qualis ferè inter farinarias haret machinas, distentam, ventilare studiosiùs, quàm libros: videas, in eo multos occupatissimos, ut, dissolutis supra infra pannis lineis, talem vitam: streperô, ex adstrictoris ligulis, incessu, talem animum. pictô vultû, tales mores ostentent. Tam diligenter-negligentes sunt non pauci! Sed hi lappæ sunt & tribuli horti nostri: vix ullus sine excremento ejusmodi germinat alius, quod tamen malum meliorum flosculorum interventu, etiam in nostro, DEI gratiâ, pensatur. Nos verò, qui illustri beneficiô perfruimur, ad Gratiarum hortos animum vocantes, gratô semper patriæ benignitatem animô celebremus. Quid enim possumus amplius? Floreat Riga, Livoniæ Metropolis, emporiorum ad mare Balthicum ocellus! pax & felicitas in choro, foro, toro ejus vigeant! Vireant Musarum horti inclyti! cum phyturgis, hortulanis, floribus decoribusq; suis vireant! Facessat hinc Trojanus equus, cujus uterus, Græcorum fraude gravidus, proditoriâ votivi cultus specie, tot mala peperit! ex nostro hoc Minervio, ad quoscunq; mundi statûs, eximia subinde publicæ gregis fulcra prodeant! Qua vota nostra, vota ex devoti cordis thalamo profecta, pluribus, superiùs laudata: repetet Oratio, ad quam proinde benevolè audiendam, summates infimatesq;, & quotquot nostris favent studiis, ut istô natali Gymnasii nostri die, in ipso,

ipso, œnveniant, humiliter humaniterq; precamur. Animabunt suâ istâ gratiâ non ipsius tantùm peroraturi industriam; sed nos omnes, qui docendò discendoq; nostras hîc operas conjungimus. Omnibus vicissim nostra quantulacunq;, redhostimentilocò, devovemus omnia. In Museo meo, d. 15. April. Anno 1653.

GYMNASIUM BABYLONICUM,

CVM COLLATIONE GYMNASII RIGENSIS.

ORATIO.

CUm omnes mihi singulari quadam & præcipuâ laude digni videntur, qui non felici minùs, quàm prudenti manu clavum regunt Reipublicæ, opes Civium suorum & fortunas defendunt, publicam tranquillitatem tuentur; tum ii præcipuè, qui, veluti majori quodam numinis afflatu perculsi, sacras Musarum sedes, & feracia virtutis omnisque disciplinæ honestæ seminaria, curâ tuentur maximâ & promovent. QUOD enim majus? quod melius Reipublicæ afferri munus potest, quàm si mo-

morum doctrinarumque cultu destituta; Juventus, diligenter doceatur, moribusque eruditur laudatissimis? NEC majus meliusve Juventuti beneficium hoc ipso poterit contingere, quàm si, provida benigni Magistratus cura, in amœnissimos Musarum hortos transferatur. Ibi enim laudabiliter excolitur: ibi nobilissimæ animæ nostræ facultas, Intellectus, qui plus, quam cimmeriis, obfuscatur tenebris, illustratur: ibi divinus humani corporis hospes, animus, sapientiâ & prudentiâ instruitur, ut, ad decus, ad rectitudinem deductus, ipsum hominem hominis appellatione dignum præstet. Solus enim homo animo ingenioque vivit; corpus & sensus cum brutis ipsi sunt communia; sine sapientia verò & prudentia corpus sine pectore, imò vivum cadaver est. Quid turbidos effrenis Voluntatis motûs dicam? qui, ut efficacem faciunt hominem: ita scholasticæ informationis beneficio, frenantur & cohibentur feliciter. Nimirum, quod ægro admodum & interius corrupto accidit corpori, ut, quicquid ei suggeras, alimentum fiat morbi & in noxam abeat: similiter, QUAMDIU homo animum suum ab istis liberare malis non curat, quicquid demum vivat, quicquid faciat, vitiosa labe inficiatur. Et sicut recens, (quod historiographi nonnulli referunt,) exturlæ partu, catulus inter primos natales magis portenti cujusdam, quàm animalis speciem habet, nihil est, nisi massa imbellis: crebrò solùm matris linctu vividam ursi

formam accipit, vigoremque tandem obtinet? ita homo, à connata animi deformitate, non nisi sedula docentium in scholis cura liberatus, vegetam hominis indolem recipit. Quid enim est, cum in hanc auram vitalem miseriis plenam miser editur? quid est, cum in rudibus adhuc vagit cunis? imbecillis fœtus est, nullo ferè hominis ornamento conspicuus; sed si postea in scholis diligentiam in studiis adhibeat, si, literis imbutus humanissimis, crebriùs sistat se ante Virtutis speculum, eoque formam suam explo-ret, longè quidem elegantior sibi ipsi subinde apparebit, & jam comitatem in moribus jam in rebus arbitrandis prudentiam sentiet: jam cognoscet, quomodo varia Reipublicæ officia laudabiliter administrari, quomodo privatæ vitæ ratio institui debeat. Et tales quondam prodierunt ex illustri illo & celeberrimo, Magni Babyloniorum Regis, Nabuchodonosoris, Gymnasio, quod in Regia Metropoli ab ipso excitatum fuit. Fuit illud utique optatum juventutis formatorium, fuit sacra quædam hominum officina, fuit Gymnasium omnium ingenuarum artium studiis florentissimum: de cujus quidem laudibus nonnihil impræsentiarum dicere constitui, non ut eas quidem pericenere omnes, ac flore orationis convestire conarer; sed ut, ex innumerabili earum copia, pauca quædam seligerem, de quibus, ex hoc loco, vobis audientibus explicarem. Quanquam non sine causa verendum sit, ne mihi idem contin-gat,

gat, quod non è plebe olim Sophistæ, apud Annibalem, de rebus bellicis, longa oratione, differenti contigisse dicitur; Si ego, adhuc Juvenis, in rebus scholasticis minimè versatus, paruinq; quid scholæ possint, intelligens, in ornatissimo hac Auditorum corona, ad dicendum, de rebus tantis, progrediar, præsertim, cum non ignorem, quod hæc provincia Viros, omni: Virtutis & doctrinæ laude præstantissimos, dignam tanta gloria orationem allaturos, deceat. Sed impulit & commovit me nova hujus diei celebritas, ut in Gymnasio de Gymnasio Babylonico agerem. Dies enim XVIII. Aprilis est, quo, annos abhinc viginti duos, nostrum hocce Gymnasium Musis excitatum, Musis sactarum est. Quis felicem, diei tam felicis, reditum gratis plausibus & ausibus non excipiat? Natalis est Athenæi hujus laudatissimi! in quo tamen, quod de Gymnasio Babylonico dicturus sum, à sanctissimo Propheta Daniele habeo, qui eximium ætatis suæ florem ibi studiis laudabiliter impendit, & quæ fundamenta ejus, quæ firmamenta fuerint, divino omnibus studio interpretatus est. Vos autem, Auditores, antequam id facere pergam, ulterius observanter subnixeq; oro, togo, ut tenues dicentis vires incomparabili favore, & usitata audiendi benevolentia, sublevetis, quo felicius succedant omnia, oratioq; mea, veluti secundis subvecta ventis, portum suum faciliùs consequatur. Floreſcebat jam, per universum orbem, Magnus potentissimusque

Rex Nabuchodonosor felici illustrium præliorũ successu: jam, fortitudine bellica Ægyptios, Phœnices aliosq; debellaverat: jam, secundò marte, diu anrea prædictũ in Judæos bellũ absolverat. Idcirco, suam in consilio gloriã, & provehendam Reipub. fortunam habens universos Monarchię suæ statꝰ accuratius lustrabat. Videbat statim Rex Prudentissimus, quod BELLA, etiamsi felicissimis gerantur avibus, sine multiplici tamen Reipublicæ incommodo & detrimento, non gerantur: instar enim pharmacorum obtinent, quibus utiquandoque necessum est, quæ & debilitant corpus, & confortant, modò rectè adhibeantur, nec ægrotans cibi loco illis forsitan utatur: haud aliter Reges suum istud corpus, cujus caput appellantur, hoc est, Rempublicam & affligere bellis possunt, & firmare itidem, modò ne nimiam armis famam quærere, & gentes, præter modum, bellis lacessere nitantur. Intellexit illud Nabuchodonosor, &, cum animo suo sapienter expendens, quibus Rem Publicam mediis felicem quoque posthac, & incolumem præstaret, Regium in urbe Regia Gymnasium, officinam morum, doctrinæ & virtutis, regiis exstrui curavit sumptibus, ut ex eo prodirent Viri prudentes, Viri eximiè utiles, qui omnia, bellorum motibus convulsa, pristinæ felicitati & integritati restituerent. O dignam Magistratu providò solicitudinem! O Regias egregiasque Regis egregii curas! BELLA gerere, ut in pace vivas: in pace vivere, ut belli damna resarcias: belli damna re-

sarcire, ut Viris, undiq; in hunc finẽ egregiis, abundes, ut eos cura felicissima in scholis nutrias, colas, excites, CUM, scholis florentibus Respublica floreat; marcescentibus, haud dubiè marcescat. Experta id est Græcia; sed heu cum maximo damno! Quantum cum Musarum flore floruit! quoties autem magis Bellonæ, quàm Minervæ litavit, gravissimis calamitatum fluctibus agitata, internis dissidiis lacerata, nulloq; tẽpore, ab hostilium incursionum impetu, tuta fuit. Mirum est, quòd ipsis ab oraculo responsum est. Cum enim causam mali quod premebat ipsos, Delphis rogarent: tum demum eos pacis compotes fore, cognoverunt ab Apolline, si aram, quæ ibi erat cubica, duplicarent. Cujus quidem Oraculi mentem Plato consulentibus explicuit: Deum non laborare, asserens, de ara cubica, aut quadrangulari forma; sed revocare Græcos à castris ad aram: à tumultu Martis ad Musarum cultum eos retrahere: SCHOLARIUM quippe felicitas, Reipublicæ; scholarum ruina, Reipublicæ. O felicem, ubi hæ, cum Nabuchodonosore, curantur, curatæ florent, florentes conservantur! Meritò Senatus Uratislaviensis aurea hæc scholæ foribus insculpi curavit verba: Bona adolescentum educatio est fundamentum Reipublicæ. Fundamentum utique est, Auditores, statûs sacri, cum, scholarum beneficio, non Ecclesia tantùm olim sustentata sit, in quibus Juvenes idonei ad religionem veram, & alia humanitatis studia informabantur; sed

hodie num pari ſtudio ejuſdem ſalutem ipſæ promoveant. Unde enim, qui veram & Orthodoxam religionem tuentur: qui verbi divini ſemen in Eccleſia largiter ſpargunt: qui depravatas impuriſſimis opinionibus mentes, ad veræ religionis tramitem revocant: qui contrita & collapſa auditorum corda efficaci erigunt ſolatio? nonne ſcholæ tales efformare conſueverunt? SCHOLÆ ſunt fundamentum ſtatus Politici! Intueamur enim Curiam, Judicumq; tribunalia. Unde, qui dextrè habenas Reipublicæ capeſſunt & moderantur: qui, in decidendis controverſis rebus, fidem, Juſtitiam, æquitatem adhibent, graviq́ue omnia conſilio regunt: qui Virtute conficiunt? nonne ſcholæ tales efformare laborant? SCHOLÆ ſunt fundamentum ſtatus œconomici! Unde enim iſti Reipublicæ exiſtunt cives, qui vitam ſobriè Juſtè piè tranſigunt: qui labore & ſudore, non cum fraude; ſed cum laude, ſua peragunt: qui opes per induſtriam colligunt? nonne ſcholæ tales inſtruere ſolent? Profectò, QUICQUID, in prima ſtatim ætate, à Præceptoribus haurimus, ſive rectum, ſive turpe illud fuerit, paulatim in naturam abit, &, quò ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu. Quæ cauſa etiam fuit, cauſa ſcilicet juſtiſſima, cauſa prorſus neceſſaria, quòd tot paſſim ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, poſt Nabuchonoſorem, celeberrima Gymnaſia extructa, tot Academiæ ubique cultæ floruerint, & adhuc inter Chri-

Chriſtianos floreant. Digna fuit Maximi Romanorum imperatoris, Maximiliani primi, vox in comitiis quondam Auguſtanis, cum præcipui ibi principes imperii congregarentur: Animadvèrtere ſeſe, dicebat, raritatem, doctorum Virorum Reipublicæ valdè eſſe detrimentoſam. hinc Septemviros monebat graviter, ut quilibet eorum Academiam, in ſuis terris, auctoritate imperatoriâ erigeret. Dictum, factum! motus conſilio iſto Saxoniæ Elector celeberrimam Wittenbergenſem: Brandenburgicus, Francofurtenſem ad Oderam, alii alias ſcholas excitârunt. O prudens illud Prudentiſſimi Imperatoris conſilium! ô pium & laudabilem erga Rempublicam affectum! Alias in orbe Chriſtiano attingere nequeo, quæ per omnia regna, ducatus, provincias hinc inde celebrantur, ſcholas nobiliſſimas. Quanquam, ne ejusmodi felicitas ſolis ex ſcholarum cultu Chriſtianis obtingeret, ſua habere Turcæ etiam Gymnaſia, ſuas fovere ſcholas dicuntur, in quibus ſuos Taurimannos, & quos officiis præficiunt publicis, erudiri curant. Imò de Chinarum Regno refertur, quod ſingulæ propemodum civitates, ſingulas ibi Athenas repræſentent, ô ut Alexander de Valignano in Una illa; ſed latiſſimè patente Cantonis provincia, ſexagies mille Academias inveniri aſſerere non vereatur. Sed ad quos populos? ad quæ populorum inſtituta divagatur oratio? Aurem mihi vellicat ſchola iſta Babylonica, ſcholæ Babylonicæ gloria, quæ,

ut à tanto Rege ortum suum habuit; Ita curâ ejus providâ, curâ feliciter sedulâ, ad prudentiæ amussim, disposita fuit optimè. Caput enim Reipublicæ istius literariæ & Gymnasiarcham constituit, non è plebe hominem, nullius genii ingeniique; sed illustrem gravitate & auctoritate Virum, Aspenazem, Nobilium & Aulicorum regiorum Principem, qualis quidem secutis posterioribus Magister Palatii, apud principes Romanos dicebatur, eò quod Aulicis præesse, sua singulis officia distribuere, & totius aulæ curam habere soleret. Tanto viro, tanto regiarum rerum curatori, tantis splendido decoribus curam decusque sui concredidit Gymnasii Rex maximus & vicarium in illud dedit imperium, probè nimirum intelligens, QUANTUM interfit, ut magnis & præclaris ejusmodi officiis magni & præclari Viri præficiantur, cum rerum gerendarum telum maximum sit autoritas. Hæc sanè si ex voto valeat, omnia quæ dirigenda sunt, valere quoque & vigere poterunt. Quanta verò hujus apud Danielem Gymnasiarchæ, quàm varia commendatio? modò directionis sedulitatem Vir Dei laudat; modò humanitati in augusta dignitate aulicæ erga studiosos rarissimæ, dignum statuit encomium; modò fidem in omnia effert laudatissimam, quasi exemplar exhibiturus Viri ejusmodi, cujus præsidio consilioque Musæ commodissimè fruticescant: Constituto autem tam insigni Gymnasii directore, soliciti quoque fuit

Rex prudentissimus, quas plantas in novum illum Parnassum, quos in suum Gymnasium Juvenes transferret? quibus eos imbui curaret artibus? sed hanc quoque curam commisit Gymnasiarchæ suo Aspenazi, mandans ei, ut introduceret de Filiis Israël & de semine Regio pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma & eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ, qui possent aliquando stare in Palatio Regis, ut doceret eos literas & linguam Chaldæorum, quod his ipsis verbis Juvenis tum temporis, ex istorum ordine præcipuus, Propheta Daniel nobis aperit. Quis inde non cognoscit manifestò, NECESSARIAM prorsus esse Juvenum ad studia selectionem, ne promiscuum ingeniorum vulgus admittatur? Sicut Phidias non ex quovis ligno sculpere potuit Mercurium: Ita adhuc, quanta quanta etiam Præceptorum sit industria, omnes doctos, omnes eruditos reddere nequit. Quot enim sunt, qui liberalium, ut vocant, artium solidè participes fieri possunt, aut volunt? licet neque necessarium adeò sit, ut omnes Doctorum & Magistrorum titulis gaudeant, ut omnes literarii honoris arcem ascendant. Esse quoque debent plurimi, qui sub Mercurii militent vexillo, qui commercia exerceant, opes colligant, & ita pro virili sua juvent Rempublicam. NULLA enim civitas sine mercatura commodè subsistere; quid? ne subsistere quidem potest. Esse etiam non pauciores debent, qui artes tractant

sellularias, cum non solùm necessariæ sint, ad Civitatis cultum; verum decus etiam & ornamentum ei afferant maximum. FRUSTRAneus certè est omnis Præceptorum labor, si Juvenum ingenia non ponderentur priùs & examinentur, quibus nempe dotibus naturâ valeant: quinam ab ipso Deo ad doctrinam facti sint. Stupidos erudire idem est, quod Isthmum perfodere, asinosque sub frenum cogere velle. Et quam quæso tales provinciam in Republica feliciter administrare poterunt, in quibus sapientia & prudentia, ob defectum indolis, firmas agere radices nequeunt? Si inepto nauclero navis concredatur, certò perit naufragio: si imperitis regendi potestas tribuatur, pereunt, quæ regenda sunt omnia. Neque tamen propterea non nisi generoso & illustri stemmate nati, cum Nabuchodonosore debent, eligi quasi illis tantùm singularis ingenii vis insit. Quanquam enim fortes creantur fortibus & bonis, ut Lyricæ festivitatis antesignanus canit: Est in Juvenis, est in equis Patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam: quanquam verisimile quoque sit, meliora ex nobilium fœtu, quam vulgarium, oriri ingenia: tamen, si dicendum, quod reseſt, plurimi Heroum filii noxæ, hoc est, perditi & majoribus suis indigni evadunt. VIRTUS enim parentum non est hereditaria: dari liberis cum sanguine non potest: hinc non minùs politè, quàm verè ex septem sapientibus Solon: pulcrius multò, parari quàm creari

creari nobilem. Satis ergo ad delectum illum instituendum est, si honestis nati parentibus, & legitimo sati thalamo, studiis admoveantur, ne honoratissimo eruditorum ordini maculæ quid inuratur: & hujus commatis adolescentes verum decus, quod, illustris splendore generis, ex majorum gloriâ non obtinent, virtute sapientiaque sua facilè sibi comparant. Quid autem causæ est, quod pulcros eligi Juvenes Rex voluit? nisi prorsus fallor, CORPUS elegans, & gravibus carens vitiis, boni felicisque ingenii indicium esse statuit, ut, quoties se decora species offert, simul etiam aliquam sub ea Virtutis imaginem latere, colligere liceat. Hinc DECENS corporis dispositio liberalis ingenii argumentum semper fuit sapientibus, Græcique olim nonnisi pulcrâ formâ spectabiles, ad Philosophiæ studium admiserunt. Nimirum, sicut sub auroræ adventu fulgor quidem tremulus, in montium cacuminibus, ludit, venturum jam solem prænuntians: ita formæ venustas, veræ pulcritudinis in anima emicantis, indicium est, ut non sine causâ Sophistæ Indi, in ipsa statim infantia, puerorum discrimen feciſſe dicantur, ut, quos membris elegantioribus, bonaque corporis staturâ vidêrunt, vocarent ad studia; quos autem corpore deformi animadverterunt, ad alia vitæ genera dimitterent. Sed non subsistit in corpore solicitudo regia: nec debet etiam, cum SUB pulcra quoque pomi specie latere vermis soleat; ad animum perrexit, & admitti

in

in Gymnasium suum voluit nonnisi Juvenes, qui, aliquâ jam rerum notitia præditi, prima eruditionis fundamenta jecissent. Quo enim cum fructu admitterentur, qui, destituti eruditionis fundamento, aut imaginaria tantùm eruditione turgidi provolarent ad altiora cum labore? FRUSTANEA utiq; industria est docentium: Lectiones non plus apud eos, quàm apud sordos fabulæ, valent, & sicut semen, quod inculto agro inseritur, nunquam ex voto surgit; quid dicam maturescit, aut in spicas exit? ita frustrà solidæ doctrinæ spanguntur semina, inculto prorsus ingenii agro, neque messis exinde exspectari ulla potest. Quam prudenter autem Rex noster, præter studiorum cultum, morum etiam, in Gymnasiastis suis, profectus observari voluit? Is enim demum proficit, qui in moribus proficit: is contra multùm deficit, qui in moribus deficit. Animam dant studiosis boni mores; turpes adimunt, cœnoque pejus hominem devenustant. Etsi, dum de moribus discentium Juvenum apud Virum Dei sermo est, non eos solùm intelligat, qui externis membris, manibus nimirum, pedibusque & venusto corporis habitu ostenduntur, quasi isti solùm, maximè sectandi sint; sectandi sint; sed ejus modi respicit præcipuè, quibus singulare decus accedit animo nostro, quos vitæ ratio, loci & personæ conditio, in civili conversatione, poscit, & ita poscit, ut quisque suum cuique tribuere, superiori reverentiam & obedientiam: æqua-

quali consilium & auxilium: Inferiori custodiam & disciplinam præstare laboret. O felix illud Gymnasium, quod tales alit Juvenes! veros & genuinos Palladis pullos alit. Tales tu aluisti olim, in tuo Palladio: tales tu solum, ô Nabuchodonosar, ali voluisti, optimos ingenio, forma elegantissimos, moribus ornatissimos, ut decus Gymnasii tui curares, ut bonum promoveres publicum, ut omnia feliciter expedires. Quàm concinnus autem tractandarum rerum ordo, in Gymnasio isto Babylonico, deprehenditur? Lingua Chaldæorum, artesque & disciplinæ aliæ, ibi sunt propositæ. Prudenter utique & commodè! In Gymnasiis enim meritò proponi debent linguæ, ad doctrinæ melioris cultum necessariæ: & istæ quidem velut arculæ sunt, quibus res quæcunque insigniores reconduntur. Ut enim de præcipuis nonnihil dicam, quid linguâ sanctâ, linguarum aliarum quasi genetrice, gravius? quid Juventuti est utilius, quæ latentem Prophetarum genium intelligere, scripturam solidè explicare, illam, contra adversariorum strophas, defendere, constanter nititur? Quid Græcâ salutarius? quid præstantius? nonne illâ quoque salutis nostræ thesaurus absconditur? NON tam firmis Religio Christiana contra Hæreticorum insultus defenderetur machinis, nisi ex ipso fonte Græco peterentur. Sanè, si dicendum ℞ res est, isthæc lingua aliarum artium liberalium altrix omni tempore & vindex exstitit; omnium ferè scientiarum e-

le-

lementa, ex Græcis autoribus, hausta sunt. Quid afferam & efferam communem illum gentium Mercurium, latinam linguam? quid in illius laudes hic digrediar? Nemo unquam de illius cura, in Gymnasiis suscipienda, dubitat: nemo non disciplinas quoq; juxta eam, varias discendas docendasque ibi esse fatetur. Ita certè Rex Nabuchodonosor fieri voluit: idem cum eo boni & intelligentes omnes, ut floreat in sacris istis sacra facultas Theologica, per quam ad Cœlum ascendant Juvenes idonei, & ibi contemplentur Deum, in primis autem vitam secundùm institutâ divina instituere, religionem Christianam intelligere discant gnaviter. Profectò, VBI hæc omnium disciplinarum domina, hæc virtutum Parens, vitiorum expultrix, hæc liberatrix animorum negligitur, exiguo, ne dicam nullo, commodo, in quibuscunque aliis opera nostra collocatur. Floreat in sacris istis præsidium & lumen societatis humanæ, Jurisprudentia, ut ex ea Juvenes negotiis civilibus adhibendi, omnium virtutum dominam Justitiam cognoscere discant & venerari, veluti unicum Reipublicæ columen, cui tota salutis publicæ moles innititur, cum omnia, procul dubio, perire necessum sit, ubi cultus ejus susque deque habetur. Nec minori cum utilitate florebit in his sacris Facultas Philosophica, &, cum ministris suis, sobriè proponetur; Si bonæ meritis Cynosura, Logica, universæ literaturæ facem præferat, quæ tum demum commodè vigere

gere poterit, si ducem illam rationis, tanquam filum Ariadnes, in Labyrintho variarum rerum inextricabili, sequatur. Quid multa dicam de præstantissimâ dicendi Magistra Rhetorica? quid explicem, quam utilis tractatio illius & necessaria sit, ut tota quoque literatura inerudita loquacitas, mera infantia, mera balbuties sine ea nominetur? Id quod Sanior nobis antiquitas ante oculos statuere voluit, dum Mercurium, Minervamque conjungendos esse statuit. Quid multa de nobilissima disciplinâ, Physica, afferam, quæ Juvenes sese ipsos edocet cognoscere? quid de necessario ubique Morum studio, unde nobilem omnium Virtutum vim & naturam, & quid privatos, quid publicô fungentes officiô præstare deceat, cognoscimus? maximarum certè utilitatum prolixitas dilataque ista uberius vetat. Vos ipsi A. sagaciori mentis æstimatione facilè hinc colligitis, si tot salutares disciplinarum & artium succi, ab industriis animorum curatoribus, capacibus Juvenum animis instillentur, annon felicissimi Ecclesiæ Christianæ Promotores, acres religionis veræ defensores, sancti verbi divini prædicatores. annon salutares Reipublicæ tutores Justitiæ executores, publicæ tranquillitatis fautores ex Gymnasiis sint prodituri? Et tales quondam prodierunt ex illustri isto Gymnasio Babylonico, in quo fidelissimè, utilibus ejusmodi artibus, initiabantur studiosi, ut & ipse Rex profectûs illorum admiraretur. Tales adhuc ex Gymnasiis prodi-

prodire posse, nemo ambigat, in quibus ista omnia tractantur & tractantur ut oportet, solidè quæ tractanda sunt. Omnium enim, in patentissimo studiorum stadio versantium, phrenoschema sit, & Magni quondam Imperatoris Romani, Veri, fuit: NIHIL OCITER! Quo quidè admonere omnes voluit, ut omnia, singulari cũ attentione animi, quæ agunt, peragant, si modò laudem inde, si æterni nominis memoriam obtinere desiderent. O si modò verum illud Veri Symbolum, in scholis, in Gymnasiis, & docentium & discentium applausum mereretur! Utrinque enim sedula in studiis cura opus est. SICUT parum amica, dissonantibus fidibus, exsistit Musica: ita, si diligentia præceptorum & discipulorum non consonat, quid laudis & doctrinæ ex laboribus reportatur? Quemadmodum, si neque gubernator clavum, ut decebat, moderatur, neque nautæ cæteri intendunt vires, temposque impellunt, cessim tendit navigatio, & aquarum ventorumque impetu navis rapitur: HAUD aliter, si tempus inutiliter elabi docentes patiuntur, si vires suas quoque remittunt auditores, nullo cum fructu conjuncta est institutio, & nihil minus, quàm quod laudatissimis Collegiorum patronis in votis est, hoc modo obtinetur. Cui malo ut medelam afferret aliquam Rex Magnus, Nabuchodonosor, finito triennii spatio, examen institui jussit, ut & discentium, & docentium expiscaretur industriã, &, quos fecerint profectus: utrum temporis ratio-

nem habuerint, nec ne, cognosceret. FUGAX enim labileque esse noverat, cum, sicut in fluvio unda undam: sic tempus tempus, dies diem pellat, & ut nemo ex currente flumine amplius quicquam habere potest, quàm quod hauriit: sic ex animis, semper labentibus, semper euntibus, nihil homo percipit, quàm quod in illis colligit. Ut ergo certior Rex esset, de adhibita utrinque diligentia, Juvenes studiosos ab Aspenaze, cujus fidei commissi erant, in suum conspectum introducì curavit, ut ipsimet temporis & diligentiæ rationem redderent. Et reddiderunt etiam feliciter, reddiderunt laudabiliter, ut veros studiosos hactenus fuisse, qui hoc nomine celebrantur meridiano sole clarius, toti Regno, innotesceret. O te felicẽ Regem, Rex Sapientissime, qui ipse judicium, de tuorum alumnorum profectibus, ferre potuisti! O felicem Regionem, quæ te Patrem & Curatorem habuit! non potest, quin egregiè crescat, floreat, vigeat Respublica, cui tam insigni laude spectabiles Viri præsunt & prosunt. Agnovit id divinus Plato, TUNC florere, dicens, Rempublicam, quando Philosophus regit, & Rex philosophatur. Quæ verba & Antoninus Imperator in ore frequenter habens, inde nomine Philosophi deprædicatus est. Nimirum, ut cum Scriptore Sacro loquar, CUM Potentes sapiunt, florent urbes: ubi Magistratus prudens, ibi omnia suo procedunt ordine. Quid enim, Auditores? ANNON graviter periclitatur Respu-

blica, omniaq; in discrimen veniunt ultimum, si insipido cuipiam habenæ ejus committuntur. Unde magna prorsus eruditionis est in Magistratu gloria : magna, ut ut ipse possit regere magna ut possit alios, suo rectúros auspicio, constituere &, quid distent æra lupinis, accuratius discernere. Quam facilè alioquin se indigni obtrudent? fumum & fucum Regi facient? ut verum evadat illud Antisthenis : PEREUNT Civitates, cum boni à malis discerni à Rectoribus nequeunt. Utrumque illud bonum in Nabuchodonosore elucet, qui majestatem Imperatoriam non tantùm armis instruendam ; sed & legibus literisque ornandam esse, probè noverat. Ut ergo tales quoque essent, quos officiis posthac regiis præficeret, ipse inquirebat in eorum studia, ipse examini, solenniter in Regia instituendo, præsidebat. Qui autem ad hoc scamma vocabantur? nobiles illi, & Regio sati sanguine Juvenes, qui nec erubescebant, aut probrosum sibi ducebant, publicè profectuum suorum rationem Regi & Proceribus ejusdem reddere. FORAS enim fertur, & innotescere Virtus gaudet: abscondi non vult. In tenebris muginentur, qui sectantur tenebrarum opera; lux honestatis undique promicat, præsertim in ejusmodi Juvenibus, qui se tum demum veros esse Nobiles cogitant, si Virtute & sapientia nobilitentur, cum non tam sanguine, quàm Virtute niti deceat. Maximum sanè illi Juvenes Virtutis decus habuerunt, quoniam virtute doctri-

na-

naque ornari voluerunt: quid mirum, quod hoc ipsum monstrant publicè? quod se Regio offerunt examini? Certè, UT luce solis lumen lucernæ; sic aliarum rerum æstimatio manifesto virtutis splendore obscuratur. Quanta verò, bone DEUS! ejusmodi profectuum investigatio, in scholis, affert commoda? ibi ad majorem Præceptores impelluntur diligentiam, cum quilibet in eo, de quo ratio reddenda est, majorem semper curam adhibeat : hîc Juvenes, alacriori ubique ardore, ad studia feruntur, ingenia felicius expoliunt, mutuis æmutationibus acuunt, ut victus victorem, & victor antea laboret victum vincere. NEC velocius feliciusque in studiis progrediuntur, studiosi, quàm si alter alteri ingenio cedere nolit, si quis semper studiorum æmulum habeat. Certandum enim est in hac musarum Palæstra, & discendi mala, si quæ mala fortè sunt : (nec enim talia statim sunt, quæ molliculis & otiosis fucis talia videntur:) sed si quæ tamen mala sunt, tolerare necessum est, si quis fructum, bonum nempe eruditionis optatissimum, sperat. Fugiens molam, fugit farinam: Labore virtus, virtute honor comparatur & promotio, quæ longè optatissima studiosis Babylonicis obtigit. Quem ordinem ut Veteres Romani, quàm pulcerrimè, indicarent, & vivâ quasi imagine oculis omnium subjicerent, duo exstruxerunt templa, quorum alterum Virtuti; alterum Honori consecrârunt: neque ad sacram honoris ædem aditus, nisi per virtutis ædem, ul-

li patuit. QUI enim unquam, ad arduum & sublimem gloriæ montem, rectô possunt pervenire gradu, nisi superatis virtutum collibus? Hosilli Juvenes, in Babylonico Gymnasio, studio indefesso superaverant: his superatis, præ cæteris, ad honoris ædem strenuè perrexerant. Et vobis hic, Commilitones suavissimi, (ad vos enim mea se convertit oratio.) Vobis etiam patebit aditus! & vos quoque fructum doctrinæ sentietis jucundissimum, si studiorum curas & molestias, cum studiosis Babylonicis, prius promptè sustinueritis! Videtur quidem vobis labor & voluptas infinitis distare spatiis; & societate tamen quâdam naturali inter se sunt conjunctissima. Memorabile est, quod de moly herba homerica, referunt, radicem videlicet ejus esse nigram; florem verò lacteum. Quæ figmento, quid demum aliud significatum fuit, quam optimarum rerum principia plerumque difficillima & ingrata esse; sed ex iis læta tandem & optata omnia consurgere? Aspicite fortissimos Martis pullos! quid illos, generosa & strenua adversus hostes manu pugnare? quid vulnera & ictûs corpore excipere? quid vitam ipsam intrepidè morti exponere, impellit? Futuræ victoriæ spes unica, IN QUAM pertinax gloriæ sus animus, præcipuam virtutis, partem credit, malis & periculis non delassari. Et hæc ipsa nos ad studia impellat, acriterque moveat! Excitet nos studiosorum Babylonicorum Juvenum, post exantlatam studiorum operam honoratissima

sima promotio, qua per universum orbem floruerunt. Cogitemus, Musas in sublimi sedere cacumine: neminem, nisi laborando & vigilando, ad illas pervenire posse. Ut verò & nos hoc in loco promtiorem eò viam haberemus, à Magnifico Amplissimoque hujus Metropolis Senatu, in ea ipsa, hoc GYMNASIUM, hoc artium omnium & disciplinarum gazophylacium nobilissimum, maximis, annos abhinc XXII. Sumptibus exstructum dieque XVIII. Mensis Aprilis, legibus solenniter, in frequentissima Panegyri, promulgatis, sanctioribus Musis sacratum est. O institutum summis efferendum laudibus! institutum Patriæ nostræ Patrum regium & egregium! Quid enim est, quod in Gymnasio illo Regio celebras, quod in nostro hic (quod pace Fascini dictum sit,) non occurrat? Gloria utriusque gloria maxima! Respicite fundatorem! Post DEUM, Magnificus & Nobilissimus noster Senatus est, cujus quidem voluntati, prono animi assensu, utrumque Civitatis Regiæ collegium accessit, rectâ Judicii lance trutinans, quantum, ex hoc pio & divino instituto, non tantummodò in Juventutem; verùm etiam in totam hanc Rempublicam emolumenti possit derivari. Extemplò placuit hoc toti Civitati, omnes maximo plausu incomparabilem Senatus fidem, in concreditam sibi Rempublicam, extulerunt ad cœlum, quod Regiæ Rigæ gloriam, quam ex mercatura obtinet maximam, ampliori etiam literarum gloriâ ornare

studeret. Respice illius Curatores! Magnificos Gymnasiarchas intelligo, quos ex primariis ordinis Senatorii constituerunt, curamque illis & inspectionem hujus Athenæi commiserunt. Et primi quidem ad hunc laborem vocati sunt, Magni illi quondam, & illustres hujus Civitatis proceres, DN. THOMAS RAMUS: D. JOH. ULRICUS, D. NICOLAUS BARNEKEN, D. ANDREAS KOJEN, nostris quidem usibus, non venerationi tamem publicæ, quæ sempiterna etit, subducti, qui ut laudatissimo, in hoc & aliis officiis, studio versati sunt, Ita immortalem iude nominis sui gloriam, ingrata omnium memoria, comparârunt. Respicite Gymnasiastas primos! non promiscuum aliquod vulgus; sed selecti Juvenes, ætate & doctrinâ maturi Juvenes, ex triviali schola in Gymnasium translati sunt, ut laxiùs ibi lætiùsque ad salutis patriæ bonum crescerent, quod institutum hodieque obsevari, nemini ignotum est. Nimirum, sicuti novellas stirpes hortulani, è natali solo in aliud, ut melius crescant, transferre solent: Ita & alumnos scholæ, in hoc atrium Musarum, ut uberioris ibi virtutis & doctrinæ incrementa sumant. Quantus statim hic concursus peregrinorum fuit, quibus præsertim truculenta Martis invidia, quæ tum in Germaniam sæviebat, Musas ibi sequi denegabat? Illi verò sedem studiorũ optatissimam hoc præbuit Gymnasium, Civitas eos excepit & nutrivit omnibus, modò idoneum literis afferrent animum,

mum, omnibus tutissimum studiorum perfugium, felix sapientiæ literariæ asylum patuit. Respice, quæ innibi tractari possunt, studia! quæ linguæ sunt? quæ artes? quæ disciplinæ, quarum fundamenta hic ponere non liceat? quibus quidem feliciter docendis, ad Professorias functiones, Viri virtutum, meritorum, eruditionis gloriâ excellentissimi tum vocati sunt. qui tamen omnes jam ad beatas angelorum sedes vocati sunt. Eminuit inter illos Vir æternâ memoriâ dignissimus, Vir famâ super æthera notus, HERMANNUS SAMSONIUS, lucidissimum illud Theologici cœli sidus, qui, in tanto licet negotiorum, ex tot gravissimis officiis, concursu, summâ tamen diligentiâ disciplinam Theologicam aliquotics pertractavit, paternoque animo Gymnasii hujus Juvenes, non minùs in vera Religione, quàm solida & sana eruditione informavit, ut instructa velut acie, adversus hæreticorum phalanges, omni armaturæ genere, hostiliter insurgentes, fortiter pugnare possent. Eminuit inter illos Nobilissimus & celeberrimus ille Medicus, JOHANNES HÖVELIUS, & non ita pridem eminuit, Phœnix nominis celebritate: sed qui Phœnicis vitam non attigit. Quanta ille jucunditate, quantâ facundiâ, quantâ amabilitate naturalis scientiæ, virtututumque dogmata cereis impresserit Juvenum mentibus, nemo Auditorum ejus unquam oblivisetur. Eminuit inter illos, nobile Philosophorum decus, JOHANNES

STROBORGIUS, qui, ut animum omnigenâ eruditione instruxerat : Ita summo studio, concreditos suæ fidei Juvenes, ad Philosophiæ sacra deducebat, ut, variis instructi munimentis, fortiter adversus ignorantiam & ruditatem seculi, armarentur. Quid juvat hic, in successorum laudes digredi, &, quàm feliciter antecessorum presserint, & adhuc premant, vestigia, depredicare ? Præsentium certè pudorem onerare nimis temerarium. Satis est, eorum merita agnoscere, satis est, pro ipsorum incolumitate, & ut diu nobis præsint ac prosint, Deum rogare ! His verò doctoribus, A. his ductoribus, quàm optato hactenus successu Juvenes non prorsus degeneres, doctrinam artesque propositas, per mutuæ industriæ canales, in se derivârunt ; quàm frequenter progressus suos declamationibus disputationibusque publicis ostenderunt ? His enim modis mediisque Munificentissimi Palladii sui Patroni, in profectus Juventutis inquirere possunt, &, quibus demum ingeniis plus minusve tribuendum, sagaciter explorare. Divinæ gratiæ hoc munus est, quod viri inde plurimi, clarissimique, paucos intra annos, quibus viguit, prodierint. Testeserunt varii Europæ orbis Academiæ ! Undecim ex illis celeberrimæ uno, ante biennium, &, quod excedit tempore, Rigenses Gymnasiastas, cum insigni hujus Civitatis gloria, alebant, amabant, ornabant. Quatuor & decem modò possem nominare, in quibus nunc egregii hujus Gymnasii quondam alu-

alumni, egregiam studiis operam navant. Quot verò ex illis ipsis, ad officia varia, vocati jam & promoti sunt ? Testetur Germania ! loquatur Curonia & Livonia ! inprimis hæc ipsa Metropolis Riga. Nonne aliquot Ecclesiæ nostræ doctores, Religionis Christianæ assertores, hoc Gymnasium suppeditavit ? Nonne insignes Patriæ Patres, qui justitiam in ea conservant, Rempublicam tuentur, bona promovent, ex hoc ipso Minervio prodierunt ? Nonne Gymnasium ipsum, suos quondam alumnos, jam Professores celebrat ? Nos fructus, has utilitates, hæc emolumenta, per divinam benedictionem, haurimus, capimus, sentimus ! Salvum ergo sit Gymnasium Rigense ! salvi sint Magnifici munificique ejus curatores, sospitatores, fautores ! vigeant scholæ, floreant Musæ ! non audiatur vox Julianiarcadica : claudantur scholæ, premantur docti ; doctrinæ potius, cum ipsis, cultus semper vigeat ! semper vireat ! Quid autem nos, ô amantissima commilitonum Corona ? quid tantis Musarum benefactoribus nostris, pro tot beneficiis, ex Gymnasio in nos profectis, reddhostimenti loco offeremus ? Majora sunt omnia, quam quæ satis agnoscere, quid dicam dignè prædicare ? possimus. Una nobis gratiarum actio supereſt, supereſt devota oratio, quam ad Te ferimus supplices, sempiterne DEVS, cujus tanta hactenus in Regiam hanc Metropolim benignitas fuit, ut variò rerum omnium successu undique efflorescerer, ut felicem chori, fori,

tori vigorem salvum, sub tot fluctibus, retineret. Nos devoto animo, ad Misericordiæ tuæ thronum, procumbimus, humiliter orantes. Conserva & protege Cymbam Ecclesiæ tuæ, quæ variis adversitatum ventis agitatur: asserе dilectam tuam, contra omnium hæresium impetûs, & Tyrannorum furores, veramque religionem, in hac etiam Metropoli, sartam tectamque asserе. Conserva & protege Magnificum & Nobilissimum Regiæ hujus Metropolis Senatum, vitam illi & felicitatem, gloriam & dignitatem, contra seculi hujus morsus, contra hominum invidiam, largire, ut felicissimè præesse & prodesse Patriæ, ut secunda omnium in ea statuum fata optatissimè tueri valeant. Tu quoque benigne JDEUS, sospita, fortuna & fœcunda, cum Ecclesia scholaque, isthoc bonis artibus & virtuti dicatum Gymnasium, ut ex illo tanquam ex equo Trojano, posthac etiam adolescentes, veræ religionis laude, omniumque virtutis honestamento condecorati, in Ecclesiæ commodum in Reipublicæ usum, prospero successu, proveniant. Vos etiam, ô Patres Patriæ optatissimi, vos Mœcenates Musarum gratiosissimi, porrô spargite amoris & liberalitatis vestræ radios in has Musas vestras, ut feliciùs subinde, cum alumnis suis, crescant. Vobis enim illorum leges aratur, vobis illorum fructus seritur, vobis laborisatque industriæ omnis messis paratur. Sic Vobis, sic Nobis omnibus summus ex alto Jehova benedicat!

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

GERMANI FORTITER BIBANT, NE EORUM ANIMA IN SICCO HABITET.

Hoc magisterium papalis providentia: hoc sive consilium ejus, sive præceptum est! aureolas, si Diis placet, Iurù sui glossas, tantâ gemmâ, illustriores reddidit. Ad Normannos quidem, Anglicosq; & Polonos, sacra verba diriguntur: horum animabus tã paternè patrum Pater, dum minimè prospicit, prospicit, ne forsitan, ut pereãt, in sicco pereant. Quæ verò tã infelix est invidia, Germanos omisisse? nullos ipsis fortiter bibendi subjecisse stimulos? sub mortifero sitis æstu torridas neglexisse animas? Fortassis sponte suâ jam currentes incitare noluit, aut strenuum bibacitatis ardorem ampliùs incendere. Imò, haud neglexit oves istas pastor œcumenicus: haud omisit Dominus Deus noster Papa, quem titulum Canonicus glossator dicam, an adulator? eructat. Vti Normannorum appellatione viros septentrionales alios: sic & Germanos comprehendit. Neque enim palmam hisce reddet dubiam, quam fortiter bibendô aliis, tot abhinc secula, præripuerunt. Citetur modò testis minimè hic tacitus, Tacitus! quam crebrò & nervosè gloriam

riam bibacitatis in noſtris notat majoribus? Nec enim tantis eos convitiorum plauſtris obterit, ut herè nudiusq; tertius nati Theones quidam; ſimpliciter, in tot aliis virtutibus, potandi ſtudium miratur, meritoq; illos interim encomio mactans; Nulli mortalium, inquit, armis aut fide ſupra Germanos! Quid verò, ſi bibacitatem addidiſſet? Tum fortè gratum hic palato ſuo bolum inveniſſent Germano maſtiges, graviori in eos impetu ruituri, quaſi ſoli peccatores eſſent. Sed hem vos ſerpentes Epidaurios ex Gallia? inde enim mordaciſſima dicteria jactantur; inde graviorum quoque vitiorum mendaciſſimè arguuntur viri optimi. Quis credat, nonnullorum quoque aſperiorem pronunciationem pueriliter traduci, quod, per Theum fiſum ponum ſe finum pibere, inter pocula, dicant? Sit ita? quæ vos autem Temperantia progenuit? quæ tam ſiccæ educavit ſobrietas? Non videtis, manticæ quod in tergo eſt: nec monſtrare lubet impræſentiarum, aut tela vertere in ejusdem notæ reos. Ecquod verò tam horrendi carminis argumentum eſt? Germani fortiter bibunt! Bonum factum! Quid ſi clypeum Canonici juris obverterent? ſi gloriam obſequii? curam animæ? Omnes in bibacitatem detonant; de ſiti interim graviſſima vix ullum verbum. Sitis ſitis hoſtis ille eſt, in quem tot poculis pugnandum maſcule: ſitis eſt infeſtus ignis, qui, tam largis vini ceresiisq; imbribus, dum compeſcendus, compeſcendus eſt. Sed unde hoſtis ignis in Germanis gravior? haut dubie ex calidiore oritur temperamento, quod ipſum ſolo Germanorum patrio natales ſuos debet. Certè, quo ſeptentrionem tangunt propius, eò robuſtiores

ſtiores ſunt, & avidiores potûs: internus calor incrementum ſumit ab externo frigore: hoſtis hoſtem acuit. Num verò, qui peccare in ſeipſos nolunt, tantum peccant? Sive potûs, ſive cibi moderatio ex ſumentium nàtura æſtimatur: hujus ductu, ſi quis, cum Milone Crotoniate, vitulum quoque unâ vice comedat, ſi vini congios exſiccet aliquot, frugalis tamen erit, ſobrius erit: edit enim, ad naturæ ſuæ modum, atque bibit: bibit fortiter, ne in ſicco habitet anima. Plus juſtò videatur illud alius: quid mirum? alii cum ſint, aliâ quoque ipſis lege & vivendum, & bibendum eſt. Quanquam ne bibendum quidem ipſis aut vivendum lege aliâ, tametſi altiùs, quam Germanorum veterum. Legem illi hoſpitalitatis obſervârunt, largiterq; alios excipientes, ſeipſos quoq; flore Patris Liberi conſperſerunt largiter. Sic enim amat fieri: poculum aliud, aliud trudit, dum hilaritas hilaritatem provocat: hoſpes hoſpitem benignè curat, & ſeipſum, caritas hæc ordinata eſt. ſic incipit, ſic deſinit, ſic perficit! Vix auſim dicere, quod Seneca: ſed quantus, & quam rigidus exactor morum? non dicit modo, ſed pro tranquillanda mente, docet: Nonnunquam, inquiens, ad ebrietatem usque veniendum eſt, non ut mergat nos; ſed ut deprimat. eluit enim curas, & ab imo animum movet, & ut morbis quibuſdam: ita triſtitiæ medetur. Eat nunc Heraclitus, & ſiccam ſemper animam prædicet! ipſe procul dubio pumice habuit ſiccioremm, cum omnem corporis liquorem exſtillarit lacrumis. Eat modo, & ſuam quoq; floret animam in ſicco perditam! Nos Senecam exoſculamur, nobilemq; ex Stoa medicum. Ebrietatem puta, cujus vires ſatis vere &

rè & sincerè prædicat. Quid enim? annon deprimit quandoq; viros, ut antipodes, etiam eodem locò, fiat? annon animum & omnia ab imo movet? Sed, cum medicum hîc audis, rarum utiq; illius usum esse oportere intelligis. MEDICVM, modicum est! omne nimium in vitium vertitur. Fuerint jam olim, qui dies noctesq; continuârunt potandò, apud majores nostros: historico enim credimus: quis tam esset sui prodigus, qui, laudandò eos, aut saltem excusandò, fatigetur? Vndiq; adhuc ejusmodi methysocottabos inveniās, ne solitam infami nomine Germani traducātur. Hîc, ibi, isthîc, illîc infunduntur, perfunduntur cōfunduntur, effunduntur Bitiæ, & nō tam potiones instituunt, quam balnea. Morò prorsus more! quasi vina cerevisiaq; nequeant effundi, quam per corpus talium balneatorum, & quiplus subindè capiunt, quamdiu capiunt, quam vires cupiunt. Quam verò ista gloria in gloria est! quam turpe dedecus hoc potatorum decus! Insanum certè hunc ipsorum impetum. Furor, Morbus, Insania, tres comitari furiæ assolent, ut nihil non designent heluones improbi. Neque bibunt enim fortiter, ut animam in sicco habitantem vegetent; sed triste sibi parant diluvium, quò meriò penitùs, & bene madidi Plutonis aulam petere possint. Sed quò feror? num in laudes Germanorum, an in vituperia? Vtrumvis, Lector, elige: utrumvis innuo. Inprimis autem demirare mecum, quod strenuis bibendi officinis augustalo Prudentiæ consultative olim erexerint. Refert illud magnus scriptor Tacitus; sed ita refert, ut, probāritne mirum sit, institutum, nec ne, non satis liqueat. Commovit illum

duos ex nostris, Geniò & Genere Nobiles Iuvenes, JOH. STRVBORGIVM & THEODORVM à Tieffenbrock/ut, discussis utriusq; momentis potioribus, eruditas inde Orationes conficerent, d. 24. Maij ex memoria, cum Deo, reddendas. Quod quidem ipsum, ut majori animorum præsent robore, ut ad majora semper inde excitentur, Vestram denuò benignitatem imploramus, Lectores omnium ordinum, dignitatum, titulorum honoratissimi: nolite nobis eam denegare notatò tempore; sed spectabili præsentiâ majorum Vestrorum Consultationes sympositiacas honorate. Ipsi postea, num propugnari fortius, an oppugnari possint, melius vobiscum decernetis: nos vicissim nostra Vobis, quantulacunq; fuerint, studia promittimus promtissima. Ex Museo meo, d. 18. Maij, Anno 1653.

CONSULTATIONES INTER POCVLA.

ORATIO.

CVm plurima ubivis gentium deprædicentur rerumpublicarum munimenta, quorum usu prosper omnium actionum successus conservatur: tum CONSVLTATIO inprimis admodum est necessaria, ut nobilissima salu-

tis

lutis publicæ dignitas sarta tecta maneat. Nullam siquidem rempublicam florentem diu exstitisse, sine gravibus consiliis, nemini obscurum est. Non enim armis solum armorumque viribus Imperiorum salus nititur: imò providorum gravissimorum consilia sunt, quæ, inter cætera boni publici provehendi media, locum obtinent præcipuum. Quam ob causam Agamemnon, Trojam occupaturus, non decem Ajaces sibi atque Achilles; sed decem optavit Nestores: his siquidem se faciliori negotio urbe, omnium propugnaculorum munimentis firmatissimâ, potiturum statuebat. O felicem rerum agendarum cursum, qui prudentum consultatione regitur! OCVLI sanè plus vident, quam oculus: totam consiliorum vim in negotiis præsertim arduis, unus nequit sustinere commodè, plures onera consiliaque, etiam graviora, leviora reddunt. Et quæ demum est mens, licet ferrea, in difficillima reipub. administratione, sola tantis laboribus par esset futura? Imò neminem adeo, vel in rebus suis, esse perspicacem constat, ut non quandoque lippiat atque cæcutiat: mutua sententiarum communicatio, si quid agendum est, ante oculos illud dilucidius statuit. QVANTA verò & qualia surgunt reipublicæ detrimenta, ubi temeritas & præcipitantia, consiliorum optimorum hostes infensissimæ, locum occupant? temere ibi adeuntur discrimina: præsentia prudenter non expenduntur; temerario animi impetu sur-

sursum, deorsum feruntur omnia. QVIBVS profectò malis quid demum aliud, nisi recta medetur consultatio? hæc, facis collucentis instar, homines, in suis rebus titubantes, regit, ut optatum laborum suorum scopum tutissimè assequantur: qui hanc tollit è republica, ex animo nostro ipsam rationem tollit. Quemadmodum, extincto solis jubare, tenebræ statim oriuntur densissimæ: ita neglectæ consultationes quid, nisi periculosum reipub. statum & interitum minitantur? Et hinc est, quod, omnium saniorum populorum usu, consultationes frequentatæ sunt, ne quid, nisi prævia illâ rerum gerendarum helice ac cynosurâ, ageretur. Quos inter veteres Germani, bellicosissimi & prudentissimi Germani, meritò hoc nomine & multum celebrantur. Fortibus nimirum armis & pugnis, mascula jungebant consilia: hæc ducum instar, in negotiis præsertim publicis, habebant; hæc spectabant: hæc sequebantur. Ecquid ergo mirum, quod tam felici rerum successu expediverint omnia? Sed malè tamen passim consultationes eorum audiunt: Germanæ gloriæ rosores in laudabilem eorum consuetudinem, multum invehuntur; quod in conviviis & inter pocula suas instituerint consultationes: quod in iis de reconciliandis inimicis, de jungendis affinitatibus, quod de adsciscendis principibus, de pace denique & bello egerint: imò, sequenti die retractârint consilia, multum reprehendunt, & propudiosa illos dedecoris

maculâ afficere satagunt. Sanè, si quis limis illam consultandi consuetudinem adspiciat oculis, non posse non justissimè exagitari; sin altiore mentis æstimatione expendat non excusari modò; sed commendari quoque, ex prudentiæ Magistro illam debere, facilè asseverabit. Cum ergo videam, nullo in argumento meam versari orationem posse commodiùs, quam si impræsentiarum nobilissimam illam consultandi inter pocula consuetudinem, rudiori orationis penicillo depictam, à roseribus oseribusque Majorum nostrorum vindicem, ad singularem vestram, Auditores honoratissimi, benevolentiam humiliter confugio, per eam ipsam omnes orans, rogans, ne breviter, in hoc Lyceo literario, sermocinanti humanissimæ attentionis gratiam largiri dedigneminí. MAGNVS ille & eximius hilariorum conviviorum fructus est, quod nullo sese tempore liberius, quam in iisdem, animi nostri erigant. Blandis certè mutuæ benevolentiæ nexibus haud difficulter uniuntur, uniti illis ipsis subinde constringuntur arctiùs, pressæque varia curarum mole illorum vires, juxta corpus, recreatione vegetantur utilissimâ. Quis consilia ibidem reddi vegetiora, promtiora, liberaliora dubitet? Ut ægritudinis immane quantum afflictatur animus & premitur, ne se ad altiora meditamenta efferat: ita discussis, inter pocula, asperiorum cogitationum nubibus, quam serenescit ad omnia, ut suaviter & graviter dispositus, excutiendis rebus etiam

etiam gravissimis sufficiat? Et talem animum, amicum, placidum, serenum, adeoque convivalem animum, ad consultationes masculas requiri, majores nostri prudentissimè statuerunt. Sine tali enim admodum sterilia & jejuna feruntur consilia: sine animo, omni simulationis & simultatis integumento evoluto, periculosa ponuntur rerum agendarum fundamenta. CONVIVALIA pocula, præsentissima exhibent animorum medicamina! purgantur illis feces inquietarum curarum, evanescunt spississimæ odiorum nebulæ, tolluntur fulminantia altercationum tormenta, ut, hilari prorsus tranquilloque animi studio, consiliis vacare viri cordati valeant. O morem igitur deliberantium inter pocula exhilarantia laudabilem! O ulum ejusmodi conviviorum exoptabilem? Aram quondam, Jovi Positorio sacram, exoptabat in senaculorum liminibus Rex Aragoniæ sapientissimus, ubi mutua nimirum odia, mutuæ ponni simultates, & vera consultantium amicitia restaurari possit. Si recto æstimamus omnia judicio, in conviviis, in poculorum hilaritate, inter potûs optimi delectamenta, ara excitatur hujusmodi; sed Baccho Positorio, cujus jucundissimo nutu & auspicio ibidem serenatorum animorum ponì dissensiones & ipsi ad hilaritatis & humanitatis officia ebullientibus, ad gravissima negotia, colloquiis, promtè alacriterque disponi solent. Adeò verum est, quod Prudentiæ Magister, Tacitus, de Majoribus nostris loquens,

quens, asserit: AD magnas cogitationes (quales præsertim consultantium esse debent,) nunquam magis, quam inter pocula conviviorum hilaria, animum incalescere! adeo verum est, ex largioris potûs usu vim ingenii judiciique multum excitari! Cogitate, A. hominem impransum & abstemium: languet procul dubio illius animus, omnes sensus contractione quadam torpent, nullumque, ut sepulti cineribus ignes, de se splendorem emittunt; at potu & cibo si irrigetur & confortetur vivido, reviviscunt in eo omnia, refectisque nativi caloris viribus ad obeundas officii sui functiones, acriter alacriterque excitatur. Ex terra facti sumus homines: si verò matrem illam nostram intueamur, annon perit æstibus torridis? si autem, inter hæc anhelantis terræ incendia, largissimis prata irrigentur imbribus, omnigena fructuum genera proferunt felicissimè: ita & nos, INGENTIVM difficultatum mole obruti, curis sæpe nimiis rigescimus: membra compaveſcunt & languescunt: ipse animus, cum corporis, collegæ sui, viribus diffluere incipit ac deficere. Quod si verò limpidissimis Bacchi vividi liquoribus reficiatur largiùs, (ubi autem largiùs hoc fit, quam in hilaribus conviviis?) derepente se ad altiora sublimat, ac officia sua laudabili operâ perfractat. Potûs ista vis est, quo omnes pectoris sinûs expanduntur, vegeti animi spiritus serenantur, interiora mentis cogitata indiciis manifestantur illustrioribus, &, ut corpus; ita non minus ani-

animus ad omnia fit promtior, agilior, vegetior. Quis verò potus fuit Germanorum veterum? Vinum certè inferri promiscuè non patiebantur in fines suos, ne animi exinde remollescerent. Potus fuit humor ex hordeo, (ut refert Tacitus) in quandam vini similitudinem corruptus: cerevisiam nos appellamus, cui quidem illam vini efficaciam & laudem, quod animum commasculet, quod vires recreet, quod ad negotia homines vegetiores reddat, quis jure deneget? Non operosè persequor, quod præstantissimi scriptores vitem, lignum sapiens, ob hanc causam, dixerint, quod vim ingenii Judiciique acrimoniam, ad consultationes maximè necessariam suscitet: in medium Poëtas tantùm præclarissimos prodire jubeo! nihil se præclari, sine præclaro Bacchi opitulatu, effingere & efficere fatentur. Clamat unus ipsorum: possum nil ego sobrius! bibenti succurrunt mihi quindecim Poëtæ! Testatur alius, quod Ennius ipse pater nunquam, nisi potus arma prosiliit dicenda! Quis eandem potui vim, ad suggerenda consilia optima, quæ est ad talia carmina, non tribuat? Unde ipsum quoque potûs Præsidem juvenem, emblematicâ repræsentârunt commendatione, quod animum ad omnia vegetum reddat vividumque, qualis juvenum quod in istis quoque talem reddat, qui in Proserpinæ peculio jam numerantur, & Charonti naulum præparant. Imò alatum pinxerunt ipsum, quod hominem ad omnia efferat sublimia,

mia,& alarum quasi subsidia,difficultates quasvis superantia,consultanti præbear.Neque causa fuit alia,quod Pallas,sapientiæ moderatrix,& Bacchus,vini promus, unâ olim arâ locati honoratique fuerint, quam ut egregium prudentiæ incrementum, ex egregio potu, doceatur. Sicut oleum emorienti paulatim igni vim addit maximam , ut plenis statim flammis surgat: haud aliâ ratione potus nobilis languentem mortalium animum excitat , ut varios magnarum cogitationum proventûs afferat.Quis igitur non inter præcipua consiliorum adminicula pocula referat? quis,in conviviis haberi consultationes posse, dubitet? quis recreationes Bacchicas, mentes hominum tam utiliter serenantes,& ad magna cogitationes earundem efferentes recreationes consulturis deneget? Habeant,habeant Proceres sua tricinia,in quibus;hilarianimi oblectamento , positisanimorum curis,salutis publicæ causa lautiùs epulentur! ubi posito si quod habent, odii atque invidiæ venenô, Bacchi non minùs, quam Palladis præsidiô,laudabilia Majorum nostrorum instituta secuti,ad magnas quoque cogitationes incalescant! GRAVIS ille & periculosus scopulus consiliorum est,optima sæpe mentis cogitata evertens,propter quem suspensi hærent animi deliberantium, angustiisque veluti conclusi,rerum turbis huc illuc feruntur. METUM, Aud.infelicem consiliorum optimorum remoram ,intelligo: hoc obtinente animum,saluberrima interioris mentis cogitata , non promuntur;

tur ; sed premuntur: animus à gravioribus abstrahitur sententiis,& munitissima etiam penetralia inquietantur ? Quis,meticulosum salutare unquam dedisse consilium, audivit? nihil satis tutum,nihil satis munitum habet ; sed ubi, primò negotiorum intuitu , asperius quid sentit,ab incepto resilit opere , & gloriosam illam viam, per angusta ad augusta , per aspera ad astra, perhorrescit. Unde autem remedium adversus morbum istum petimus optimum ? Cujus Machaonis hic ope atque operâ feliciter utimur ? Persæpe sanè accidit, ut, inter ardua & confragrosa Reipub. negotia , aliquid sit decernendum masculè , ut , inter graviorum rerum discrimina, animô properandum impertertito. Nullus tunc ullius periculi metus,ab actionum promtitudine, boni publici amantem dimoveat: animus igitur erectus,fortis,liber sit oportet,ut talia pro salute reip. consilia suggerat : & talem quid efficaciùs , quàm largior potus efficit ? cujus vires ad discutiendam penitùs formidinem, nemo non miratur: fugat certè hostem illam egregii consilii , dicendi libertatem nobis strenuè infundit. Cogitate modò hilare convivium ! annon, inter benè potos, malum illud metûs discutitur,& homo, quod agit & loquitur , agit loquiturque masculè , liberè ? Annon ibidem,etiam timidiori militi,cujus totâ fortitudo in pedibus residet, ad fortiter strenueque pugnandum animus additur? metus omnis ex præcordiis intimis evellitur ? annon servus animi abjecti oblivisci tur? pauper etiam

calamitatum ſuarum ſit immemor, ut nihil ſonet humille; ſed forriter libereque de rebus ſuam proferat ſententiam? omnes, omnes profectò bene poti, ad quæque liberè audenda, nobili quodam inſtinctu, incitantur. Num alibi commodior conſiliorum locus inveniretur, quì ubi libertas in dicendo, ſine metu, locum obtinet? HAC quidem abſente, nihil valet peritia, nihil judicii ſolertia, imò diſcerniculũ ea quoddam eſt, quo veri Germani, fideles, candidi conſultores, à fucatis ſimulatoribus & fallacibus ex voto diſtinguuntur. PLURIMUM haud dubiè bonis obſtat conſiliis adulatio, venenum illud ſocietatis humanæ peſtilentiſſimum, quo veritas ſinceritasque in conſiliis corrumpitur; eò infecti mentem atque actiones ſuas nequiter, ad aliorum nutum, flectunt, byſſinis tantummodo ſermonibus utuntur, quales olim Paryſatis, mater Artaxerxis, verſutiſſima adhibere jubebat eum, qui cum Regibus conſultaret: verba phalerata, non ad veritatis cultum; ſed ad ſuperioris beneplacitum conformant. Unde Socrates rectiſſimè nullam affirmavit peſtem peſtilentiorem eſſe adulatoribus, quod nõ ſolum vitia ipſi concipiant; ſed ea etiam in Principum animos effundant. Hoc ipſum quoque fieri ab aliis ſobriis, in civili præſertim converſatione, ut malint jucunda dicere aliis, quam ſalutaria, plures damno ſuo diſcunt. O nobile autem antidotum, quod adverſum adulationem reperitur, in hilaribus conviviis & poculis! Hæc enim

enim viperam, in intimo pectoris tabernaculo latitantem, evocant: hæc ſcapham, ſcapham: ligonem, ligonem jubent dicere, & verè Germanos, hoc eſt, ab omni adulationis tabe ac labe purgatos, efficiunt, ne quis blandulam Sirenis vocem exteriùs oſtentet, intus autem tartareum Charybdis alveum, aſſentatorum more, foveat. CONVIVÆ hilares Veronenſes magis, quam Placentini eſſe ſolent, digni utique, qui in conſultationibus graviſſimis, cum noſtris Majoribus, occupentur. Quid aliàs dicam affectiones degeneres & illiberales, conſiliis maximè, noxias, quas Liber Pater, in benepotis, ſolet exſtinguere? Obſtinato quiſpiam in conſiliis eſt animo? in ſuſcepta opinionis pravitate pertinaci hæret ſtudio? ingentes irarum motus in optimos concipit conſiliorum ſocios? NEC enim nulli ſunt, qui, rubo arefacto præfractiores, conſilia reipubl. utiliſſima, eò, quod ab aliis ſuppeditantur, malunt impedire, quam ſua in melius referre ludibria, & ſaluberrimæ aliorum ſententiæ ſuccinere. Quaſi indolis ſit ſequioris & degeneris, animi ſui opinionem mutare! Non ea eſt in conviviis pertinacia: acriter alacriterq; ibi, potu animum verſante, modò huic, modò illi accedimus. Hilaritatis enim hic eſt genius, ut tumidum contradictionis ſpiritum, ſi non collat penitùs, laudabiliter tamen mitiget. Fatendum quidem eſt, (quid enim adulemur poculis cum ea remedia adulationis dicimus?) fatendum eſt, quod ſuam hanc in multis efficaci-

am exferere nequeant convivia, quod tetros quoque animi motûs quandoque excitent; ſed, ut illud hominum, vim medicaminis non admittentium, vitio accidit: ita non excitant eos, niſi in peſſimis, qui nunquam ſobrii ſunt, licent ſemper ſint ſobrii. Non places, inquit ſenex Plautinus ad alium, qui, quod malè factum à ſe erat, vino imputabat; non places, in mutum culpam transfers, qui nequit loqui: nam vinum ſi fabulari poſſet, ſe defenderet. QUI improbus eſt, ſive ſubbibit, ſive adeò caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus. Tiberius, in deligendis ad deliberationes viris egregiis accuratiſſimus, multos in vino præcipuos habuit, quibus intima plurima, quæ ne quidem ſobriis committenda miniſtris ſtatuebat, credidit, Piſonem ſcilicet & Coſſum, quem adeò merſum vino & madentem ſæpiuſculè fuiſſe, inter conſultationes, Seneca refert, ut ex Senatu aliquando, in quem ex convivio venerat, oppreſſus inexcitabili ſomno tolleretur. Quid hic cauſæ ſtatuemus, quod Tiberium ad iſtud inſtitutum moviſſe potuit? Nihil ferme aliud, quam quod virtutes conſiliario dignas, quæque in ſobriis fruſtra quæras, in poculorum ſtudiis deprehendit: inprimis recti tenacem candorem Reip. præſtandum & Principi. HOC veluti glutine deſtituta conſilia ruinæ potiùs ſunt, quam beati regiminis media, totaque eorum moles, licet ſpeciosè inſtructa, ſubvertitur. Certè, SICUT plura male fultæ domûs ruinam indi-

indicia præmonſtrant: ſic certum regni exitium portenditur, ubi non candidè; ſed ſimulationis & diſſimulationis vitioſæ ſtudio, ſacra conſiliorum tractantur. INTER ſuaviſſima poculorum hilaria candor oritur: ſimulatio diſſimulatioq; moritur! Quis enim conſilio, à quo fucum dolumque abeſſe intelligit, (quod maximè quis inter pocula intelligit,) non exhilaratur? Omnis boni conſilii fundamentum candor eſt: Optimus conſultor homo ille, qui non aliud fronte ſimulat, aliud premit pectore: qui ex uno ore non efflat calidum & frigidum; qui offucias fraudesque in ſordida illa hominum incude, ad ſui commodum, & Reipu. incommodum non procudit. Quot fallaciarum genera? quot ſimulationum & diſſimulationum involucra & tegumenta? quot prava calliditatis vaframenta undique inveniuntur? Dicas, ſeculum ex iſtorum vitiorum ſordibus quaſi compoſitum, ut plerorumque hoc ſit ſtudium, laqueos varios, ad capiendos candidorum animos, tendere. In vino veritas! in vino candor & ſincetitas, ſi uſquam adhuc candor & ſinceritas! Non ita ſeſe bene poti, vaniſſimo candoris commento, invicem decipiunt; non ita os ſublinunt captionibus verborum nocentiſſimis: efficaci potu fallaces ingenii ſinûs potatorum excutiuntur, ne ex centonibus mendaciorum malitiæ velum, quæ ſobriorum ars eſt, ſarciant, aut Polypi ingenium ſequantur, qui, quamcunque nactus petram fuerit, ei affigitur, & callidè colorem ejus in-

induit. Quis autem stomachum, in talia vitiorum instrumenta, non concipiat? QUORUM pectora debent esse virtutum, veri candoris & candidæ veritatis domicilia, sunt pravitatum, perfidiæ nequissimæ, & nequitiæ perfidæ stabula. Si omnem simulationem & dissimulationem vita exesse debere humana, prudentissimè Pater Eloquentiæ & Patriæ suæ judicavit: quanto magis hoc diceret de consultationibus, ubi modis istiusmodi agendi minimè omnium est utendū? Quin imò, fugiendus est consultoribus hic bonæ mentis scopulus, litandum candori in deliberationibus, ut commendata Reip. dignitas culturâ ejus efflorescat. IN vino veritas! in potu candor & sinceritas! vetus & verum proverbium est. Et hæ virtutes præclarissimas veterum Germanorum actiones, & heroicos pro Republ. conatûs, secundo semper eventu, prosperârunt, de quibus ante inter pocula agebatur. Hinc nata quoque tam insignis gloria, quam Romanus scriptor eis tribuit: gloria fidei & candoris: NULLI mortalium inquiens, armis aut fide supra Germanos! Quis illustre hoc encomium, quod haud dubiè in probè exhaustorum poculorum fundis fruticatur, inde non expectat? Quis sinceritatis ibi & candidæ simplicitatis thesaurum non quærat? Nullo enim magis tempore ad simplices patet cogitationes animus, ut denuò Historici augusti verba mea faciam, quam cum Liber ille Pater flore suo homines ingenii liberrimi efficit, cum variis versutiarum

tiarum tricis plicisque exsolvit. Nomen enim Lyæi habere, ob hoc solvendi officium dicitur, & quod omnia, in interiori hominis sinu latentia, libera manifestaque faciat. Et verè hinc Lyæus dicitur! Nam quod in animo sobrii, in ore ebrii est. Metus & pudor vincula sunt, quæ potu solvi solent. Unde non audiri verum, nisi à tribus hominum generibus, jactatum vulgo proverbium est: à pueris, ab ebriis, ab insanis. Fictionis certè suspicione vacat, quod ab illis prolatum fuerit. Non opus est tormentis, ubi potus largior suppetit, exclamat sapiens. Succinit Poëta Lyricus cum ad amicum: Tu lene tormentum ingenio admoves plerumque duro, tu sapientiam curas, & arcanum jocoso consilium retegis Lyæo. Quis ergò, sub aulpiciis illius, consultationes institutas reprehendet? Sinceræ sunt, candidæ sunt, ob omni fuco alienæ sunt! Adesdum Seneca, censor morum rigidissime! quid tibi animi de largiori potu est? de virtute ejus & efficacia? promum judicas veritatis, clavem animi, portitorem mentis. Quemadmodum enim musto dolia rumpuntur, & omne, quod in imo est, vis caloris in summam partem ejectat: sic potu exæstuante, quicquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Satis hinc datur intelligere, cur vinum dicatur veridicum? VELUT enim aurum igne: ita potu exploratur veritas, cum non solum se ipsos homines, quales sint; verum etiam, cujusmodi sint alii, libera & ingenua oratione

tione prodant. Quantum autem παῤῥησία isthęc consiliarium commendat ? quantum bonum promovet publicum ? In Bacchi quondam certaminibus victoris præmium tripus erat : quæ causa tanti muneris? hæc erat, Auditores, quod velut ex tripode loquantur, candidoque omnia proferant animo homines Bacchicis irrigati liquoribus, strenui in madida palæstra athletæ: fingere enim nesciunt, mentis latebras abscondere nolunt, ne non Germani candidique; sed infideles forte inveniantur. Quis nostrum facile adduci posset, ut credat, Platonem; sed quantum in divina & humana sapientia virum ? Platonem, inquam, ipsis juvenibus, suis in Lyceo auditoribus, Lyæi usum & largiora indulsisse pocula? indulsit certè, eum in finem, ut inter illa genium uniuscujusque exploraret, ut mentem de rebus cognitu necessariis, liquidius expenderet. Quod si ergo Majores nostri, institutum hoc Platonicum, sine Platone quoque, secuti; ad exquirendas animorum sententias, tam lauta quoque celebrârunt convivia, tam efficacia hauserunt pocula, quis non utroque illos celebret pollice ? Quanquam, quid de Germanis tantum nostris dico, ꝙ ea virtutum habuerint decora, è quibus nō omnino fictum adamantē colligamus ? Quot, quæso, saniorum gentium, consuetudine, convivales istæ consultationes comprobatæ sunt ? Citentur testes magnitum rerum Domini, Persæ! nonne temulenti de rebus consultarunt bellicis, ut quilibet, vino factus

factus cordatior, suum de repub. consilium promeret? Audiantur Græci, sapientissimi Græci, à quibus omnes ferè scientiarum fontes promanarunt, qui, Bacchum quoque bonum consiliarium dicentes, in conviviis inter pocula agitabant cōsilia, & in multam noctem trahebant, eaq; ad prudentiam idonea nominabant. Loquantur Rhodii, fortissimi Rhodii, qui, latâ lege, ut sanctior nimirum vini cultus esset, summis imperabant Magistratibus, convivia inire deliberandi gratia, ut, inter scyphos suos, gravia negotia tractarent. Brachamannos, Bactrianos, aliosq; populos latè potentes, sicco pede transeo, qui eandem inter pocula cōsultandi consuetudinē observârūt. QUAM verò injustum est, damnare, ꝙ ipsi non facimus, aut vidimus, si præsertim totæ gentes in illa cōsenserint? Injusti certè & iniqui sunt deliberationum symposiacarum censores, qui flagello Zoilēo aliorum facta, tot populorum calculis probata, lacerant, ac laudatissimæ Germanorum famæ atrocia inurere conantur stigmata. VERUM enimverò, qui avidē alienæ laudi obtrectant, sibique à carpendis aliorum moribus non temperant, quid, nisi suum produnt morbum, hoc est, stultam vanitatem, & vanā stultitiam. Licet inconditis ejusmodi malorū deliramentis Germani non turbētur, invicti armis, invicti animis: NULLI mortalium his ipsis supra Germanos, quæ nunquam tacenda, ex Tacito, commendatio, istiusmodi hominibus, plus semel inculcanda est. Quanquam

quam laudatissimum hoc institutum sympo-
siacis junxerunt deliberationibus, ut, de quibus in
conviviis egissent, die posterâ exactiùs expen-
derent sobrii, si placerent, exsecuturi, sin displi-
cerent, consultaturi de alio. Ita enim de iis Ma-
gister prudentiæ : detecta & nuda omnium
mens, inquit, die posterâ, salva utriusque tem-
poris ratione, retractatur : deliberant dum fin-
gere nesciunt; constituunt, dum errare non pos-
sunt. Laudabilem verò istam consuetudinem!
morem Majorum nostrorum probè expenden-
dum, quo posteriora mortalium cogitata, me-
liora, prudentiora, tutiora, cum sapientissimis
quibuscunque, demonstratur! NIHIL simul
inceptum & consummatum statim est in con-
sultationibus : nodus quandoque manet reli-
quus, qui non tam Alexandri gladium, quam
Phœbeum acinacem, hoc est, accuratiorem ad-
huc discussionem, efflagitat. Quis enim ille Ar-
gus, qui, in consiliorum cursu, omnia statim
pet videt? qui nunquam cœcutit, aut fallitur?
Aliud nos docet lubrica mortalium, in rebus
omnibus hæsitâtia, quæ inania sæpe, & nondum
satis cocta præcipitat consilia: plurima salubrio-
ra die occurrunt posterâ quæ priorem fugie-
bant. Idcirco NON cursoriis; sed fixis animi
oculis dispiciendum, quod statuendum semel
est, ne infelicem res sortiatur exitum. Intuemi-
ni, Auditores, suavissimos musicos! quam ope-
rosè, in optanda chely, in concinnandis fidibus,
in ordinādis vertebris, in moderandis tonis la-
borant,

borât, quam sollicitè accurrant omnia, ut sonũ
modò chelys edat auribus dulcissimum? Hoc
consultationis providæ instar est: sæpe consilia
præparanda, digerenda, emendata sunt, ut sco-
pum, quem respicimus, feliciter assequantur.
VIX malè possunt cadere, quæ bene deliberata
sunt: minus saltem fortunæ in negotia, quæ ac-
curatioribus consiliis reguntur. Talia Germa-
norum celebrantur consilia, talia negocia! Non
inconsulto ferebantur impetu, ac si quis è sum-
mo præcipitio, uno se saltu vibret, impatiens
moræ, quam incessus tutior per gradus requirit.
Imò præcipitationem præposteram & pertina-
cem arrogantiam retractando; quæ in poculis
discusserant, fugiebant, quid demum publicæ
salutis causa agerent? quo fine agerent? quibus
adminiculis? qua occasione? etiam atque etiam
soliciti. Dum hæc dico; dum solicitudinem
hanc majorum nostrorum, in consiliis effero,
audio Germanicæ gloriæ invidum, illustrem a-
lias, ex Gallis, Politicum qui, patriæ suæ amore,
quam par erat, longiùs provectus, cum alia plu-
ra, in majores nostros, jactat convitia, rusticos-
que minimum rationis, plurimum roboris, ha-
bentes, ore rustico, sine ratione nominat: tum
eò tandem nsque progreditur, ut nescio quam
levitatis notam eis tribuere non revereatur. Si
quæras causam scelestissimi convitii? hanc u-
nam suggerit: quod retractasse hic consilia sua
dicantur. Grave crimen scilicet! crimen brevi-
bus Gyaris & carcere dignum! cujus tamen neq;

vola, neq; vestigiũ, in scriptore prudentissimo, apparet. Num, ꝙ retractâsse consilia dicuntur Germani, ea pœnitendo quasi repudiâsse semp putandi sunt ? Non hoc vult Historicus, cujus tota oratio non ad Germanorum vituperium; sed illustrem gloriam dirigitur. Salvam apud illos temporis utriusque rationem docet, cum consultent in conviviis, ubi fingere bene pot non possunt: posterâ die sobrii retractãt, & sub accuratius examen vocant, cum errare non solent. Quis ergo adeo hic lippit, ut, quam nobili instituto sua curârint negotia majores nostri nó videat ? Sed dabimus Germano mastigi, quod petit: repudiata esse quandoque à Germanis priora consilia; quæ levitas hæc erit ? Auditores! NON est levitas (loquar cum magno Seneca ut melius loquar, & appositissimè,) non est levitas, à cognito & damnato errore discedere, & ingenuè fatendum est: aliud putavi: deceptus sum. Hæc verò superbæ stultitiæ perseverantia est: quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratumque sit. Non est turpe cum re mutare consilium. Sapiens non semper it uno gradu; sed unâ viâ, nec se in aliquibus mutat; sed potiũ aptat. Et quis saniori mente, si rem ad judicii lancem expenderit, alienum à directrice consiliorum, prudentia, statuat, si minùs salutariter consultum fuerit, mutare animum ? Quin imò conducit, tanquam in talorum jactu, ad id, quod ceciderit, res suas aptare, quocunq; modò ratio id optimum esse duxerit; non autem quasi puer-

ros, ipsos quoque cadentes, firmiter eam rem tenere, in quam impegeris, & clamando, quiritandoque tempus postea consumere. FELICEM, qui bene consulit, consulta rectè discutit, discussa fortiter exsequitur ! Omnia hæc quam suaviter Majores nostri, quam felici rerum omnium successu, peregerint ? Non minus promtas ad consilium mentes, quam manus ad arma attulerunt, tantis undiquaque rebus præclarissimè gestis incluti, quantis efferendis neq; mea, neque cujusquam alterius, oratio sufficiet. Quid multis ? virtutes eorum, supra invidiam collocatæ, & reprehensionem, non possunt sub vulgarem censoriæ notæ æstimationem vocari. Eat modo rosor atq; osor consuetudinum Germanicarum infensissimus, & Germanos verè Getmanos gannitibus lacessat improbis ! pergat linguæ suæ virulentia eorum gloriam suggillare malignus virtutum hostis! perfricet frontem, &, male ipsos egisse, dicat, quod inter pocula consultârint! audiat potiùs prudentiæ Magistrum, qui eum, ad rectè de hoc facto sentiendum, informat: rationes ejus æquo æstimet judicio: Germanos consultare, dicit, in conviviis, eò, quod nullo magis tempore, aut ad simplices pateat cogitationes animus, aut ad magnas incalescat. Hinc gentem non astutam, & callidam prædicat, quæ aperit secreta pectoris, licentiâ loci, & detecta nudaque omnium mens posterâ die retractat: salva utriusque temporis ratio est, cum deliberent, dum fingere nesciunt; constitu-

tuant dum errare non possunt. Quid hic ergò est, quod Theonino dente rodi dignum sit? num illud fortè, quod non inter otiosas nugas tempus in conviviis contriverint; sed de rebus egerint gravissimis? an verò istud, quod adulationes græculas digno semper odio sint prosecuti? quod nullos in fraudem, mutuâ versutiâ illexerint? quod litibus & simultatibus non tumuerint, omnia candidè, simpliciter, & quasi ad cribrum loquentes? Profectò si adversus ista virulentam linguæaciem, distringimus, ubi magnanima sinceritas? ubi Germana fides? ubi prudens fortitudo, felicissimis ornata successibus, sicut in Germanis ornata fuit, laudem meritissimam invenient? Vos verò Heroës bellicosissimi, Vos consultores prudentissimi, macti estote vestris institutis, vestris virtutibus! quid edentulam lividorum morsicationem timeatis? INVIDIA virtute parta, non invidia, sed gloria est. Vestra hæc gloria est, fide & armis inclaruisse per hoc universum! veri vestri posteri sunt, qui iisdem prudentiæ & fortitudinis gradibus, ad immortalitatis decus, strenuè hilariterque contendunt.

(o)

CON-

CONSULTATIONES INTER POCVLA.

ORATIO.

SI quis vigili perlustrat animò, pulcerrimam illam voluptatum moderatricem, temperantiam, dubium non est, quin idem nobile, quod ipsa habet, ducis militum præsidiariorum instar facilè sit naturus. Sicut enim præsidia, sub certo duce militantia, in civitatibus relinqui solent, hunc in finem, ut ingruentem hostis exercitum repellant: ita & virtutes nostræ animæ, adversus varios vitiorum insultûs, validissima sunt præsidia, duce Temperantiâ. Voluptates equidem, dum callidissimè obrepunt sensibus, eadem opera & affectus, in amplexum sui, facilè pelliciunt: & hi deinceps ipsam turbidè invadunt animam, eamque de receptione voluptatum, crebriùs solicitant; semel autem atq; iterum repulsam passi rebellionem ineunt: quid? ub cecinère classicum, non unum alterumve tantum vitium; sed universam immundam phalangem, adversus animam, seditiosè concitant. Hinc undique hostilis vitiorum fit invasio, quæ velut agminibus conglobatis, vel

in multiplicibus ſutelis, ſpe victoriæ, poſita, arcem animæ truculenter oppugnant. Quid verò virtutes? numero licèt impares, acerrimè tamen, pro domicilio ſuo decertant, quosvis vitiorum impetus intrepidè ſuſtinent, nefariisq; eorum conatibus ſolerter eluſis, agmina conglobata animosè diſſipant, multiplices ſutelas diſſuunt, adeoque totum hoſtium exercitum, ab oppugnata animæ arce, maſculè repellunt. Quis verè, in tot hoſtes virtutum, Dux eſt? Temperantia eſt, quæ nomen inde apud Græcos obtinet, quod, morem præſidis ſecuta, varios voluptatum conatus arceat, ferocientibus affectibus obſiſtat, animamque, plurimis petitam vitiorum telis, robore virtutum ſalvam conſervet. Hæc ſi ita ſunt, uti revera ſunt, omnibus profectò dirís devovenda; & ad orcum uſq; releganda quævis temulenta ſunt cõvivia, quæ, in juvandis voluptatum, affectuum, vitiorumq; conatibus, principem ſibi locum facilè vindicant; EQ periculoſiora, quo blandiori vultu mundanarum rerum amatoribus imponere ſolent. Qualem convivandi conſuetudinem coluerint Germani veteres, [hodiernos enim mores ſicco pede libens conſultoque prætereo,] nemini obſcurum erit, qui modò legerit, quod Tacitus, vaferrimus Hiſtoriarum ſcriptor, ad memoriam poſteritatis literis conſignavit. Neque enim eos Philoſophica convivia, condimentis ſapientiæ contenta, celebraſſe, qualia olim à Lacedæmoniis, & aliis quandoque inſtituta

tuta legimus, in quibus non tam ventrem, quàm mentem paverunt; ſed, inter eosdem, diem noctemque in conviviis continuare potando, nulli probrum fuiſſe, refert. Unde factum, quòd tam malè iſthoc nomine Germani apud alios audiant. Quam falsè illos, ex recentioribus, traducit Satyrarum ſcriptor non ignobilis? Immenſa, inquit, cupiditas potûs, jam confeſſo vitio, ideoq; magis libero, illam gentem infeſtat. Nec ad voluptatem tantùm hæc Thracica libido eſt; ſed in parte comitatis & pæne diſciplinæ. Venalis quorundam Principum gratia prætio tam infami, ſive quærentium comites vitiorum, ſive legatis advenisque hoſpitalem parantium menſam. Nam Germani nullâ comitate ſuavius, quam longo, nec ſobrio convivio, peregrinos credunt excipi, & tunc veriſſimam ab ipſis hoſpitibus benevolentiam in ſe expromi, ubi mutuis poculis inundari non abnuunt. Quis verò credat facilè, in iſtis poculorum certaminibus graves, à Germanis priſcis, conſultationes inſtitutas eſſe? Factum tamen memorat prudentiæ Magiſter, Tacitus ejusmodi verbis, quæ, ad commendationem ebriæ iſtius conſultationis, prædeceſſor meus, ſtudiosè traxit. Cui tamen quò minus adſtipuler, limatum ſaniorum & ſobriorum omnium obſtat judicium: cumq; veterem iſtum, in Sympoſiis conſultandi morem, verè morum fuiſſe, cum iisdem, prorſus ſentio: idcirco huic ſententiæ veſtris omnium animis ſubjiciendæ, &, pro virili, ſtatuminandæ,

quicquid reliquum est temporis, tribuere decrevi. Eâ verò, quâ par est, observantiâ & animi submissione à vobis, Auditores, contendo, ut, quod beneficium prædecessori meo, pro vestra benevolentia, denegare noluistis, idem & mihi, meliori in causa, ceu insignes æquitatis æstimatores, animo æquè benevolo tribuere ne dedigneminí. Et ut hinc sermonis mei telam ordiar, extra omnem dubitationis aleam positum esse puto, quod in temulentis istis convivationibus humana mens vix, ac ne vix quidem, integra, suique compos maneat, tantum abest, ut res arduas tractare, & dijudicare rectè possit. Anima sapiens in sicco habitat: hæc sola bene est composita & prudens: hæc sola, quæ sub deliberationem cadunt, rectè perspicit, solerter discutit, commodè ordinat. ut necessum planè sit, illum, qui in medium utiliter consulere voluerit, consultationis negotium bene sobrium suscipere. Quid autem in congressibus ejusmodi, ubi Baccho Cereríque potissimum litatur, accidit? mens ipsa absorbetur penitus, mens in ultimum exitium nefariè præceps agitur. Sive enim de connata animi perspicacia, sive de prudentia loquamur acquisita, ecquid sani in homine congressus ebrii relinquunt? Poculis pugnatur ibi in animum: omnes ejus vires obruuntur: sana vincitur ratio, ut vix homines inter homines maneant. Quam egregiam, quæso, aciem spectaveris, si Bacchicam in hac pugna spectaveris? A minotibus sive armis, sive poculis ibidem ad ma-

majora, methodo quasi synthetica, proceditur. Qua de re, nisi grave vobis & molestum fuerit, ex antiquis Ecclesiæ doctoribus, eleganter juxtim, atque graviter differentem audite Ambrosium, verè ambrosium: ut tragœdiarum actores, inquit, primo sensim vocem excitant, donec vivæ vocis aperiant iter, ut postea magnis possint clamoribus personare: ita isti [bibaces convivæ] quoque in principio præluforiis se exercent poculis, ut irritent sitim, ne fortè restinguant eam, & satiati postea bibere non possint. Ergo ubi res calere cœperit, poscunt majoribus poculis: fervor inardescit: certant pocula cum ferculis, & inter moras sæpe geminantur. Procedente potu longiùs, contentiones diversæ & magna certamina, quis bibendo præcellat. Nota gravis, si quis se excuset, si quis temperandum fortè vinum putet. Ubi consummatæ fuerint epulæ, & putes, jam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant suum: tunc inchoare se dicunt: tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, velut instrumenta bellorum: certatur sub judice, sub lege decernitur. Si quis manum revocet à vino, ori infunditur. Omnes inebriantur, victores victique; omnes ebrii jacent, plerique sopiti. Hæc mensæ gloria est! Stolidam verò istam, stolidisque dignam, imò bestiarum propriam consuetudinem! Portentum in extremas deportandum insulas! Mirum verò, rem adeò noxiam, inter majores nostros, viros sine dubio fortissimos, & ad bella natos, dum ad

consultandum convenerunt, vigere olim potuisse. Quam adhibere potuerunt prudentiam, directricem consultationum adeò necessariam, ut meritò illarum anima dici mereatur. Nec enim huic ibi loci aliquid relinquitur, ubi mens tot poculis, quot sese confundebant profundebantque Germani illi, catervatim obruitur; imò, necessum propè est, insana sequi consilia. Aurigæ imperiti in præcipitia, in exitia trahunt, qui vehuntur. Idem quoque menti accidat oportet, quæ, dum ad infelicia poculorum certamina rapitur, caligat, factaque jam rerum agendarum ignara, & ad faciendum officium inepta, consultorem suum, à rogia salutis via in pessima periculorum avia seducit. Quod si præterea temeritatem iracundiamque, individuas temulentiæ comites, attentè pensiculemus, rem monstrosam penitùs videbitur tentare, quisquis in ejusmodi conviviis commendabiles consultationes inveniri, præfractè contenderit. Bacchum ipsum, cui servitium quivis condixere temulenti, eô Liberum dictum esse volunt plurimi, quod omni hominem pudore liberet, ferocemque & temerarium reddat. Nec abnuit sapientissimus Romanorum, Seneca, qui Liberum dici autumat, quod servitio curarum liberet animum, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus faciat. Id ita esse, ipsi veteres Germani, in istis consultationibus dicam, an compotationibus? suo exemplo satis superque confirmârunt, quos inter vinolentos crebras rixas,

rixas, cæde & vulneribus transfigi solitas, exortas fuisse, non tacuit Tacitus, testis hujus rei certissimus. Nec aliud quotidiana experientia, magistra veritatis, docet, quàm quod nulla ferè ejusmodi convivia, sine jurgiis, haberi soleant; sed, ubi aliquandiu pugnatum verbis fuerit, ad verbera deinceps veniatur, &, quod lingua fortiter inchoavit prælium, fortiùs pugni continuent. Et licèt pugnatores ebrii, aliorum interventu, quandoque dirimantur, non tamen continua pax est; ad tempus fiunt induciæ, fideque mutuò datâ, in crastinum cruentum & letale bellum indicitur. Vix hesternum falernum despumatum est, (liceat mihi poetæ verbis uti,) & ecce! novo se prælio accingentes, Bacchi Cererisque verius, quàm Martis athletæ, gladiis & scloperis armantur, & vel nullâ, vel minimâ morâ interpositâ, locum pugnæ certum destinant. In arenam postea descendunt, denuò cõfligunt, & tam sæviunt crudeliter, ut non antè finem certaminis facturi videantur, quàm gratam Plutoni victimam obtulerint. Hæc ista sunt in temulentis conviviis frequentata, vitia! quid, quæso, cum iisdem, commune omnes bonæ consultationes habent? IMO illum demum rectè consultandi partes exsequi posse apparet, qui alienum à temeritate & iracundia gerit animum. Si quid dandum judicio Publii, Auditores, qui mimos suos, cum summo populi applausu, proposuit, feroculi omnes cum fiducia quidem sententiam dicunt; sed reipsâ trepidan-

dantes deficiunt. Unde enim hæc ferocia? à temeritate provenit, quæ in omnibus rebus turpis est. Inprimis, VBI vehemens ira pectus occupat, ita occœcatur animus, ut verum haud facilè videre possit. Sicut fumus oculorum aciem, vi mordicante, præstringit, ut vix ea, quæ ante pedes sunt, videre possis: sic judicium rationis ira obnubilat, ne rectum intueri valeat. Adeo nihil per iram rectè, nihil considerate fieri, jam olim monuit princeps parensque Romanæ eloquentiæ decantatissimus ! CONSVLTATIONEM duos sibi maximè contrarios & adversissimos hostes habere: celeritatem & iram: bina illa suæ & gentis, & ætatis lumina, Livius & Seneca, memoriæ prodiderunt, ita, ut, ex his, posterior consilium ejusmodi, cui hostes isti supervenerunt, pœnitentiam sequi, haud dubitanter asseruerit. Et tamen, ubi nimio se potu homines ingurgitant, omnia temere, omnia amarulenter, omnia crudeliter fieri plerunque solent. Quid? quod ista vitia hominibus, quibus dominantur, non solùm nullam consiliorum bonorum copiam faciunt; sed stimulos præterea admovent, quibus concitati, laudabiles saniorum conatus crudeliter impugnent. Vultis exemplum? ex multis aliis, exemplum Bessus esto pessimus, qui, cum Bactrianorum dux esset, dignitate istâ non contentus, ad Regiam potestatem, abominabili parricidio, contendebat. Dario itaque Rege proditoriè interfecto, splendidissimas amicis suis epulas exhibuit, &

inter illas, de stabiliendo novo regno, & bello adversus Alexandrum gerendo, consultavit. Ibi gravis mero vires suas extollere, ibi hostium nunc temeritatem, nunc paucitatem spernere, bellum denique magno conatu jactare cœpit, verbis ferox & parto per scelus regno superbus, ac vix mentis potens. Cumque cæteri unam hanc sententiam salubrem esse conclamâssent, ipse, cum temulentis temerariò ineptiens, circumferri merum jussit largius, ut super mensam statim Alexandrum debellaret. Intra hos tamen fines non stetit ejus fatuitas; ulteriùs, ad crudelitatem quoque, provecta est. Erat in convivio Cobares, natione Medus, homo moderatus & probus. Hic, temeritatem Bessi falsè taxans, &, quomodo canis timidus vehementiùs latret, quàm mordeat, indicans, velocitatem & felicitatem hostis ipsi ob oculos proponit, & prudenter deditionem luadet, cum meliorem fortunam deditus, quàm hostis sit habiturus. Bessus contra, audito hoc, licèt fideli, consilio, tantopere exarsit, ut vix ab amicis continereturr, quò minus acinace stricto Cobarem occideret, occisurus postea certò, nisi hic, inter tumultum elapsus, ad Alexandrum profugisset. Annon Bactrianorum isthæc consultatio idea quædam consultationis temulentæ est apud Germanos veteres? Hoc quidem oratio præcedens jam confessa est; dum Bactrianos & Germanos, eundem morem secutos, inter epulas consilia iniisse docuit. Quid itaque commodi

talis consultatio afferat ? quid spei de felici rerum exitu faciat ? O noxiam temeritatem, quæ nihil prudentiæ in sinum suum recipit ! O pestilentem iracundiam, quæ omne sanum respuit consilium ! O crudelitatem infelicem, quæ omnem meliorum conatuum aditum præcludit ! Cum his verò vitiis & pertinacia, non inferioris notæ vitium, consultationi ejusmodi præsidet, quam potus justo subministrat largior. Cui enim cedit ebrius ? Imò, non pulcer tantùm sibi & nobilis, sed sapientissimus etiam videtur esse ; & tamen, MELIORA suadentibus cedere, inter præcipuas consultoris virtutes numeratur. Adeò nimirum ad magnas cogitationes in conviviis istis incalescit animus ! exclamat Tacitus : ad magna scilicet vitia, quibus omnia corrumpi consilia salubria certum est. Hæc tamen vitia, de quibus dictum hactenus, velut apertos temulentiæ comites jam mitto, & ad alia progredior, quæ, collocata quasi in insidiis, anteaque nulli conspicua, liberaliore postea Bacho provocata, audaciùs erumpere, & ludos, imò turbas facere pejores consueverunt. Verè dictum à prædecessore meo memini, quod, ut dolia rumpuntur musto : ita homines, cum Germanis nocte dieque convivantes, largiore potu exæstuante, quicquid in imo jacet abditum, efferant. Onerati enim vino, quemadmodum non continent cibum, vino redundante ? ita secretum quoque suum alienumq; parietes effundunt. OMNE vitium temulentia & intentendit, & detegit, &, ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Inde non inepte, neque temere nudus pingitur Dionysius, quod videlicet omnia, quæ latitabant adhuc, nudet vitia. Videas enim, & videas in temulentis conviviis, hujus petulantiam, illicitam istius cupiditatem, alius item superbiam ut reliqua taceam vitia quæ, plenis quasi cataractis, se effundunt. Ita penitùs exhaustis Bacchi poculis, perinde ac si Circes fuissent, homines in canes, porcos, asinos, simias, lupos, & alia bruta transformantur. Quis salutaribus ibidem cogitationibus consiliisve locus esse potest ? Vitia hinc erumpentia totos obruunt homines, ut nihil sani in medium afferre possint. Quin imò multùm pœnitenda in conviviis, in consultationibus convivalibus, à magnis quoque viris, commissa fuerunt. Quid enim mirum, quod ex tot vitiis tot oriantur alia, quorum sobrios deinde pœniteat ? Alexander, Macedonum Rex, qui, exingentibus animi donis, & magna rerum felicissimè gestarum gloria, cognomen Magni adeptus erat, quia consilia, inter epulas nata, festabatur avidè, tam gravia non rarò facinora designabat, quorum vehementi pœnitentiâ deinceps ductus est. Quid in isto fecit convivio, cui pellices interfuerunt, & inter eas Thais, mulier temulenta & temeraria ? Suasu ejus, cum convivis aliis, Persepolin incendit, totius Orientis regiam, unde tot gentes antè jura petierant, tot Regum patriam, & unicum quondam

Græ-

Græciæ terrorem. Ut primum autem gravatam ebrietate mentem quies reddidit, ipsum pœnituisse facti, constat, & dixisse: majores pœnas Persas Græcis daturos fuisse, si ipsum in solio Regiaque Xerxis respicere coacti essent. Quid idem in alio fecit convivio, cui Clitum adhibuit? Hic apud Granicum amnem, nudo capite, Regem dimicantem, clypeo suo texerat, & imminentem Regis capiti hostis manum, gladio amputaverat: postquam verò, multò mero incalescens Rex, immodicus æstimator sui, res à se gestas celebrare, & Philippi Patris obterere cœperat, redarguentem immodestiùs dicta Clitum, nec ipsum satis sobrium, hastâ, excubanti vigili ablatâ, atrociter transfixit. Simul atque verò ira mente decessit, ferâ facinoris æstimatione in pœnitentiam versâ, eandem hastam, ex interfecti corpore evulsam, in se ipsum retorsit, jamjam moriturus, nisi illam advolantes vigiles repugnanti è manibus extorsissent. Ecce vobis, Auditores, gloriam conviviorum, in quibus veteres Germani sua digerebant consilia! Neque aliam ob causam Trajanus, Romanorum Monarcha potentissimus, ea, quæ post longiores epulas jussisset, vetuit curari, quàm quòd novisset, COGITATIONUM & consultationum, inter epulas susceptarum, certissimum fructum esse pœnitentiam. Idcirco & nemo nostrûm est, qui alios meminisse velit eorum, quæ in compotatione egimus. Notum est illud: Odi memorem compotorem. In mentem enim revocari nobis

nobis nolumus, quorum nos pudere potest & pœnitere. Quod si jam Cato aliquis adesset, temperare sibi non sustineret, quin censoriam virgulam in institutum istud stringeret, quod antecessor meus summis fere laudibus in cœlum erexit: retractâsse nempe Germanos sobrios, quę, inter pocula, sub deliberationem vocaverant. Neque id injuria! Quis enim ullâ laude, ullo dignum existimet suffragio, institutum, quod ex pudore & pœnitentia dictorum factorumque ortum suum traxit? Non dicam, quàm pauci sint, qui omnium, quæ inter epulandum & porandum dicta vel facta sunt, rectè meminerint, & inde facillimè fieri, ut pleraque corrupta falsoque referantur: hæc enim notiora sunt, quàm ut exponi debeant; sed hoc unum subjiciam, SI ad temulentam consultationem stolida accesserit retractatio, non posse non decreta sequi stolidissima. Verum, quid corruptæ inter pocula mentis vitiis immoramur? Pergamus ad sensus, rerum cunctarum venatores & aucupes, quorum egena mens negotiosa quævis cognoscit! Consulamus illos, utrum sibi constent in temulentis Symposiis? annon potiùs ibi frequentissima sit eorum perversio? Quod enim pecus ita & audiendo, & cernendo fallitur, ut homo ebrius? Nec verba eloquentium rectè percipit, nec objectas rerum species dignoscit, adeoque utrobique pessimè hallucinatur. Qui igitur mens, fido sensuum destituta ministerio, manere potest integra, ut quidem in

dijudicandis rebus arduis esse debet? Recepta motibus fuit, apud multos populos, ut non nisi à jejunis judicia reorum capitalium exercerentur: quô fine? ut cogitarent, se ad rem feriam accedere, & in qua de hominis agitur capite, de quo non nisi prudentissimè & sobriè judicandum. Optimum sanè institutum, ut consilium, tanquam res sacra sobriè tractetur! Quam accuratè in primis illis observandum esset, qui non de unius hominis capite; Sed de totius Reipublicæ salute consultant. Fecerunt hoc Germani in suis conviviis, de principibus adsciscendis, de pace & bello, rebus maximè arduis, consilia conferentes, ubi tamen neque sensus, neque animus suum fecit officium; Sed uterque summum, ex potu nimio, ad quos vise gregios conatûs torporem contraxit. Quid juvat, insanæ hujus consultationis socios, populos alios, Bactrianos, Persas, Brachmanes adducere? præterquam enim, quòd MULTITUDO insanientium insaniæ nullum pariat patrocinium, populi profectò reperti sunt saniores, qui aliter egerunt, & hanc in conviviis consultandi consuetudinem, graviter improbârunt. Quid Persæ veteres? maximè convivandi luxum, ut luem, vitare volebant magistratus suos: posteritemporum ingruentium vitio, factum, ut degenerantes, à priori temperantiæ semita discederent posteri, in quos demum quadrat, quod de Persis antea retum est. Quantopere abhorruerunt à temulentis consultationibus Carthaginenses? Magistratibus toto eo anno, quo magistratu fungebantur, non licebat vinum bibere, quid dicam potu largiore, cum Germanis, confundi? Quis non morem istum omnibus exosculandum populis duceret? quis non institutum hoc ad cœlum usque extolleret? Non latuit has gentes, quanta sobrietas commoda pariat, ut ita morem hunc saluberrimum, ad stabiliendam Rempublicam, prudenti consilio introduxerint. SOBRIETAS enim est, quam augustissimus Doctor, Augustinus, rectè judicii tenacem, memoriæ recordationisque inseparabilem sapientiam, virtutis singulare auxilium & secretorum custodem appellavit, salubria atque utilia curantem & cuncta cum ratione disponentem. Nec fefellit sua Carthaginenses prudentia, qui, pulcerrimum instituti sui fructum consecuti, ad tantam pervenerunt potentiam, ut ipsis etiam rerum Dominis, Romanis, palmam diu facerent ambiguam. Omnia veteribus Germanis accidisse novimus alia, qui, temulento illo consultationum impetu, in omnia mala subinde præcipites acti sunt, ut, continuis bellis miserè attriti, aliorum, Romanorum præsertim, imperio tandem subjicerentur. O infelices Symposiacarum illarum consultationum fructûs! ô incommoda longè maxima! Licet, quæ hucusque dicta sunt, ita dicta nolim, quasi omnem conviviis deliberationem ejiciam, cum aliquam potiùs tolerandam ibi esse censeam, si modò, qua ratione deliberationis negotium

suscipi ibidem debeat, curatiùs observetur. Primùm enim ipsa gradus suos habet ebrietas, ut, si in inferioribus subsistant consultores, consilia conferre haud incommodè possint. Alia certè ebrietas ad insaniam usque progreditur; alia modestior est, manuumq; ac pedum, & ipsius mentis usum relinquit. Hinc tria vulgo numerantur pocula: Necessitatis, Hilaritatis, Fatuitatis. Si secundum quoque in convivio exhilaret homines, nemo deliberationem inde prorsus alienam dicet. O si non progressi essent ulteriùs majores nostri! Sed noctes diesque potando consumserunt, ut nec ulli probro id esse judicaverint. Licitum sanè est, quandoque flore Liberi patris conspergi largiùs, non solùm, quia vinum & omnem potum, Deus ideo dedit hominibus, ut cor eorum lætificet; sed & magni quoque viri & sapientes nonnihil indulserunt poculis, ut tristitiæ nebulas discuterent. Verùm tamen hoc ità licitum est, si intra modestiæ honestatisque limites consistat, quemcunq; consueta in conviviis honestis hilaritas, ad liberiorem potum, invitat. VINO moderatè sumto & corpus alitur, & hominis ingenium, ut ad deliberandum non planè ineptus, moderato vini potu, fiat animus. Præterea & illa demum in conviviis, sub consultationis incudem, vocari debent, quæ neque nimis intricata, neque ab hilaritatis consortio aliena sunt. AD hilaritatem facta sunt convivia, quæ, si intempestiva rerum gravitate, interpellentur, & pro-

& profundis nimiùm onerentur speculationibus, omnis hilaritatis cursus confestim inhibebitur. Copiosa satis messis est earum rerum, quæ sua vitate sua & dulcedine vel austeros, ad exporrigendam frontem, allicerent, quibus & alios, & nos ipsos abundè delectare possumus, ut festivitati sacrum tempus, nec in aliis quoque, quàm festivis sermonibus, aptè traducatur. Denique & ea, quæ, in convivio discutiuntur quidem placidè; sed confusiùs tamen, à sobriis, loco alio, sub exquisitius examen, vocari fas est. NEQVE enim nimis festinata cedunt prosperè consilia; deliberandum est diu, quod statuendum semel. Cura quoque in deliberando nulla tanta est, quin major esse debeat, ut, post longam deliberationem, rectè statuatur. Verùm longiùs dicendo me progressum esse video, quàm constitueram, ideo, ne vestra patientia abutar, Auditores, orationis vela contraham, & in portum me recipiam. Dixi itaque contra consultationes Germanorum veterum symposiacas; sed non eò dixi animo, ac si Majores nostros, cum nullis ætatis suæ gentibus bellicæ præsertim virtutis laude comparandos, dente Theonino rodere allubescceret. Absit hoc, absit! longè aliud debitus in posteris in majorum cultus exigit. Sed ostendere tantùm volui, quantis obsepti tenebris fuerint homines fortissimi, qui nec in civilibus videre nævos suos potuerunt. Consultârunt mente sensuque corruptis, &, dum dies noctesque

que potando continuarunt sympoſiacas illas consultationes, non potuerunt non variis vitiis scatere, quæ partim unà cum temulentia conviviis illis obrepsisse, partim, post longiores aliquanto insidias, largiore potu provocata erumpere potuisse, prolixiùs exposui. Quanrò igitur rectiùs, quantò consultiùs, quantò utiliùs procedunt isti consultores, qui, à prisco illo, inter pocula consultandi, more prorsùs aversi, veluti rem sacram publica tractant consilia, sanæque sobrietati studentes, omnia prudenter sobrieq; ac dextrè peragunt? Sic enim, ad salutem publicam provehendam, viam tenent & servant expeditissimam, &, extra syrtes atque vada consiliorum constituti, ad optatum prudentiæ portum, secundo tandem cursu, provehuntur.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

RESPUBLICA MELIPOLITANA MAXIMA, MINIMA.

AD hanc enim, ex caniculari otio, pergendum est, ut vivum hoc miraculum naturæ, augustumq; rerum variarum augustale, parvum magni regni

regni instar dignoscamus. Quid ibi, inter arbores & flores, loco tam amœno exstat? Nisi oculi nos fallunt, ipsa est Melipolis, apum sedes, urbs maxima, urbs minima. tantillo spatio concluditur, tantis opibus operibusq; illustrißima! Totum eâ regnum continetur, quod diu ante fuit, quàm in mundo ullum fuit. Quàm validis firmata muris est? quàm angustos habet aditûs? custodes portæ apponuntur; sed ut hostes, non amicos arceant, datoq; signo hospitum adventum nuncient. Hîc demum artificiosè contexuntur ædificia! hîc vici, ad ornatum usumq;, ordine secantur pulcerrimo! ne Thebis quidem tam eximiis esse licuit, licet tertiò hanc ob causam dirutis. Neq; tamen regula, aut circinus, aut si quid aliud ars exigit, hîc cernitur. Quod a. ibi tectum im medi tullio sublimius conspicimus? Arx Regia est, ad dignitatẽ magni Reguli munitior. hic unus multis imperat millibus, naturæ insignitus munere, forma elegantior, statura major, incessu gravior, animo mansuetior. aculeum, si habet, non usurpat, tutus majestate suâ, & amore civium, quæ quidem non tam ipsum, quàm pro ipso timent. Nullo illis juramento fidem firmat: sponte regia natura ita magnus est, ut bonus esse malit, res semper miscens diversissimas: potentiam & modestiam. Quî, quæso, talem, velut salutare numen, non suspiciant subditi, inter amorem timoremq; medium? Vide modo, & mirare! Quanta circa ipsum veneratio? quantus omnium cultus? ad nutum imperantis faciunt omnia! Procedit aliquando, ut vel exemplo prosit, vel imperio: procedunt omnes; proceres in primis, senio & genio insignes, sedibus etiam Regi propiores, augustum

latus stipant. Pugnat in hostes: ecquod enim sine illis regnum? pugnant omnes, & suâ morte mortem ejus redimunt. Curis languet publicis: nec enim sine curis quisquam salutariter imperat: alis eum suis sublevant, & unaquæque servire gaudet promtissimè. Quid? si captivus forsan teneatur, fato cum magnis regibus communi, teneri omnes cum ipso malunt, quàm turpiter fugere. O quàm luctuosum ipsis accidit, si Regem invida mors rapiat! inediâ profectò contabescunt circa corpus regium, nisi oculis mœrentium subduxeris. Vitam & salutem Regu, suam: miseriam & mortem, suam statuunt. Quid amplius in Rege maximo desideres? quid in subditorum laude ponas amplius? DIFFICILE hominis in hominem imperium à multis dicitur. Et quis experientiæ absentiat? Est enim hominis, qui cæco multa patrat impetu, libidinem pro lege, vota fatua pro fulcrum fatis jactitans: est in hominem, quem neglecta educatio, impietas, vanorum amor, vitiorum studia tam effrenem faciunt, ut neque pœnis, neque præmiis coerceatur. Sed quam facile esset hominis in hominem imperium? modò esset uterque, quod audit, aut apum saltem imitator, h.e. alter rectè regeret, alter rectè obediret. Illud enim Rex apum: hoc ipsa constantissimè observat. Neq; mirum, licèt maximè! cura educationis inter ipsas sedula est: ipsæ administrant, docendiq; habent peritiam, ut possint: fidem, ut velint: industriam, ut perseverent suas ducere ad optima. Ab ipsis incunabulis hoc primum agunt, ne degeneres patriæ cives alicam, an prædonis? aut ignavi fuci exsistant. Nec ad ... tiles ad subeunda onera inveniunt, ut, num docere ... promtiùs parentes, an doceri velint liberi, incertum sit. Tolle oculos, ut tot labores stupeas! strenuæ in hortos, in agros, in pascua provolant, floresque osculo libantes, rores inde suaviores colligunt. Ecce illam succum pede: ecce istam guttas corporis lanugine aggerit. Iam sedes suas repetunt. quæ afferuntur, illa excipit: hæc struit: hæc petit: illa suggerit. labor labores, opus operas provocat. fervent semper omnia! Nec tamen sibi singulis; sed partem Regi, partem alveorum Domino, partem suis parant. Singularum copia, civitatis: nunquam sine ærario Respublica est, unde publicæ salutis subsidia, præsertim cum necessitas poposcerit, petantur. Concors undique ordo est, ordinata concordia! si quæ tertant, secum certant, & cum aliis; sed in promovendo bono publico. Hinc tanta Melipoleos felicitas! tam acris atq; constans morum optimorum cultus! Nec enim curiosè novata captant, non exoticis commentis, non gestibus aut vestibus delectantur. Moribus antiquis hæc stat Respublica! eo quoq; felix nomine, quòd sine multo legum apparatu. Quid enim illis opus est, ubi virtutes ingeniis omnium coluntur, aut, si præterea quid exigas, superiorum exemplo? ô Rempublicam sine pari! QUEM hominũ non pudeat, à tantis illis mores non traxisse? Fateor, divinæ rationis compotes plurimum distamus ab apibus; sed aut sopitâ interdum, aut expulsâ mente, minimis minores sumus. Illæ impetum sequuntur, quem habent: nos subinde ita sumus animati, ut in nobis esse non appareat, quod maximè debebat. Quin ergo Melipolitanum quoq; invisimus collegium? nostrum enim multũ sordet sordidis: discemus hîc ab apibus cultum

Reip. & vitæ, quo omnis omnium salus continetur. Docent ibi, quæ nec didicerunt ipsæ, nec faciunt, & tamen, ut credamus, faciunt: ex arte docent, sine arte quæ novisse summos decet artifices. Non definiunt quidem anxiè, aut dividunt, nec multis fatigantur controversiis: quid ita? non tam instrui discentes his ipsis, quam obtundi credunt. Salutari prorsus fraude docent, quod ignorant, ut imponant nobis. neq; possunt aliter. PRUDENTES, *qui ab his magistris decipiuntur? nec enim omnium hoc est; sed illorum tantùm, qui propositarum rerum decus, quod non possunt assequi, mente hauriunt. Tales cum summo decipiantur judicio. Cujus rei ut experimentum caperet, Amasius prudentiæ cultioris ex paucis,* GEORGIUS Dunten / *Iunior, non ita pridem, blandiente cœlo, invitante Florâ, excitante ad egregia quæque animo, Melipolin ingressus est; sed comite Politicâ, cujus judicio, quæ Rempubl. constituant, quæ serventq; quæ amplificent, quæ restaurent vacillantem, rimaretur. Favit instituto isti Deus. multa ibi vidit & collegit egregia; sed non sibi soli. Iam enim & hoc didicit ab apibus: in commune conferre, minimè invidum esse. Oratione igitur complexus ea est, quam d. XVIII Augusti ex memoria reddat, ut, quod toties privatim fecit, publicè nunc aream oratoriam perlustretur. Agite proinde, Domini, Fautores, Amici titulis honoribusq; spectatissimi, Vos præsertim, quibus amor rerum civilium in viscera fixus sedet, agite, & ad Rempublicam Melipolitanam visendam convenite. Cives ejus favores jam parârunt, quibus tam acceptos hospites delectent. Nos nihil, prater omnem rursum inserviendi promptitudinem, solenni more, promittimus, quam semper debemus. Dab. in Museo, d. 13. Augusti, Anno 1653.*

APICULARUM RESPVBLICA. ORATIO.

QUanquam varia informandi genera reperiantur, quibus sapientiæ Doctores alios, ad verum eruditionis decus, excitant, incomparabili tamen eminentiâ præcellit omnibus, quod illustre seculi se lumen, Plutarchus, in magno suo, & ad imperatoriæ dignitatis spem nato discipulo, Trajano, informando adhibuit? Videbat ille, gravissimis negotiorum publicorum curis præficiendum aliquando Juvenem: Rempub. proinde, juxta partes atque functiones, duplici eum docebat imagine: modò ipsum sibi ipsi statuebat ante animum, ut, contemplatus membra sua, statum civitatis muniaque cognosceret: modò ad Virgilianum alvearium ducebat, ut, quod nosse hominem de Repub. oportet, ab apiculis disceret. Felicem verò docendi modum istum, qui vel nolenti utilem propositarum rerum notitiam imprimeret! Quoties enim Trajanus corpus suum adspexit, (quoties autem illud adspexit?) toties totius corporis politici, singulorumque membrorum memoria, men-

mentem ejus percurrit, toties ipse sui in se ipso Magister exstitit. Quoties autem cogitationibus extra se liberiùs vagatus est, cum sui etiã oblivione potuit, in animalculo suavissimo, monitorum Præceptoris satis meminisse. Quid enim caput hominis intuitus, facilius, quàm Principé augustâ eminentem majestate, cogitavit? caput illud Reipub. cui liberum & salutare in universa competit imperium. Hîc elegans consiliariorum instar, oculos; hîc aures, judices officiosos: hîc præfectos rerum variarum, in tot sensibus animadvertit. Quodsi caput suum atque cogitationes demisit ad pectus, prudentissimi senatus ibi speciem observare potuit: Officiales militesque duo sensit esse brachia, ad capitis imperium expeditissima, quorum alterum præcipuè negotia exsequitur, alterum, ab aliorum libidine, totum corpus tuetur. Sicut verò in stomachum & ventrem omnia, corporis humani alimenta congeruntur, & ibidẽ digeruntur salubberrimè: haud aliter per quæstores atq; cõmentarienses in Repub. sumptus colliguntur & distribuuntur, sedulò. Totam tandem corporis humani molem duobus inniti fulcris, hoc est, pedibus videmus: tota utique corrueret, si horum imbecillitatem nimiùm urgeret. Quæ autem Reipub. statumina? Subditi sunt, in duo præcipua genera dispescendi, quorum alterum, agricolarum scilicet, per longè latèque diffusas regiones, accurandis agri donis, deditur; alterum opificum, quod media tegendi ornandiq; cor-

corpotis, & pluta civitatialia suppeditat. Quis aptiorem Reipublicæ repræsentandæ imaginem hacipsa, quam quis in ipso deprehendit, formet? Quanquam, si & alteram illam, in apiculis, discussione sedula expendamus, non obscuriora forsan, ad prudentiam civilem, subsidia Trajanus inde habuit. Afferre nolo varia, quæ in his animalculis elucent, virtutum specimina. Quot, quæso, sunt scriptores præstantissimi, qui castitatis symbolum, diligentiæ specimen, temperantiæ instar, fortitudinis exemplar, justitiæ imaginem apiculam nominant? Societatis studium in primis est, quod admirationem singularem, in hoc animalculo, meretur. Quanquam enim illud aliis, cum homine, commune videatur brutis, accuratum tamen parendi imperandique ordinem non nisi in his animalculis politicis invenies, & ita quidem invenies, ut multa inde, ad humanos usus provehendos, liceat addiscere. Exile insectum est apicula, fateor; sed ubi magis tota est natura, quam in minimis? in punctulum collectus ignis, vitri artificio, incendit navem, quam diffusus ne quidem calefaceret. Majora in formicis studia, quam in balænis ipsis videas. Nullus quidem rationis usus in apiculis: nulla verò sine ratione prudentia: nulla sine hac & illa virtus est, & omnium tamen horum, in iisdem, atque brutis aliis, specimina comparent tam egregia, ut ipse unicus salutis nostræ restaurator, Christus nobis omnibus candorem columbarum, serpentiumque pruden-

dentiam; Rex sapientissimus formicarum sedu-
litatem voluerint esse commendatissimam.
Quid ergo dubitabitabimus, apiculas quoque
esse, quas Deus, ceu civilis sapientiæ magistros,
nobis proposuit? quos commendatissimi illius
studii, doctores dedit admirabiles? Adeste mo-
dò, qui civilem amplectimini prudentiam! ade-
ste, & pulcerrimam apicularum politiam intue-
mini! ex qua ego pro ingenii mei tenuitate,
summa saltem hujus Disciplinæ delibabo capi-
ta, dum vos, A. tacitâ quadam animi circumvo-
lutione arcana singularum partium vobiscum
altiùs expendetis. O si mihi jam apiculæ, ut me-
litâ ipsas eloquentiâ ceteram, in os nectar mel-
sui dulcissimi ingererent! Sed cum optare qui-
dem illud; minimè sperare tamen liceat, specta-
tissimam Vestram A. benevolentiam ac huma-
nitatem, infantiam dicentis refocillaturam esse
penitùs confido. Atque ut hinc amplissimu
apicularum examen provolet, quàm provide
natura uni regi omnes fecit subditas, & ita opti-
mæ regendi formæ speciem exhibuit? In certo
alias imperii statu commendando, magnis de-
bitationum procellis, summorum Virorum ite
ctuant sententiæ. Hi enim aristocratiæ lauda
celebrant: illi rerum summam volunt esse apu
populum: alii feliciissimum communis salut
bonum, monarchiam, dignis efferunt encomiis
Sed abhorrent à prioribus imperii formis api-
culæ, optimamque & tutissimam amplectentes
moribus quoque suis eam exprimunt. Audit

in alveario imperiosa regis murmura! intuemini
obsequia subditorum, ad imperium illius prop-
tissima! alia status regii indicia, sedulâ animi
comtemplatione, percurrite! OPTIMA regen-
di ratio apicularum est, quæ ipsius Dei est, quæ
inter omnes prima est. Principio enim rerum,
gentium nationumque imperium penes reges
erat, quos, ad fastigium hujus majestatis, non
ambitio popularis; sed spectata inter bonos
moderatio provehebat. Duo aliàs sunt gradus
inter homines, quibus ad regale solium ascen-
dunt: alter electionis; alter successionis dici so-
let. Quam incerta verò & infausta sæpe utriusq;
facta sunt, ex quibus omnia propemodum re-
gnorum scaturiunt incommoda? Si enim ma-
jestatem regiam gens quædam, rem domi here-
ditariam, concessit, omnes subditi videntur ser-
vi esse; imperantium libido & voluptas plerum-
que pro lege est. Sæpe fatorum ludibrium ad
infantiam, ad pueritiam summam rerum trans-
fert, ut aut subditorum ad rebellandum proni-
tas, aut perfidia tutorum, ætate regis inutili, re-
gnum affligat, adulteramque & idoneam exspe-
ctare non possit. Quid? majora exelectione
interdum prodeunt incommoda. Modò re-
gnum ambientium, animisque genere & opibus
parium contentio gravissima, modò decepta si-
mulatione, clementiæ & prudentiæ suffragia
exstinguunt rempub. Quoties simplici, malitio-
so, furibundo, emptis, emendicatis, extortis,
prudentissimis tamen scilicet suffragiis regnum

defer-

defertur? ADEO nihil est ad hominum com-
moda ita exactum, licèt exactissimum esse de-
beat, quod undiquaque sit utile. Quid de infeli-
cibus sortis fallaciis, in quas nonnunquâ homi-
nes, quasi tutiùs acturi, consentiunt dicam! Uni
imperium concedentes, alterum, errorem sortis
contemnentem, æternum hostem faciunt, Rei-
publ. Nihil horum nostræ metuunt apiculæ:
eum semper obtinent Regem, quem Magnus
ille Alexander, in vicinia mortis, de successore
consultus, regno suo, suâ magnitudine jam la-
boranti, destinavit, nempe optimum. Quem
itaque insigni corporis magnitudine, & morum
lenitate, in imperii spem, natura produxit, reli-
quisque sui ordinis prætulit, eum sine sortis liti-
gio, sine dubio suffragiorum numero, sine suc-
cessionis periculo; unà omnes observantiâ re-
gem devotissimè venerantur. O institutum hu-
mana quoque imitatione dignissimum! Ecce
Vobis, Augustum apicularum Regem, singu-
lari corporis majestate conspicuum! de cujus
imperio si dubitatis, intuemini mecum, & ex
illius voluntate, imò nutu, pendeant omnium
studia! regem defendendi promptitudinem!
conferendi, ad sustentandam ejus aulam, neces-
saria alacritatem admiramini! Quid vult sibi, in
uno illo, formæ eminentia? Regis majestatem
loquitur. Augustam corporis speciem pennæ
ornant breviores, quæ tardiorem, & ad majesta-
tem compositum volatum formant. Cruribus
idcedit rectis, ut incessus sit excelsior & regius.

Quam

Quam clarus squamis rutilis eminet? Singularis
in fronte macula, quodam quasi diademate
candicans, conspicitur, & multo nitore à subdi-
tis distinguitur. Nemo dubitet, quin isthæc cor-
poris magnitudo, iste splendor singularem im-
perantibus autoritatem conciliet. Magis ea æ-
stimat judicium populi, quæ omnium incurrunt
oculos, quam quæ intus delitescunt, & non nisi
acutiori ingenii perspicillo conspiciuntur. Tam
sanctè autem à subditis suis semper habetur Rex
noster Melissæus, ut nunquam libatam, nedum
læsam, quid dicam, (quod desperatæ est mali-
tiæ,) cruenta morte exstinctam? illius majesta-
tem, animadverterint curiosi etiam hujus poli-
tiæ scrutatores. Et ut omnes constent partes re-
giæ eminentiæ, augusta etiam monarchæ hujus
regia est. In umbilico regni hæc conspicitur, tu-
berculo insignis, quæ non, ut plebeia cella, ad u-
sum & necessitatem tantùm; sed ad splendorem
quoque & magnificentiam facta est. Hic velut
in throno suo magnus Regulus, quod facien-
dum, imperat multis apum millibus, quæ sine
mora imperata faciunt. In hoc palatio facilius,
quod passim in regno geritur, cognoscit: hîc
subditis commodior ad regem patet aditus.
Postquam verò tam illustre Regis domicilium
exstructum est, in tutelam quoque ejus adsunt
vigiles, adsunt aliæ, quæ illud sepimento, tan-
quam muro longè venustissimo, cum adversus
indigenarum, tum externorum insidias, cir-
cumvallant. Persuasum enim sibi habent, se,

muniendo regem, singulos munire cives, & [illegible]
lutem publicam admodum validis circumdare
manibus. Quis verò nostras apiculas architec-
tonicam docuit? quis ad tanta eas informavit
artificia, quibus artificiosissimis quoque archi-
tectis palmam præripiunt? Profectò accuratis-
sima illa, in tam subtili opere, angulorum in æ-
qualia spacia dispositio, ita, ut nec in millies
centuplicatis cellis, ad minimam mensuram,
corrupta sit operis series, humanam superat pe-
ritiam. Sine arte, sine regula, sine circino cellas
circa Domini sui regiam ad artis regulæque &
circini ductum construunt, ut mirari quidem
sta homines; sed imitari nulli forte valeant.
Sed ad Regem revertamur, & Regiarum in eo
virtutum splendorem intuebrimur, qui suâ ma-
gnitudine omnem prope mentis usum nobis
adimit. NEC enim satis est, potentiâ aliis su-
periorem esse; virtutum quoque gloriâ emine-
re oportet, qui eminere verè cupit. Sicut in am-
plissimo illo siderum exercitu, suo ante omnia
fulgore aureus mundi oculus, Sol, promicat: i-
ta quoque in Regis nostri virtutibus longè e-
minentior aliis est clementia. Clementia, [illegible]
imperialium virtutum, tanta in apicularum Re-
ge est, quantam in omnium Regum historiis
vix invenire licebit. Omnes certè hic consen-
tiunt autores, qui de aculeo regis nostri alibi
dissentiunt! altera enim illorum pars aculei ab-
sentiam argumentum esse vult clementiæ cer-
tissimum; altera, quæ ipsi peracutum tribuit a-
cu-

culeum, nunquam tamen eum, studio clemen-
tiæ, exeri dicit ac docet, eò, quod non deceat,
tantæ nationis imperatorem mali quippiam
committere. Quis hîc non animadvertit, u-
tramque hanc autorum dissentientium senten-
tiam, in commendanda singulari clementia, a-
micè conspirare? Nemo ullum in hoc Rege
truculentiæ specimen animadvertit: nemo vim
aculei sive in homines, sive in apes alias depre-
hendit. Prudenter utique Rex noster ab exigen-
dis pœnis ipse abstinet, & hoc munus, si neces-
sitas requirat, imperii sui committit exsecutori-
bus. O si pari quoque ratione humanorum re-
gum iracundiam natura exarmâsset! Si qui-
busvis hoc clementiæ in omnes decus indidis-
set! VIRTVS enim hæc, quæ lapsos erigit, &
servat eos, qui seipsos perdunt, nulli tam ex om-
nibus hominibus, quàm principi convenit.
Quot enim, miseriarum mole pressi, & tantùm
non oppressi ad Principis clementiam, velut ad
asylum, confugiunt tutissimum? CLEMEN-
TIA est mater amoris subditorum, arx inac-
cessa, munimentum sine munimento inexpu-
gnabile. Qui benignitate & clementia imperi-
um temperavêre, his candida & læta fere om-
nia, & hostes æquiores, quàm aliis cives, sicut a-
pum quoque Regi hoc contingit. Miram verò,
neque temporum intervallis ruptam ejus quo-
que diligentiam, quâ publica negotia feliciter
velociterque exequitur! Ad omnes alvei angu-
los, velut ditionis suæ terminos, subindè cir-

cum ſpatiatur Rex, caſtigat ignaviam, probat diligentiam, inſpicit laborantium operas, ordinat curas & diſpenſat, ad omnia undique munia promptiſſimus. Non attingam, neque poſſum, in tanta rerum copia, ſingularem regis meliſſei prudentiam, quam ſatis omnibus hæc commendat reſpublica. Temperantiam, fortitudinem, magnanimitatem ejus nominâſſe ſufficiat? Sufficiat, hoc unum addidiſſe, quòd hic Rex, quantum ſuis civibus imperio antecellit, tantum & virtutibus præluceat. O verè exoptatum principem, qui non magnus magis & venerabilis, quam bonus & amabilis audire deſiderat! Quem prodeuntem certatim, velut ſalutare quoddam numen, aſpiciunt ſubditi, & alterni judiciis ambigunt, Dominum ſalutent, an Patrem? MAJUS quiddam eſt, (ut magni viri verbis utar,) quam imperiti ſuſpicentur, cui ſum rectum, in undoſo illo regnorum mari, tenere, & in ſumma fortuna ventis non abripi licentiæ. Quàm multis virtutibus opus eſt, quibus, velut arceoris, navis firmetur imperii! quam variâ prudentia, quâ, velut clavo gubernetur! Quemadmodum in homine, ex imperioſa animi malitiâ aut bonitate, corporis pendent ſtudia: ita IN Repub. principis mores, ſubditorum excipit obſequium & imitandi ſtudium. Optimus itaque cum ſit Rex apicularum, non admirum, quod civibus quoque optimis gaudeat, in quibus iis gradibus, eô numero, propriis ſubditis virtutes videas, ut iis ſimiles in hominibus

bus (quorum tamen pace iſtud dixerim!) optandæ magis, quam ſperandæ videantur. Amor, fides, pietas in regem, certiſſima obſequii argumenta, ſubditarum apicularum tanta ſunt, ut nunquam ſatis afferri, nedum efferri poſſint. Certant ſingulæ, certant univerſæ de obſequii gloria! ubi, bombo imperatorio, ad tubæ imitationem, ſuſcipiendis & deponendis laboribus ſignum datur, promptitudinis certamine altera alteram impedit. Citra imperium etiam, quæ ſui ſunt officii, exſequuntur ſtrenuè, laſſum regem humeris excipiunt, pro vita illius mortem obeunt promptiſſimè. Sic Regi ſuo obedientiſſimæ, tacentes clamant, bombilantes intonant, & accuſant peſtilentiſſimos multorum ſubditorum mores, nullamque ipſis virtutem convenientiorem docent eſſe, obedientia. Sociant ſe tantæ in apiculis virtuti varia reverentiæ genera. Cum in publicum Rex prodit, denſo eum agmine, quaſi ſtipatores & cuſtodes corporis Regis, cingunt. Quælibet ſe propiùs admilli & comitatu, & officio eſſe deſiderat. Omnes, mores ſuos, ad obſervantiam ſui Regis, ſtudioſiſſimè componunt. Ad Domini præſentiam (quis credat?) omne aculeorum ſuorum robur reprimunt, ut, quemadmodum ſolis adventu ſtellæ, lucem ſuam licèt habeant, habere tamen non videntur: ita, convenire inferioribus præſentis regis poteſtati cedere, exemplo ſuo monſtrent. Statuite Vobis, A. ante oculos laborioſum apum examen! videte, quàm ſolicitè omnes, nul-

la ætatis exceptione, laboribus sint deditissime! Quas non miretur tantam, in agendo, industriam? Non remittunt enim de ea, non otio supino interrumpunt labores; sed continua & æquali sedulitate sua exsequuntur negotia. Non alius illis laboris, quam diei, terminus est, neque ullum diem, si per tempestatem modò liceat, (quanquam leviorem contemnant,) desides elabi patiuntur. Tres anni partes sedulitate sua exhauriunt; quartæ partis otium non ipsis; sed austeritati frigoris imputādum est. Quid? quod & divisa foris & intus sunt officia! Seniores, ætati parcentes, in alveari operantur; juniores, longioribus apti profectionibus, intra quinquaginta circa alveare passus, suam exerunt diligentiam. Cum ad operas provolant, aliæ flores aggerant pedibus; aliæ aquam ore, guttasque totius corporis lanugine apportant: aliæ, spreta oneris gravitate, totæ sub ejus mole teguntur; aliæ, eadem incurvatæ, ad alveare redeunt. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ & exonerant: intus aliæ struunt stipantque: aliæ suggerunt: poliunt aliæ, aliæ cibum, ex eo, quo allatum, præparant. Omnes in opere cernas; sed non eodem, & eadem tamen diligentiâ! Ad mortem usque pungendo castigant in fucis ignaviam: tantum otii odium, tantus laborandi ardor est! O si utrumque inter homines, inter rei familiaris curatores, occurreret? non ita furta, rapinæ, non infinita alia, injusta subtrahendi sua aliis, genera passim infestarent Rempub. quorum ma-

malorum, si non unica, præcipua tamen causa est, ignavia. Ab ingeniosissimis naturæ scrutatoribus, & hujus mehsseæ civitatis lustratoribus observatum est, non eandem omnium subditorum esse conditionem; sed, ut in bene constituto regno amat fieri, in varia officiorum genera eorum divisa esse studia. Neque eam quisque cellulam occupat, quam casus offert; sed prudentissimâ ordinatione suos quæque ætas circulos inhabitat. In medio, propter Regiam augustam, Seniores sunt, & regem stipant: juxta has natu habitant minimæ, quæ annum nondū excesserunt; adolescentiores verò, & ætate cōfirmatiores, fines Reipub. tuentur, ut robur suum quibuscunque invasionibus opponant. Quis Seniores apes, omni ex parte intimæ admissionis Consiliariorum naturam, referre inficiabitur? Ejus sanè ætatis suos quoque hic Rex esse vult consiliarios, ex qua prudentissima, felicissimaque exspectantur consilia: eo loco sedes suas obtinere, ut ad nutum sint præsentes, cum celeritas negotiorum publicorum exigit: cum in finem præsentes esse, ut suorum monitorum face undique præluceant. Hoc enim consiliariorum providorum officium! hæc in regno utilitas est. CUM in principe consultæ rationis usum impedit affectuum impetus, ipsi medelam afferre solent efficacissimam. Cum, ad curandas simul omnes regni partes, nequit se extendere regiæ prudentiæ acumen, socia illud diligentiâ adjuvant. Quis alia ipsorum enarret

aut exornet commoda ? Prudenter autem i
tantillis quoque animalculis natura , uti sent
&utem consiliis sacram fecit; sic ætatem firm
oretn, ad defensionem Reipub. ordinare vo
luit. Et ex his statio interdiu ad portas, more ca
&troruni: ex his una dormientes, quam primu
luceſſit, bombô excitat, ut non modò civiu
officia negotiaque : sed distincta etiam distri
&tis accuranda hîc occurrant. Quis credat fa
cile ? A. verissimum tamen est, legatorum quoq
instar reperiri in apiculis, non ad vicina quide
imperia; sed ad ulteriora pabula. Cum enim, a
marâ suâ diligentiâ , propiorum florum co
sumserunt copiam, à Regia Majestate ad loca a
lia legati mittuntur, quas putares, quasi cum ne
vis pacisci pabulis, ne quid desit, in quo suam
exercere diligentiam, unde reipub. suæ ærariu
locupletare queant. Quid ergo est, quod a
Reipub. constitutionem, sive determinationem
formæ, sive dispositionem partium, sive ord
nationem officialium respicias, desideres ? Imô
leges desidero ! regerat quispiam quas quide
si tollas ex repub. Solem ipsum ex mundo sustu
lisse videberis. SALVA certè sine illis nulla e
se potest. Fateor hoc, A. & ita, in hoc rerum pub
mundanarum turbine, fieri, doleo, quam ipsa
sæpe legum multitudo graviorem efficit. Bea
tior apum est respublica : sine legibus salva fe
lix & incolumis persistit. Quid enim legibus
quibus comprimendæ libidines, castigandæ in
justitia, exstinguendæ lites, quid opus illis est, de

qui-

quibus horum vitiorum ne suspicio quidem
potest concipi ? INDICIUM corruptissimæ
reipub. multæ leges ; felicissimæ hujus nullæ.
Certè, ut pharmaca non nisi morbidis dantur
corporibus; sic leges non feruntur , nisi variis
vitiorum generibus devenustatis civibus. Sed
quid nullam hujus Reipub. legem dixi ? Ha-
bent, habent legem certissimam, firmissimam,
efficacissimam, quam non didicerunt, accepe-
runt, legerunt; verum, ex natura ipsa, arripue-
runt, hauserunt, expressérunt, ad quam non do-
ctæ; sed factæ; non institutæ; sed imbutæ sunt.
Hujus legis dictamine tranquillissimè apiculæ
vivunt cum sociis , obsequentissimè in regem
diligentissimè omnia in commune conferunt,
ad officia strenuè peragenda incitantur, sine in-
vidia, sine avaritia. Hujus legis imperio laborem
non ex privato tantùm usu & necessitudine
metiuntur; sed partem bonorum & laborum
ad ærarium deferunt Principis. Nulla prorsus,
nulla in illis sequiorum affectuum vestigia in-
venias: placidè inter se concorditerque victi-
tant: una; sed laudabilis admodum in iis est æ-
mulatio: Certant enim, quæ plus laborare, plus
opibus communibus emolumenti, spontaneo
virtutum cultu, afferre valeat. Quam feliciter
hæc apum solidatur Politia, quæ ejusmodi su-
stentatur columnis ? firmamentis nititur? Sicut
autem ea votorum humanorum avaritia est, ut
quæ magna diligentia paravimus, diu quoque
retinere desideremus; ita etiam polita & politi-

ca hæc animalia, constitutam prudentissimè rempublicam, similiter conservare studeant. Idcirco, IMPERIUM facilè iis artibus contineri intelligentes, quibus primùm partum est, suam quoque, ut virtute & prudentia formârunt: ita sedulæ administrationis, masculæque defensionis opera conservant. Mutuis, ante omnia quidem, pietatis officiis se prosequuntur; nulla hujus virtutis caret gloria. Grandiores tenellæ prolis impotentiam ab aliorum defendunt injuria, aut illatam vindicant acerrimè; inprimis sedulam in educatione curam adhibent, ut statim ad laborem assuefiant juniores. Hæ verò, velut ad referendas gratias, non in vivas tantùm; verum in ipsas quoque mortuas officiosæ illas obsequio; has dolore pio, & exsequiarum honore prosequuntur. Sed quid hanc in seniores juniorum pietatem laudo, cum ea totius sit examinis. Unius enim mortem omnes lugubri dolore mœstoque prosequuntur silentio, & quadam funebri quasi pompâ defunctam exportant, ut omnes atque singulæ in quamcunq; sociam, hoc pietatis officium exerceant. Nec ullam ab hac pietate morbi periculum, non ignavia, aut demortui contemptus, non infinita alia, quæ hominem revocare quotidie consueverunt, revocant. Quid de justitia subjiciam, virtutum ad sustinenda imperia potentissima? in hac certè melissea Repub. in omni statu enitescit maximè, ut nesciam, an virtutis hujus gloriâ ullum aliud animantium genus, cum apiculis, com-

comparandum sit. Mirum est, quod de ratione puniendi fucos apiarii referunt: cum, excubias agentes apes, fucos, alvearium vastatores, deprehendunt, verberant eos primùm modicè & leniter, expulsosque alis, in exsilium projiciunt. Sed hac pœnâ, licèt alveari expellantur fures, ingenio tamen illorum furandi cupido non expellitur. Pigri & voraces sunt. Quamprimum igitur ad florum castra apes exeunt, intrant illi, &, quod suum est, faciunt, voracique ac furaci ore, dulcissimos thesauros depopulantur. Quid verò reduces ex pastione apiculæ? cum incidunt in eos, non ampliùs leniter verberant, ne intempestivâ sua clementia æternos sibi alant raptores; asperè in eos ruunt, fortissimis aculeis prædones pungunt, acriter macerant, ut gulæ nimiæ pœnas vita ipsa persolvant. O castigationem prudentissimam! O pœnas longè justissimas. Sed hoc ridiculum fortasse & incredibile multis, non mirabile tantùm, quod de mirabilibus apicularum actionibus propono, accidet, cum supra naturam earum & supra omnem fidem esse videatur. Fateor, Auditores, puerilium nugarum postulari me posse, si talia, ex poëtica quadam dicendi aut fingendi libertate, in Magnifico tantorum virorum consessu, effutirem; sed cum autoritate præstantissimorum scriptorum nixus, quibus etiam in obscurioribus fidem denegare nefas, ista hæc afferam, quid defuturam orationi meæ apud Vos fidem metuam? prodeat enim ex multis, sapiens ejusmodi miracu-

raculorum in hac Politia teſtis , Ariſtodemu
oicam, an Ariſtomachus ? (hoc enim nomine
Cicero, iſto ipſum Auguſtinus notant,) qui an
nos ſexaginta nihil aliud egiſſe dicitur , quam
ut, diligentia continua, naturam apicularum in
veſtigaret! Prodeat in medium Menus, ex Sam
nitibus, qui quamdiu vixit , hujus animalcul
cognitioni fuit deditiſſimus , & ſtudio ſuo hæ
omnia curatiſſimè perſcrutatus eſt ! Prodea
Senator ille Romanus, cujus induſtriam com
mendat Plinius, qui, conſtructo ex cornu poli
tiſſimo pellucido alveari, hujus Reipub. natu
ram & arcana cognoviſſe dicitur ! Cùm autem
nulli unquam creaturæ tantum robur ſit, ut as
ſiduis ſufficiat laboribus , apes quoque noſtræ
imbecillitati ſuæ, otiorum negotiorumque v
ciſſitudine opus eſſe intelligunt. Quæ verò iſta
minimè tamen otioſa, otia? Juſta laborum par
te defunctæ, ludicræ exercitationi dant operam
in ſpatiorum locum evolantes, gyris variè for
matis, modò concurrunt, modò in longè diver
ſas partes abeunt modò altiùs ſe extollunt, mo
dò præcipiti lapſu deſcendunt, quaſi umbrati
cis certaminum præludiis, ad graviora, ſeſe pra
parent. Ita cum otioſæ ſunt, minimè otio
ſunt: cum à labore ceſſant, labores exſequun
tur longè digniſſimos: quod tempus viden
perdere, perdunt minimè. Non enim inanes
turpes luſus, qui levem & ſolutum ; ſed qui fir
mum reddunt animum, corpusque vegetum, &
ad bella pacisque ſtudia promptum faciunt, i
ſti

ſtituunt. Et illud quidem ipſis tempus relaxati
onibus ſacrum eſt, quod prandium antecedit,
quod ſapientioribus ad otioſam corporis mo
tionem exiſtit commendatiſſimum. Prudẽtem
verò hujus Politiæ defenſionem, quam & mu
nitionibus ſuis, & animosè geſtis bellis, nos do
cetit ! Homines , cum validiſſimas in fini
bus arces exſtruunt , munitoſeſe putant com
modè: quot verò, & quàm variis muniendi ra
tionibus hoſti, ad melleum hoc regnum, aditum
intercludit apicula? Non enim illud tormento
rum ictibus, aut ſubitis hoſtium incurſionibus
pervium eſt : imò clauſa undique & firma om
nia ! Aditus ſtruunt peranguſtos, & ita quidem,
juxta artis architectonicæ arcana, ad civiles bel
licasque actiones accommodatos ſtruunt, ut ci
vibus exitu faciles ; hoſtibus aditu ſint difficilli
mi. Quid? glutine quoque exarborum ſucco,
reſinaque tectoria , tam ad aëris injurias arcen
das, quam ad veſpas, ſcarabeos, aliosque mellis
populatores avertendos, arctiſſimè ſtipant, ut,
connexione mutuâ , omnes favi ſolidiſſimè fir
mentur. Num ergo unquam quippiam quietem
illarum conturbat? Imo conturbat quippiam !
Non libido quidem, non luxuria, non avaritia,
non dominandi cupido , cauſæ bellorum inter
homines notiſſimæ : tam profundas enim con
cordia, in illarum natura, radices egit, ut ea non
niſi ad tollendas diſcordias interpelletur. Cum
igitur duo vel plures in Repub. illa , ex infelici
regiæ prolis ubertate , occurrunt Reges, plebs

in

in tot partes abit, quot haber capita. Crescenti-
bus partium studiis, æmulationibusque, dissen-
siones oriri, etiam inter quietissimas, quid mi-
rum est? Proinde ut maneat Respub. unum ca-
put, vel minùs glorioſum ducem tollunt è me-
dio, vel aperto Marte contendunt. Sed brevio-
ribus & lenioribus, quia inter cives, conflicti-
bus. Rex enim ille, in cujus partem inclinat vi-
ctoria, ſive civili ſanguini parcens, ſive tranquil-
litatis ſpe contentus inducias infeliciori offert.
Mox inter ſe amicè paciſcuntur ut, relicto pene
unum regno, alter, comite juventutis copiâ, te-
gnum aliud quærat. Sic omnia tentat potius,
quam ut confusè aliquid in ſua ſieri Repub. pa-
tiantur. Felicius adverſus externos hoſtes pu-
gnant, non tam viribus ibi, quam prudentiâ mi-
rabiles. Imminet bellum? Velut illud præſagi-
entes, omnia providè ordinant. Adeſt hoſtis? in
regni viſceribus cum non exſpectant: relictis
præſidiis loco ſenioribus, eas, quæ ætate &
corpore valent, velut exercitu, alvearii portâ e-
mittunt, ubi per vices excubias agunt, & quam-
cunque de hoſtis adventu ſuſpicionem, aut le-
viſſima quoque indicia, bombo indicant, ne
hoſtis aſtutiâ & celeritate circumveniantur.
Cum ad martiæ tubæ imitationem bombus au-
ditur, omnes ſua exacuunt ſpicula, lacertos
aptant, commaſculant alas: denſa cohors, inclu-
ſo, magnarum gentium more, Rege ſuo, magno
edito ſtrepitu, cum hoſte coit, & tantâ irâ, pro
ſuæ Politiæ conſervatione dimicat, ut in confli-
ctu

ctu non tantùm victæ; ſed & victrices cadant
glorioſiſſimè. Pro Regis vita quæque ſubdita-
rum, cum in ea & ſuam & omnium eſſe putet,
mortem obit præſentiſſimam: ictibus regio im-
minentibus corpori, ſua objiciunt, ſuâ morte
regem vivere ſupra omnem putantes gloriam.
Hæc, hæc itaque togata & ſagata virtus Mella-
riæ hujus reipublicæ felicitatem conſervat diu-
tiſſimè! Hæc, hæc conſtantem ſervat ejus glori-
am. Quemadmodum verò multum regnis in-
crementi, ex territorii, quod habitant, ubertate
accedit: quis enim primam in colenda urbe? loci
curam eſſe neſcit? ita ſedes quoque commoda
multum poteſt ad augendam hanc rempub.
Nulla ſpes amplificandæ ejus eſt in locis borea-
libus, qui vel gravium ventorum impetu, vel
prata deprædantibus animalibus horrent: Hæc
certè, ſi quid aliud, fundi melliflui ſunt calami-
tas: fatigant enim vires miſellarum apum, omnē
exſtinguunt diligentiam. Supra omnium verò
vota & exſpectationem floret creſcitque apia-
rium, in locis quietis & ſalubribus, in locis, ubi
limpidi fontes ſcaturiunt, ubi obvia ipſis florum
& umbrarum copia blanditur, ubi omnia cir-
cumjacentia ſunt apibus gratiſſima. Quantos
hîc mellis ſuaviſſimi theſauros congerunt?
Quantas ærarii ſui divitias? Cum vero in his
omnis magnitudo imperii poſita non ſit; ſed ad
regni quoque amplitudinem, pro virili conten-
dere cives deceat, ſuſcipiendæ proli ſtudent no-
ſtræ apes maximè, ne hanc æternitatis ſpem, hoc
afle-

asserendi ab interitu regni sui medium omittat
Expectatis forsan , A. ut susceptionem prolis
melissæ vobis explicem? Nullus possum! Ad-
miranda est in castissimis animalculis, quæ, om-
nium mater, natura, non in sexus distinxit, & ta-
men sine omni maris fœminæque commistione
tam fœcunda fecit. Ex tantis certè, tamque soli-
citis arcanorum hujus Reipub. scrutatoribus,
nullus est, qui satis hoc potuerit detegere. Unus
ex ipsis Romæ quondam, pellucidi alvearii be-
neficio, apiculas ex massulis rondis, quas impor-
tant gallinarum more incumbentes, alias pro-
ducere animadvertit ; sed quantum potuit,
quantum autem potuit ? jactent hîc acumen
suum curiosi, qui arcanorum regni divini ratio-
nem undique exigunt! intendant aciem ingenii
politica, & de arcanis imperiorum anxiè disce-
tent! quicquid hîc & ibi egerint invenerintque
melissæ quidem monarchiæ abdita non facil
unquam scrutabuntur. Hac itaque tam stupen-
da, & singulari, suscipiendæ prolis ratione, tam
fœcundæ exsistunt apes, ut omnes alvearis partes
& angulos impleant, ut cultissimam & popu-
sissimam reddant Rempub. Sed periculosa
accidit nimia civium copia : onerosa regno est
locus culturæ sæpe tantam multitudinem non
capit. Idcirco Rex non diu eam fert in alveari
sed partem populi in alias regiones mittit. Op-
mo sane consilio ! Si enim omnes exonerandæ
Reipub. rationes conferimus, honestissima sa-
nè & utilissima est, coloniarum deductio. Hui-

Romæ

Romæ , cujus imperium totus ferè adorabat mundus, suam debet potentiam. Colonis devictas gentes in obsequio continebat : Coloniis urbanæ plebis vires, ne seditionem excitarent, exarmabat: in colonis cuique honestam colendi vitam facta est copia. Et hæc tam prudens extendendi imperii ratio in Politia quoque nostra non modo frequentissima; sed aspectu quoque jucundissima est. Quàm egregiè instituitur? Postquam de migratione constitutum est in Regis consilio, ecce provolat, cum Duce, ætatis illius examen ; sed quod mutandis sedibus & profectionibus commodissimum, & grato suis valedicit murmure. Tum erranti per aërem volatu , modò longa tractim emetiuntur spatia, modò in confusos circulos se globant, hinc inde divagantes, donec, perspecta loci alicujus amœnitate invitatæ, arbori se cuipiam applicent. Quid hic providus agricola ? cum videt adesse hospites amabiles , hospites utiles, omnibus membris ab aculeis illarum tutis, facie oculato tegmine velata, sonoro instructus instrumento, accedit , & larga manu meliphylla & cerinthas spargens, sono apiculas detinet. Ipsæ , muficæ dulcedine captæ, ut nobiliores solent animi, ubi hærent, sedem figunt: excitato interim fumo oculorum usum bonis adimit apibus agricola, fallitque earum in custodiendo rege diligentiã. Regem verò , quem corporis prodit majestas, de repente capit: hunc alveari inclusum omnes, omnes, sponte suâ, sequuntur apes subditæ, ut &

in prosperis, & in asperis ejus sint comites, ut
cum libero liberæ, cum capto captæ maneant.
Sic igitur ex uno alveari, ceu metropoli quadam
coloniæ plures exsistunt! Sic unum alveare, tam
quam mater, multas filias circumspicit, unde
ceram, unde mella, usibus humanis destinata
copiosè possumus depromere. Quæ felicius
unquam exstitit, amplificandæ politiæ ratio
Quid tam prudentis amplificationis cogitatio
ne dulcius? Ut verò tardo motu, per grada
quosdam, ad felicitatis cacumen perveniun
imperia; ita iisdem plerumque solent decresc
re, & morbis suis infestari. MAGNUS reipu
morbus est, si civilibus motibus concutiatur
his ipsis nostra quoque politia interdum est o
noxia. Plures quandoque reges surgunt, ut ji
dixi: insociabilis autem eorum est societas; qu
mirum, quod intestinis bellis affligant Re
pub.? quod dulcissima mellificandi studia,
nec ponantur, impediant? Imò ipsa mor
formarumque inter cives hujus reipub. diver
tas fribusculum quandoque excitat. Sed qua
tilli sunt hi nostræ Reipub. morbi, si funestis
mas illas pestes expendas, quæ vix illius alig
relinquunt vestigia? Ursus, horrendus ille sil
rum incola, ad cujus memoriam nos homin
etiam, quid de scitissimis nostris animalculis
cam? horremus, cujus consternamur aspec
qui quicquid capit, voracirati suæ immola
Ursus iste, cum exuriente stomacho ad hanc
nit Rempub., quam infelici rictu eam perdi
qua

quam horrendo in eam saltu ruit? quam iratis
unguibus distrumpit urbem pacatissimam? Evo-
lant quæ possunt, apes, pugnant in hostem; sed
inutilibus aculeis: frustra pungunt pertinacem
vastatorem, pleræque lamentoso clamore im-
plent omnia; pars Regem suum quærit; sed ne-
quicquam quærit! Ursus uno raptu multi tem-
poris destruit operas, tot uno hiantis oris hau-
stu enecat, alias in famelicum demittit ventrem:
multæ semivivæ circa horridam raptoris bar-
bam hærent, aliæ voraci ori excidunt. Quid
multum? nulla tantæ sævitiæ evet sio, quam hu-
jus Reipub. facilè occurret. O miserum apicu-
larum fatum! O dolendum interitum! Quid hic
ursus aliud, quàm truculentus in repub. tyran-
nus, qui modò tectis; sed scelestis tamen, artibus
eam exstinguit; modò apertâ sævitiâ & in subdi-
torum bona, & in eorum corpora immani de-
bacchatur impetu! Quanquam furum quoque
malitia hanc non labefactet tantùm; sed exstir-
pet sæpe Rempub. Diripiuntur thesauri dulcis-
simi autolycorum manibus: trucidantur omni-
um ætatum cives; non ordini, non ætati ulli par-
citur: funestis cædibus implentur omnia. Inte-
rire autem florem ac honorem hujus Politiæ, si
furtivis impetatur insidiis, apud omnes constat.
O si semper tuta, esset ab ipsius apiarii avaritia!
quæ, cum necessarium apiculis quandoque ci-
bum subtrahit, illatâ contristantur injuriâ, fame
pereunt, vel impetum in proximos faciunt al-
veos, rapinæ proposito, ut inter homines solet

fieri. Cum enim, præter miseram vitã, nihil subditis relinquit regum rapacitas, rapinis latrocinii sque victum quærunt, aut, si hæc non sufficiunt, profugiunt, seditiones movent, in scelera feruntur omnia, & ancipiti rebellionis eventui vitam committunt. Quantum autem perturbationis mors Regis, huic apum Reipublicæ infert? Quemadmodum, amputato capite, anima ex corpore humano discedit: ita rege apum submoto perit ordo, qui anima imperii, perit imperium. Mors regis mors est melissææ Reipub. Tantum enim luctum tantam tristitiam universa civium multitudo, ex regis morte, concipit, ut vel hæc sola universas possit enecare. Commune statim & triste est, per totum alvearе, silentium: à labore, tristi torpore, cessant omnes omnes lugubri solùm murmure, circa corpus regis, glomerantur. Id circo multitudinis oculis, à prudentioribus subducitur, ne, ad conspectum regis exanimes, inedia & mærore contabescant omnes apiculæ. O subditos fidissimos! ita viventem amărunt regem, ut sic mortuum doleant! Quem putatis, A. in tanto luctu, ad redimendum regem, omnium esse animum? Quæque libentissimè, si possit, regis cadaveri suam inspiraret animam: imò vel mille civium uni regi suâ morte vitam quærerent. Quod si in dolore isthoc perseverant, labor omnis, omne studium mellificandi interit: ipsæ passim diffluunt apiculæ, & in varia loca dilabuntur. Sic extinctam videtis tantam Rempublicam! Sic

Rempub. cum rege mortuam doletis! Nimirum, HOC commune est imperiorum omnium fatum, ut ultimus eorum terminus sit eversio: unicum hoc est, in quo imperia, felicitatis gradibus diversissima, conveniunt. Ubi est Respublica, quam non interrupta constantia, à mundi primordiis ad hæc nostra usque secula, servata est. & licèt talis forsan esset, num de duratione, usque ad mundi interitum, certa esset? Ubi est splendor Assyriaci imperii? Occidit! Ubi monarchica Persici regni eminentia? nihil modò præter ejus memoriam, supereſt? Græciæ monarchiæ decus in eodem homine & natales, & mortem ferè habuit. Nescio sanè, an quicquam possit esse alteri similius, quam Græciæ & melissææ Reipub. exitium. Postquam Alexander Magnus mortuus esset, primo ploratu lamentisq; & planctibus tota personabat regia. Mox, velut in vasta solitudine, omnia tristi silentio muta apicularum more, torpebant, ad cogitationes, qualem habuerint regem, dolore conversо. Quidam doloris magnitudinem non capientes, vagi & furentibus similes, totam urbem, luctu ac mærore compleverant, nullis quæstibus omissis, quos in tali casu dolor suggerebat. Nisi grave fuerit A. renovate vobiscum præteriti luctus, inter apes, memoriam, & cum hoc conferte. Idem omnino dolor est, eadem utrinque causa. Accedit ad similitudinem doloris, quod, ut nullus Alexandro successor inveniri potuit, quippe nulli pares tantæ moli lacertos natura

concesserat: ita in hac quoque Repub. exstincto eo, quem ad imperandum natura fecit, nullus quandoque vicem ejus subire potest. Quid igitur ex regis morte aliud restat, quam interitus? Ne verò, cum uno apum rege, omnes pereant cives, aut sua sponte, aut manu apiarii provida proximis miscentur alveis, ut ita gentes diversissimæ iisdem legibus, eodem coalescant imperio. Sed quid adversus truculentam ursi tyrannidem nostras satis asseret apiculas? Quis dubitet, cum hanc Rempub. adversus rapaces fures manus satis muniet? Nihil fateor, satis asseret, nihil satis muniet. Interitui cum sit obnoxia hæc apum Respublica, ex istis sæpe malis patitur. Quid nnim tam malitiosæ potentiæ, tam potenti malitiæ objicerent apiculæ? Ferendis iis, patienda iis sunt, quæ nulla prudentia, nulla potentia possunt evitari. SIC exitiosa semper est imperiis perfida aliorum potentia! Sic imperia non rarò tyrannorum arma innocentissimos populos exstingunt! Sic apicularum quoque interit Respublica, quantamcunque in eadem asserenda, solicitudinem patresfamilias adhibeant. Vobis autem, A, quàm admiranda in hac Repub. melissea videbuntur omnia? Quæ unquam politia se cum hac conferre facilè audebit? Cujus unquam solidior exstitit fundatio? Quæ conservata melius? Quæ citiùs crevit, aut felicius? O incomparabilem omnium potentium in hac repub. felicitatem! O pæne divinam in ea prudentiam! Quis dici posset, addidit quædam hujus imperii arcanis, philosophandi subtilitate, aut ingenii felicitate, quorum minimam partem investigare valuit? Neque ego mihi tantum tribuo, ut exhausisse omnia hujus Reipub. ornamenta, aut immensam ejus amplitudinem sermone meo complexus esse videri velim. Eam modò attigisse partem, pace Vestra, ausus sum, quam ingenii, & orationis meæ infantia capere potuit. Quantarum verò in apiculis virtutum admiratio subit animum meum, cum ex Repub. illarum discedo? O vos, castitatis miracula, quæsita per omnem ætatem illibatam hanc servatis, ut purissima dici animalia mereamini! O vos exempla diligentiæ, quas nullæ voluptatum dulcedines, nulla otii suavitas, aut operum gravitas, à constanti labore abstrahit! Amazones hortenses estis, magistri artificiorum architectonicorum, magistri fidei & industriæ, magistri providentiæ cautissimi, à quibus scientissimi quoque rerum civilium magistri multa possint discere. Quid? ministri nostri estis seduli, & tanta nobis, sine tamen sumptibus, præstatis commoda. Equos, canes, aliaque nostris usibus devota animalia quæcunque alere oportet; sed apiculæ, laboriosissimæ illæ apiculæ, beneficentissimæ apiculæ, sibi ipsis de nutrimento, sine omni quoque florum detrimento, quos velut osculo delibant, prospiciunt, ut nobis & de cibo, & de potu & de medicamentis, & de aliis, juvandæ vitæ mediis, prospiciant. O Deus, quantam sapientiam in his bestiolis!

quantam noſtri curam! quantum diſcendi materiam oſtendis! Adeſte vos, ignava terræ pondera, qui aliorum diligentiâ vivere conſuevistis! videte apiculas diligentiſſimas apiculas, & imitamini! Adeſte vos, rebelles animi! ab apiculis debita in magiſtratum veſtrum obſequia, & egregia morum præcepta haurite! Adeſte vos, injuſti ſodalium erinacei! fraternam ab apiculis ſocietatem, non leoninam, diſcite. Sed quid ad abſentes mea excurrit oratio? Tibi jam corona juvenum ornatiſſima, Tibi hæc caſtitatis miracula, hos modeſtiæ magiſtros, hæc exempla diligentiæ commendo. Agnoſcite hinc, quid ad prudentiæ civilis ſacra contenditis, veras prærendi imperandique rationes! Immittite ingenii veſtri ſagacitatem in hanc ſapientiæ politicæ abyſſum, ut ex ea theſauros obſervationum hauriatis maximos! Ecce magiſtros politicæ apiculas! oſtendunt formam Reipub. præſtantiſſimam; docent illæſam majeſtatis ſanctitatem: virtutes Regis atque ſubditorum diſtinctiſſimè exprimunt: Conſiliariorum & officialium ætatem, ſedes, munia ex quo demum ſceptores cognoſcemus meliùs, quam in hac Schola politica? Omnia hîc ſine voce, ſine libris, ſine diſputationibus, & tamen fideliſſimè propenuntur. Ex voto ſanè & conſervant, & amplificant imperium, qui ad apicularum imitationem conſervant & amplificant. QUÆ enim fulcimenta Reipub. natura, ſive Deus potiùs, monſtravit in apiculis, virtutum nempe diligentiæ pru-

prudentiæ, quis firma ſatis eſſe, atque ſolida inficiabitur.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

INGENTIS ANIMI SPECIMEN EST, AMORE VIRTUTIS TRAHI EXTRA PATRIAM.

Hinc ſuum celebrat Archombrotum Barclaius, juvenem virtutum omnium experimentis inclutum: hinc alios ad idem ſpecimen inſtruit. Nimirum trahi decet juvenes ad decus natos extra patriam; non evolare ante tempus. QUANTA *enim hæc temeritas, implumes adhuc nubibus miſceri aviculas? idoneis doctrinæ & morum donis viduos peregrinari pueros? Nondum his virtutum amor in medullis hæret & viſceribus: non ſatis eas capiunt, aut capiũt. Diſcurrere, vagari, nummos perdere, nugari, caput atque cauda inſtituti ipſorum eſt; aut, ſi omnino audent aliquid, athletis, ſaltatoribus, chironomiſque totos mancipant. Alia Archombrotorum, hoc eſt, juvenum eximiorum, peregrinatio eſt. Nôrunt illi, & expendunt ſecum genuinam ejus metam: quæ verò illa? variarum rerum eſt cognitio: cognitionis,*

actio: actionis, DEI gloria, qui hanc vitam viam esse voluit peregrinantium ad aliam, & salus patriæ, quæ ex cubilibus emittit suos; sed ut meliores postea recipiat. QUID autem aliud, quàm necessarius virtutis amor tales reddit, & prudentia? conciliari etenim hæc potest ante prudentiæ annos, si, cum Homerico Vlysse, multorum mores hominum cognoscant & urbes: non leviter tamen; sed serio, ut judicanda videant & audiant: ut visa & audita judicent. Quàm latus undique discendi campus patet? modò diligentia, quæ sola fructum dat itineris, accedat: modò, ut Apelli nulla dies sine linea: sic nulla studiosis sine observatione transeat. Quin imo urbes, viros, mores videant, & quid hos, illos, istas servet aut corrumpat hominum observent vitia, ut sua corrigant: virtutes, ut imitentur, &, alienæ fortunæ arbitri, fabri fiant suæ. O si recto semper studio! UBIQUE suæ τοῖς spinæ sunt: legere illas, neque ab his lædi, magnum Dei beneficium: plures semper ab his saucii ingentibus se damnis afflixerunt & suos. Sic enim fieri consuevit: FACILLIME peregrinas culpas imbibimus, sive quia novitate blandiuntur nobis, sive quia specie virtutum. Neque mirum isthoc! IN qua gente vitia increbuêre, mores postea vocantur & seculum, neque modò in veniam veniunt; sed laudem. Vnde autem firmum contra talia scutum, nisi à Virtute? hæc aures obstruat, ne pateant Sirenibus: hæc mentem muniat adversus Circes carmina; sed cum sancto Pietatis cultu SINE isthac certè virtus virtus quoddam est, cum bonis aliis: quantumcunque au[gu]natum eas fuciant, Pietas, bonorum caput, ad salutem adhi-

benda est. Plaustrum vide in declivi! sufflamen illud retinet, aut sistit: sic pietas animum præcipitem, si constituta semper ante oculos. Quot autem sunt, qui parum curæ in hac cura ponunt peregre? qui circa Dei sui cultum malè cespitant? qui in syrtes captionis adversariæ abstrahuntur? Accidit hoc inter callidos peregrinorum venatores, in primis illos, qui orthodoxis rogos offerunt quandoque pro hospitiis. Et hîc tamen multos procax stimulat cupiditas, ut sacris se ipsorum misceant: ut frequentent processionum pompam; ut ad suspiciendum Italorum vice Deum curritent. Quò verò isthæc tutò faciant, timor; sed quem sibi ipsis malè creant, hîc lustralis aquæ usum; ibi genu flexionem imperat idololatricam: timor emtos à sacrificulis libellos, rosariáq; in itinere commendat, ut scilicet ab orthodoxæ veritatis suspicione prorsus liberentur. DEVM immortalem! quàm insana & profana hæc est simulatio? NON caret utique periculo, frequentius iniquitatis mysteria visere: subdolo devotionis minio se adornant, ut in admirationem quoque incautos rapiant. Hinc delectatio ex illis, quâ se parum Servatoris sui probris affici ostendunt. gestu potius & nutu, verbis factisq; adhinniunt. NEMO unus dixerit, verè amare Deum suum, quid dicam timere? qui hac simulatione Dei hostibus applaudit, & colludit. Numpater hoc in filio; in servo Dominus: amicus in amico probet? Domi latuisse præstaret, quàm in hac periculapræcipitem dedisse miseram animam. Quantumcunq; obdurescant malis istis hypocritæ: quid? licet infelicitate aliquandiu premantur θεομαχοῦντες,

qua

quæ inter homines; sed jam non homines, suprema est, aderit tamen, aderit profectò dies horrida: vocabuntur tales ad tribunal mentis suæ: (exempla ipsi novimus,) accusatrix, rea, testu, judex, carnifex unus ipsos erit sauciata sæpe conscientia, væ æternum ingeminans! Ecquid tunc obtendent? intentionem suam? sed illius crustâ non velabitur infame scelus: interiorem pietatis cultum? quasi cultum Satanæ mentiri liceat in corpore, Dei servare in corde: brevitatem temporis? sed momentò etiam magna patrantur scelera: ingens commodum? quod verò tantum, pro negando coram hominibus Deo-homine, fingi potest? hîc autem nullum est ad fines istos, quos peregrinationi magni viri statuunt: nullum ad salutem patriæ: nullum ad DEI gloriam. O miseros, qui ista nesciunt! miseriores, qui scire negligunt! miserrimi, qui cum Epicureis contemnunt! Hoc igitur agendum est in locis exteris: DOCTRINA *&* Pietas, *scientia & conscientia simul curanda sunt! Ut enim nautis solitarium Helenæ sidus non placet: Gemini illi sunt, qui, cum apparent, tranquillum iter nautis nuntiant: sic ista duo securos præstant juvenes, inter tot peregrinationum fluctus. Macti ergo felicitate vestrâ, quotquot, specimen ingentis animi daturi, amore virtutis extra patriam, ad utriusque cultum, trahimini! Tempestivè hoc agetis & prudenter: sobriè & studiosè versabimini in hac palæstra, duce pietate, comite solertiâ, satellitibus Gratiis. quas ubi Musis socias habueritis, quàm amicis reduces excipiet amplexibus patria? quàm blandò cultu firmamenta sua deosculabitur? Quod ipsum quidem pluribus, Oratione*

tione de Regimine Peregrinationis concinnatâ, explicavit nuper Iuvenis Nobilis. JOACHIMUS WITTINGIUS, *Revaliâ-Livonus, quam cum sq. d. 31. Ianuar. volente Deo, ex memoria sit redditurus, omnes Musarum nostrarum Patronos, Fautores, Cultores humiliter, humaniter, amicè oro rogo, ne nostris interesse sacris, & splendore suo illustrare illa dedignentur, ingentis quoq; animi specimen statuentes, optabili præsentiâ amorem virtutis in juventute alacriorem reddidisse. Dab. Rigæ, in Museo, d. 26. Ian. Anno 1654.*

REGIMEN PEREGRINATIONIS.

ORATIO.

QUANTAM peregrinatio in partes exteras utilitatem, præsertim iis, afferat, quibus amor literarum & virtutis in visceribus ac medullis hæret, vel exinde est perspicuum, quòd ex prudentiæ præscripto, commodè susceptæ, non civilis modò vitæ ornamenta multum decoret; sed, inter alia quoque institutionis politicæ instrumenta, non postremum locum sortiatur. Cum enim duo sint inprimis, quibus ea studiosos sui juvenes ad omnia instituit: alterum,

rum, ut de rebus moribusque rectè judicent; alterum, ut animo comprehensa promptiùs & accuratiùs eloquantur, quantum ad utrumque faciat, non est obscurum. Annon enim studiosa aliarum gentium visitatione oculatior mens accedente pari rerum experientiâ, redditur? Annon, tantas periculorum suorum tempestates secum repetens, multum inde sibi colligit boni peregrinator, ut, si cum aliis postmodum loquatur, auribus subinde avidissimis, comme morantis sermonem omnes excipiant? VIRTUS certè, in illo actionum humanarum theatro, feliciter addiscitur, animus ad omnia egregia excitatur, ut videri mirum debeat neminì quòd SPECIMEN ingentis animi dicatur, a more virtutis trahi extra patriam. Ubi enim Anacharsis Scytha rudes mores exuit? ubi humanitatem & moderationem tota Græcia celebratissimam didicit Alcibiades? Si habenda fides est Historicis, ex præsenti informationis civilis instrumento bona ista hauserunt omnia. Nemo igitur vitio vertat efflorescentibus decus suum animis, si, factis aliquantisper cum patriis latibus induciis, exemplo gravium virorum, admiranda nationum exterarum perlustrent, moresque minùs concinnatos limâ ipsi poliant, in id quidem incumbentes sedulò, ut collectis alibi donis ac bonis, bono aliquando patriæ velificentur. Quanquam plurimi hodie laudatissimæ peregrinationis studium contemptu inimico & odio prosequantur, innumeri fu-

fortunæ telis obnoxium clamitantes, & quod à multis etiam non alio fine suscipiatur, quàm ut oculos hinc inde variis animantium hominumque & aliarum rerum spectaculis pascant, ut letale variorum vitiorum mulsum degustent, & cum diu satis abfuisse videntur, vix quicquam aliud, quàm vestes insolitas, & conscientiam mille sceleribus onustam reportent. O si autem non ipsam reprehensione isthâc notarent peregrinationem censores invidi; sed adhærentia peregrinatoribus vitia! Hominum enim sunt, non studii istius utilissimi. Quod si de malis dicunt apud exteros moribus, malis undique vivitur moribus: domi non minùs libidinis & nequitiæ exempla, quàm foris flagrant, quæ, nisi cautè evadamus, & famæ pariter & virtutis jacturam facimus miseri. Quanquam quis tam moderatus unquam, & ab humanis alienus inveniter lapsibus, qui, à recta interdum probitatis viâ, non exorbitet? Quòd si ergò mala nonnullorum opinio, ex puerili quadam animi mollitie, nescio, quæ damna metuens, laudatissimæ peregrinationis studium non approbat, delitescant sanè isti, ubicunque placet, in fundi sui finibus, inhabitent suas ædes, & quasi claudi sutores domi hæreant! Prudentiores verò, ac curatiùs secum omnia pensitantes, felicissimè non solùm virtutis atque eruditionis comparandæ medium; sed ditissimum etiam honoris consequendi autoramentum esse peregrinationem fatebuntur, modò ex provido intelligentiù

con-

consilio suscipiatur. Et hoc ipsum, quibus mo-
dis, à politioris præsertim literaturæ amatore, a-
gendum sit, brevi jam sermone declarare ani-
mus est. In quo quidem argumento evolven-
do, dum memoria vestra, A.O.O. honoratissi-
mi, per exantlatos strenuè à Vobis ipsis peregri-
nationis labores regreditur, dum in Vobis ipsis
Apodemici regiminis exemplum animadver-
titis, dum illud nobis omnibus ad imitandum
proponitis, favete, quæso, pro benignitate ve-
strâ spectatissimâ, juvenili conatui, juvate timi-
dum orationis meæ cursum, quæ, uti multum
procul dubio, ab elegantia: Sic nihil, quod spe-
ro, ab honestate alienum est habitura. Quem-
admodum adhuc implumes aves, nidos suos
non deserunt, multo minùs vasto aëri corpus-
cula priùs committunt, quam, factô primùm
periculo, idoneas se ad volatum sentiant: haud
aliter accedere ad peregrinandum juvenes o-
portet, ut ex solo patrio non nisi ætate adulto-
ri, moribusque & studiis non nihil exculti, in
partes exteras excurrant. Si enim ullibi locorum
certè hîc aptissimè militat tritum illud: IN
tempore venire, omnium rerum est primum.
Non quidem quinquagesimus ætatis annus in-
stituendæ peregrinationi tam strictè definien-
dus est; Platonem hoc fecisse legimus. Imò, an-
te illum, & potest omninò, & debet ea suscipi:
non tamen à pueris, & qui ex ephebis nondum
excesserunt. Quam enim hoc periculosum est fac-
in illo ætatis flexu, cum nec sibi ipsi frenum in-
jicere,

jicere, nec sine curatore, intra debiti officii limi-
tes, cohiberi possunt? Ne dicam, quod vaga-
bundi tales extra natale solum, dum non nili in
peregrina inquirunt, absentiâ diuturniori, a-
morem in patriam, quem nunquam per ætatem
rectè conceperunt, & laudabiles ejus consuetu-
dines, quas nunquam didicerunt, penitus exu-
ant, plane oblivisçantur. Sit igitur ætas, sint anni
ad peregrinationem maturi, qui tamen non
tam mensium spatiis, quàm adultioribus studiis
hîc æstimari debent. SATIS citò, modò satis
benè ad exteros excurrunt studiosi juvenes. In
regno quidem Daniæ, à Christiano IV. Rege
quondam Serenissimo, inter alias, ad rem litera-
riam spectantes leges, illa quoque constituta
est: ne quis, præsertim ex Nobilibus, ante no-
num & decimum ætatis annum Regno egredi-
atur, quò, priùs in Patria consummatior reddi-
tus, aliàs nationes brevi tempore, paucioribus
nummis, & majori cum fructu invisere queat.
Et quis de successu meliori dubitet, si quis inter
Musas patrias solidioris eruditionis fundamen-
ta prius ponat, si concinniori morum cultu
mentem excolat, quàm inconsulto ad alios im-
petu abripiatur? Non sentimus tamdiu gravis-
sima sumtuum onera; ipsi suâ sponte Parentes
nostri portant: non fatigamur expensarum cu-
ris, nostris eas relinquimus, quibus aliàs inter
exteros tantum non conficimur, hilarique pa-
tentum benignitate destituti, auxiliatrices alio-
tum manûs, (modò semper tales offendantur)

humiliter imploramus. Quemadmodum navi-
gatio directionis ope, necessarioque apparatu
destituta, non vada modò syrtesque; sed infes-
tas quoque piratarum manûs horreat neces-
sum est: Sic extra fines patriæ, sine commodo
virtutum subsidio, sine confirmatæ ætatis præ-
sidio, abeunti, ferocissimi profectò mentium
bonarum hostes metuendi sunt, ne, viribus ad-
huc ad resistendum imparibus, infeliciter suc-
cumbat. Cujusmodi quidem peregrinationis
intempestivę fructûs, tristes illos atque miseros
nulla non ætas habuit, ut, de quibus spes conce-
pta erat, fore, ut Agamemnonis alicujus aut A-
chillis personam sustinerent reduces, perdit-
ætatis vere, post annos plusculos, Therside-
quendam domum reportarent. Taciturnitat-
velò alia irreparabilia incommoda obumbre-
cum tempus, studiis honestis, exercitiis neces-
riis impertiendum, intempestivis discuration-
bus ambagibusque itinerum ab intempest-
peregrinationibus consumitur. Nolite, Audi-
ditores, inutiles hîc expensarum profusione
aut res multo parentum sudore, multa indu-
stria quæsitas ad calculum vocare: ab imperi-
peregrinatoribus tam facilè perduntur, quæ
difficulter quæri solent. Et quæ præterea inca-
tiores ab hi non adeunt pericula, cum nunquam
satis ea declinare didicerint in patria? Meriti
crebra parentum de his sunt suspiria! insomn-
meritò eorum de ejusmodi filiis solicitudine
quas inter varia sibi incommoda figurant, pe-
perum

perum discessum acerbè; Sed justo tardiùs do-
lent, & tristi animi præsagio miserè excrucian-
tur. Quid ergo est, quòd, incunsulcâ animi libi-
dine abrepti, evolamus, prius quàm & cura & in-
spectione nostrorum ad solidiora efformati su-
mus? Tum demum juvenes, extra patrium so-
lum, periclitari varios peregrinorum more su-
militer posse, prudentes judicant, cum, variarum
cognitione rerum, inter suos culti, nullam am-
plius discendi occasionem inter Musas patrias
animadverterint, cum alias iniquitatis quod-
dam & ingratitudinis specimen sit, optata pa-
triæ subsidia negligere, ut alibi cum periculo,
cum duplici incommodo quærantur. DUL-
CEDO terræ patriæ vivendi in ea cupidinem
concitat, quidni & studendi? præsertim, si poli-
tiori literatura decoratos viros ea nutriat, qui
cupidos juvenum animos, ad verum eruditio-
nis cultum, possint excitare, tamdiu nempe ibi,
sub conspectu parentum commoraturos, do-
nec, de communi saniorum consilio, ad uberio-
rem literarum mercatum, aliò dimittantur. Et
sic tandem, ex opulento patriarum Musarum
contubernio, abeuntes, variisque ingenii, do-
ctrinæque præsidiis instructi in oculis atque a-
nimis exterorum ferentur! sic gloriam & lau-
dem ubique obtinebunt! SED usitatum est
mortalitatis vitium, admirari absentia; quæ an-
te pedes patria posuit, licet optima, fastidire,
seu, quòd omnium rerum desideria langueścut,
ubi vicinitas & occasio facilitatem utendi fecê-

re, seu, quia non tam expetimus videre, quod, quoties placuerit, posſumus, longinquorum nimis curiosi. Cum in pleno victoriarũ cursu versaretur Magnus ille Alexander, major certè futurus, nisi voluisset esse maximus, cupido ipsum inceſſebat peregrinandi, q̃ non injustam quidé, intempestivam tñ vocat elegantissimus Historicus, q̃ bellum imminens eidē tempus eximeret. Eadem fere multorum juvenum, in pleno studiorum cursu versantium, conditio est. Ecce & illos non injusto quidem; sed intempestivo proficiscendi desiderio sæpius accendi videas, antequam bellum, cum crassiore ignorantia, cum affectibus in patria suis quadantenus absolverint, antequam celares illos, & fluctuantes animi motus ad rectam rationem formare didicerint. Sed hîc aliquantum posse debet aliò se collaturus juvenis, & simul profectus qualescunque feciſſe in illius gentis lingua, quam aditurus est, ut saltem alios intelligat. Nisi enim tantum possit, non tam ad scholam Politicam, quam ludum Grammaticum mitti videbitur. Qua in re subsidio esse fidelis comes potest, utriusque fortunæ socius, talis nempe, cuiadeundæ regionis conditio & lingua populi jam tum innotuit, ut speratam propositi frugem ex voto assequatur. Hic utique multorum te favori gratum reddet: nullæ latebræ, nulli in itinere offerentur oculis receſſus, quorum conditionem aut pericula, peritus comes, recordationis beneficio, non aperiat. Et quî quæso, sine illo, quæ spectatu digna, quæ utilia cognitu, relinquenti primùm cubilia patria studioso, innotescent? Quis amicitias? quis contrahendæ familiaritatis commercia fideli socio fideliùs aperiet? Haud sanè scio, annon sine hoc adolescentes, ceu cucullati, peregrinaturi sint, ut vix, inter peregrinos, prospectare audeant. Non explicabo hîc orationis cursum, Auditores ut infinitas vobis utilitates alias, ex ejusmodi societate sperandas, recenseam. Ipsimet, in utraque fortuna, maximas animadvertitis. Infesta illa est? solatium habemus. Favore nos exhilarat? Gaudii habemus participem, ex quo illud ipsam duplicari, mirabili modo, nemo non experitur. Volumus præterea in morum cursu amicè moneri? amicum habemus socium, magistri alicujus instar, quem, virtutibus illustrem, nemo satis laudaverit. Hîc, præguſtatis fortunæ acerbitatibus, illarum flexus, variosque ambitûs provida mentis solertia, inculcat, ut, cum severa fronte curas volvimus, cum consilia cum animo agitamus varia, non minùs sedari, quàm fideli socii fidelis consilio dirimi possint. Quis tam animosus viator, tam audax horroris contemptor, qui solus proficiscens, tetra noctu nemora, abditasque spelæorum tenebras non extimescat? Cordato verò cum socio qui fuerit, faciliùs quemcunque liorrorem poterit superare. Idem de periculis peregrinationis, de variarum in ea curarum tenebris dicendum est! OPTIMAM profectò non itineris modò, sed & vitæ supellectilem sibi com-

paravir, qui amicos sibi tales paravit, quorum, præsertim in re incerta, ope & consilio plurimum subinde indigemus. Nec sine gravi causa Poëtarum prudentissimus Æneam suum, peregrinis in locis versantem, nunquam describit sine comite Achate, homine nimirum, prout nomen indicat, constantissimis curarum vigiliis intento, cujus in solertia maximam felicitatis suæ partem collocavit. Mirum hujus societatis, mirum hujus ex societate utilitatis exemplum in Elephantis etiam consulti naturæ ostendunt. Soli quidem non ambulant; sed hoc inde non sentiunt commodum, hanc percipiunt utilitatem, ut mutua in periculis sibi præstent subsidia. Cum enim venatores fossas, ad capiendos ipsos factas, levibus sarmentis tegant, sæpè accidit, ut Elephantus incidat. Quid verò hîc socius? succurrat misero, hinc inde lapides lignaque in fossam congerit & ingerit, ut, aggesto ita tumulo, exire illapsus possit. Quot ejusmodi periculorum fossæ peregrinatoribus ubique fodiuntur? Quot insidiæ ipsis struuntur, ex quibus vix aliquàm socii fidelis, opera emergere ac eluctari possunt? O insignem ergo ex societate istiusmodi utilitatem, modò talis sit, unde bona illa expectes! Nec enim omnes eo sunt ingenio, quos cepi fideles tibi socios adjungas & comites. Imò fugiendi semper sunt ad somnum & pandiculationes nati, fugiendi licentiæ alumni, quorum contactu optimi quique inquinantur & pereunt. Quantâ verò hîc cautione opus est? NUL-

LUM facilius, quam in pellaces hujus mundi illecebras, præpositum, quibus incauta juventus, tanquam loqueis, irretiri solet, nisi pectus virtute imbutum, & sacro quasi præmunitum clypeo habeat. Sed de contagione societatis improbæ, ecquis tanta erit facundia, qui satis possit dicere? Gravior est, quàm ulla pestis, violentior quàm cujuscunque morbi impetus! Multa interim, si non omnia, illius mala, socii fidelis opera, vel vinci posse, vel vitari apud exteros, vel saltem minui, haut absre statuerim. Quisquis ergo iter sine comite hujusmodi suscipiet, idem sapientibus videbitur facere, ac si, altera manu domi relicta, ingens alibi opus suscipiat. Cum verò præsenti seculo, quo vix ullum pluribus restagnavit vitiis, inter rara fortunæ beneficia comes iste, quem laudavimus, referri debeat, sive habere illum possimus, sive non, comes tamen necessariò esse debet, cujus beneficio Homericus Ulysses tantas passim, in peregrinatione, difficultates superavit. Horridos illos Cyclopis specus introivit, sed regressus est: solis boves vidit; sed abstinuit; ad inferos demeavit; sed ascendit; Scyllam præterna vigavit; nec ereptus est; Circes poculum bibit, & homo mansit: Sirenes audivit; nec accessit. Tot horrenda ductu comitis illius felicissimo subiit! tot adversa superavit! Quæ demum lingua invenietur, quæ utilem hujus Ulyssææ comitis necessitatem, quæ necessariam utilitatem dignè explicet? Si diductis verborum spatiis illius beneficia proponerem,

rem, si exquisitim singula percurrerem, finis sa-
ne dici, quam dicendi se priùs offerret. Quinimò, si quis hanc à peregrinatione sejungeret, ipsam à collega laborum suorum animam sustulisse non immeritò diceretur. Cogitationes, nisi fallor, jam percipistis, Auditores, Minervâ esse, sicut Pater sapientiæ, poëtico cam ritu, nominat; sed, ist hoc nomine, prudentem cautionem designat. Hæc quidem studiosum peregrè versantem instruit, quem habere locorum delectum oporteat, ubi sedem studiorum quàm commodissimè figere expediat. QUÆ enim tam beata gens? quæ tam felix regio, quæ felicissima uni loco ingenia includat omnia? Diffudit ea & sparsit in omni mundi tractu sapientissima Dei œconomia, & hinc inde artium & disciplinarum divisit seminaria, ut nihil antiquius studiosum habere oporteat, quàm, juxta studiorum metam, sedem sibi Musarum ex illis commodam eligere. UT enim non omnis fert omnia tellus: ita non omnis studendi locus æquè celebris ac utilis propositio nostro accidit. Quis superiorum facultatum tractatori autor sit, ut in illis locis hæreat, ubi homines, ad rixas nati, mutuis se, de hæcceitatibus, Petreitatibusque conficiunt jurgiis? ubi subtilissima quæque, si Diis placet, clamosis disputationibus evolvunt, aut miserius impediùr? PERIT, perit profectò, inter vitilitigationes nimias, eruditionis spiritus, qui omnem disciplinarum partem debet animare. Prudentiæ est, ad ejusmodi properare Musarum epulas, quæ & saturent animum, & ad propositum verè ducant, verè reducant! Ibi summa vitæ dux & facultas omnium præstantissima, Theologia, magis floret: hic Juris & æqui moderatrix, jurisprudentia, majori studio tractatur: illic Medicina tabernam velut suam præ aliis explicuit: alibi masculum Philosophandi studium floridius exercetur. Quis, destitutus comite prudentia, divagetur promiscuè? Quis, primo statim extra patriam cursu, ad heterodoxas scholas contendat? SATIS enim tristia occurrunt exempla, qui cum, non satis ante jactis eruditæ pietatis fundamentis, ad venenatas illas domûs properârunt improvidè, sinon penitùs jacturam animæ fecerunt, conscientiæ saltem sibi notas inusserunt periculosissimas, à quibus vix satis unquam potuerunt liberari. Magnum procul dubio comparandæ doctrinæ medium est instituta cum bonis doctisque viris conversatio! Quot enim thesauros legere, & recondere quotidie poteris latentium literarum, si, eorum consilia studiis adjungens tuis, à manu ductione ejusmodi felicissima pendeas? Hic enim utile de studiis tractandis suggerit judicium: ille dubia huc illuc animum trahentia eximit: iste ad utiliùs perlustrandum utiles autores facem præfert: alii aliis profectûs tuos adjuvant commodis, modò, ex prudentiæ præscripto, cum iisdem versaris. Nec enim visitandi tantum sunt, apud exteros, egregii viri; sed, captata commodûm occasione, consulendi quoque de obti-

nenda eruditionis & virtutum gloria ; imò
modestè possit fieri, notanda in iis alia, quæ
ipsis referuntur, utrum famæ, ficta sæpe ver
admiscendi, satis respondeant. Profectò, si nihil
aliud prodesset studiosis aliarum gentium in
spectio, quàm ut cum eruditis passim amicitias
inirent, ut cum iisdem conversarentur, mirum
quantum prodesset. Quid enim est, quo sapien
tes fiunt? Respondet Divinus Plato: SAPIEN
TUM consuetudo est, quæ plerumque plus va
let, quàm diuturna librorum lectio. Sicut qui in
unguentariis tabernis vivunt aliquamdiu, odo
rem loci secum auferunt: ita quibus commer
cium est cum eruditis viris, addiscunt semper a
liquid, quod illis vix putantibus est usui. Quid
quod ab ejusmodi viris egregium felicitat
provehendæ subsidium, abeuntibus etiam, im
petrare liceat, commendatitias videlicet, ut vo
cant, literas, ad ejusdem genii viros, quorum a
libi favore felicissimè juvare possint. Sunt sanè
certi ritus, sunt certi hominum mores hic vel
lic, quos videre, quibus assuescere expedit: ne
mo in his observandis meliori esse poterit cu
piam subsidio, quam quos isto sibi modo juve
nis peregrinator conciliavit. Quanta verò cum
eruditorum consectari amicitiam, tanta neque
orum aversari studioso convenit, ne paulatim
pravos mores in suos adoptet, & ejusmodi pe
riculorum includatur Labyrintho, ut ne ipse
quidem Ariadne miserum possit educere. Mul
torum sæpe risui peregrinator, inter extera
expo

exponitur, quos inepta forsitan exoticæ linguæ pronunciatione provocat? Quid, præter prudentem tolerantiam, apponat? Magno enim hic cavebit studio, ne in calamitosæ vitæ scopulos, excandescentia improvida, impingat. Improborum sanè consuetudinem planè fugere vix licet, vix socios vitare aut comites, qui in pocula & libidinem proni, qui in vindictam inconsulti & faciles aut aliis vitiis devenustati sunt. Quo precor alio, quàm providæ cautionis clypeo, inter tales tutus erit, ne laudatos vitæ patriæque mores, profusa malorum luxurie, in se corrumpi patiatur? Cautè omnino vivendum ei est, cui omnino inter malos vivendum est, cui nulla vitandi mali cōsortii affulget occasio: robusto præcipuè stomacho ei opus est, sed non tam ad cōcoquendam ciborum sæpe oblatorum duritiē, quam ad ferendam morum sæpius morotum varietatem, ut cum omnibus quietè & placidè saltem; si non amicè, vivat. Terentianus ille Simo, filium suum à conversandi peritia commendans, exemplum nobis in præcepto, præceptum in exemplo proponit inquiens: SIC vita erat facilè omnes perferre ac pati, cum quibus erat cumque una, iis se dedere, eorum obsequi studiis, adversus nemini. Nunq; præponens se aliis. Ita facillimè sine invidia invenias laudem & amicos pares. Quidni cōmendaret hunc vivendi modum Sosia? Sapienter vitam instituit! subjicit. namque hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit. O verè Pamphilos futuros,

turos, qui hac conversationis via inter peregri-
nos insistunt! qui, dediti modestiæ, omnium
virtutum parenti, favorem omnium merc
gaudent, eximiasque exterorum voluntates sib
devincere! NON minùs honoris & gloriæ fa
ma, quam concordiæ & amicitiæ laude apu
omnes florebit, qui fraternam unanimitate
majoris, quàm tacitas discordias æstimat. Sue
sæpè insulsi inter exteros, qui nimiùm acerbis i
alios facetiis jocantur: quid facias? HONE
STÆ tibi famæ majoris sit præconium, quàm
ut majorem in te provoces impetum. Cautè d
aliorum aculeis factisve judicare, aures ad ver
tosas ineptias obthurare, optimum adversus
lia remedium. Nec enim barbaros & effronte
æmulemur sanniones, mala malis, vitia vitiis au
gentes. SCOMMATA sæpe spreta evanescun
siirascaris, agnita videntur. Ubique igitur ex
emplum nobis optimi esto, quod Ulysses fec
Sit comes nostra Minerva illa, dum ad uberio
ris literaturæ mercatum proficiscimur, sit caut
prudentia, ne furorem incurramus hominum
Cyclopicorum, ne subdolarum conversatio
num scyllâ abripiamur, ne Sirenum, hoc est, vo
luptatum cantibus decipiamur, in vada atque
scopulos à recta propositi nostri via deferen
Estote prudentes sicut serpentes, & simplices s
cut columbæ, Salvatoris nostri ad discipulos
imò studiosos quoque alios, monitum est. CO
LUMBINA enim simplicitas, prudentiæ a
juncta serpentinæ, sic hominem tempera
fal

fallere velit; hæc illi addita, ne falli possit. Facit utriusque consortium, ne prudentia inversutam improbitatem, nec in stoliditatem simplicitas degeneret. Utraque enim, nisi modus adsit, in exitium verti potest. Quis enim nescit, quod plerumque candidos, & apertæ simplicitatis amicos in fraudem illici contingat? quibus certè oculo serpentis opus in corde columbino, ut, sub quocunque prætextu, obrepentium malorum temeritatem premant & reprimant. SIMPLICITAS astù benè fermentata triumfat! Atque hæc bene observata, licèt ad studiosæ peregrinationis regimen faciant, non tamen omnino ei propria sunt, nisi peculiariter in studiosis requisita industria jungatur. Non omnia sunt assecuti juvenes, qui cum socio, qui tempestivè, qui prudenter etiam peregrinas regiones invisserunt; industria inprimis & indefessa ingenii vigilantia requiritur, ne in turpi sese otio, præsenti parentum curæ subducti, volutent, & nummos tantum per libidinem, per luxum, per aleâ corrumpere, sui esse officii arbitrentur. NISI attentus, nisi industrius, nisi cupidus eos discendi animus comitetur, parum commodi in patriam, parum ad suos ornamenti referent. Ita enim anseres peregrinantur, satis quidem tempestivè, nullis stipati comitibus, imò satis, ut ajunt, prudenter, cum Taurum montem ad effugiendum aquilas, recepto in os lapillo, transvolent, quo ceu freno vocem compescant, & hostium suorum sedem tacitè transeant. Anseres

tamen

tamen quales abierunt, revertuntur! Rectiùs priſco & noſtro ævo peregrinati ſunt magni viri, ut nempe inter meliora verſarentur ſtudia, & doctores ſapientiæ: ut ab aliis quæſita diſcerent: ut nondum inventa quærerent: ut, quid fugiendum faciendumve, indagarent. Talis quondam peregrinator in juventute Pythagoras fuit, cum egregia ſtudiorum cupiditate incenſus, Ægyptum peteret, & præteriti ævi Sacerdotum commentarios ſcrutatus, plurimorum ſeculorum obſervationes notaret: cum ad Perſas abiret, ut à ſapientiæ Profeſſoribus motûs ſiderum hauriret. Nec alia magnis viris, Platoni, Democrito, & reliquis mens fuit, qui, poſt multas peregrinationes confectas, ſolici, ad utilitatem ſuam omnia induſtria converterunt, & amabili literarum ſplendore decorati, patriæ in primis, & toti mundo gloriæ fuerunt. Laudabile ipſorum inſtitutum quis non imitari conetur ſedulò, qui gratiſſima honoris obtinendi cura tangitur? qui alacri mente ad eruditionis gloriam adſpirat? Miſeros verò juvenes, qui, per quascunque regiones & urbes, temerè circumvehuntur, & ſine ſtudiorum cura, ſine meditationis induſtria, ad peregrinationis ſuæ ſcopum toto animo non reſpicientes; ſed ſibi tantùm ipſis, & otiis blanditi, huc illuc ſeſe periculosè conferunt. Aliud ab ipſis exigit Seneca, Belgicus, Lipſius, aliis ille limitibus, neceſſariam peregrinatori ſtudioſi ſedulitatem, circumſcribit, ut omnia in ea non cum voluptate ſolùm, ſed cum fructu in-

primis fiant. VAGARI enim, luſtrare, diſcurrere, quivis poteſt; pauci indagare, diſcere, proficere, quod eſt verè peregrinari. Nemo igitur, dum varias terrarum regiones longo curriculo metitur, ſuis deſit commodis, nec peregrina poſtmodum virtutum & elegantiarum documenta pigra oblivione intercidere patiatur. Ut agricula ſemen in agris, quod ſparſit, ſi non multo labore, multa cura ad ſegetem perductum fuerit, fruſtra ſe culturæ operam impendiſſe ſentit: ſic virtutum ac doctrinarum ergo peregrinati juvenes, diligenti cura ſemina, animo collecta fertili, non foventes & tempus, & omnes peregrinationis fructus perdunt. Plura ſemper, ad excolendam mentem, quam ad oblectandos ſenſus referenda ſunt, ut prudentiæ augmentum, ut ſplendorem ſcientiæ, ut culturam morum, cum laude & gloria, in patriam, nobiſcum referant. Quid multis? Laborioſos eſſe hîc omnes oportet, rogare, notare, diſponere, quæ audiverunt, viderunt, didicerunt. Ecce ſedulam apicularum induſtriam! quàm frequentes, ſereno cœlo, in campis circumvagentur, quam ſtudioſè hortos pervolitant, quam promtè molles flores carpunt, & confectum è variis ſuccis mel, in ſuis alveis diſponunt, ut inde hominibus, & ad voluptatem, & ad neceſſitatem inſerviant! Eâdem curâ ſtudioſi quoque juvenes terras alias, eâdem ſolertiâ emetiantur, ſapientiæ ſuccos & dulces virtutum flores delibantes, ut & moribus, & artibus exculti, in patriam

triam reversi, blandâ suorum acclamatione ex-
cipiatur. Sic, sic optatam contingent metam
sic omnium applausu honorabuntur reduces
sic patriæ saluti posteà inservient! NON vaga
bunda nugatio, non stentorea vociferatio, va-
rias parentum impensas refundunt, qui sæpe ge-
nium ob liberorum curam, fraudant, imò assi-
dua in studiis industria juvenibus curæ esse de-
bet, ne munificam eorum benignitatem disso-
luta protervia remunerentur. O felices illos stu-
diosos, qui his modis, in studiorum stadio, pe-
regrinationem & instituunt, & absolvunt! q
tempestivè, qui cum fideli studiorum vitæque
socio, qui cautè ac prudenter, qui diligenter
dulòque res ibi suas tractant! Agite hoc Com-
militones optatissimi, qui istud animo propo
tum concepistis, &, ad colligendos nobiles vir
tutum & doctrinarum thesauros, egregium pe
regrinationis studium amatis, & æstimatis! agite
hoc acriter, sub patriarum Musarum auspiciis
alacriterque animos, ad summa quæque nato
excolite, judicio parentum, patronorumq
vestrorum vitam ordinate, ut ex omnium bo-
norum voto, ad uberiorem studiorum frucd
capiendum, alio conferre vos possitis. Profect
si, Deo gratiam suam largiente, tam felicite
hoc stadium aliquando decurreritis, quanto
cum patriæ, quanto cum parentum, & fauto
rum applausu revertimini! Reduces amba
ulnis pia complectetur patria nova scilicet fel
tatis suæ incremcuta: lætissimo, inter tripudia
vultu

vultu parentes & fautores desideratissimos a-
moris & favoris sui fructus suscipient. Ipsi, Ju-
venes, amicissimi ipsi vos, suavissimis comitati
Gratiis, ejusmodi conscendetis honorum fasti-
gia, unde collectos ahbi thesauros, in bonum
publicum, cum æterna nominis præclari gloria,
poteritis dispensare.

PROGRAMMA INVITA-TORIUM.

MULUS PERSA.

*Sic Cyrum, conditorem Monarchiæ Persicæ, voca-
vit Nabuchodonosor, cum, saucius furore, clama-
ret ex palatio: instare malum Babyloniis, cui aver-
tendo neque Belus, neque Beltis ulla sufficiat! ventu-
rum esse mulum Persam, usurum Chaldæorum genio-
rum commilitiô, sub jugum coacturum terræ Domi-
nos, ut ipse fiat. Cyrus factus est! Sic vocavit ipsum o-
raculum, quod scisciantibus: quamdiu Lydorum re-
gnum flore suô gavisurum sit? tamdiu, respondit, do-
nec mulus sederegni Medici potius esset. Cyrus potiu
tus est! Quæ autem nominis non adeò venusti ratio?
tum minus casto sanguini natales debet? mulos e-
nim appellamus quoque spurios, qui, velut isthæc ani-
malia, non suô genere nascuntur. Sed à sordibus ejus-*

modi alienus est heros maximus. Mandanem, Medorum Regis filiam, matrem: Cambysem, obscurum quidem; sed honestum virum, patrem habuit. Tam dispar matrimonium hoc muli nomen Cyro indidit! Sic unô animô & calamô scriptores! Sed quid obstat, quin nos aliunde titulum hunc eruamus? Cyrum mulumq; inspectemus accuratiùs? Mirum est, si quicquam aliud, quod tanta muli contra amorem efficacia, ut pulvis, in quo se volutat, corpori adspersus, tollere ardorem ejus, aut minuere saltem, statuatur. Quam concinnè igitur, ab hoc tenerrimo affectu alienus, muli simulacrô, muli nomine notari Cyrus potest? Mallem alia de eo scribi posse omnia, nec vel calamum, vel chartam maculari scelerum relatione. Mulus fuit juvenis hic nepos Astyagis, alienus ab amore, præsertim in avum & Regem suum. Quæ, bone Deus, & qualia in ipsum molitus est? Cogita crudeles currus Fullia in Servium: manûs Aristobuli in Hyrcanum: Selymi in Bajazetem: Sanctii in Laymem, & illius, qui post Clotharium patrem, vivus, cum uxore liberisq; & domo, exustus est: ad Cyrum inde respice, vix mitiora ejus in avum & Regem sive consilia sive facinora videbis. Parum erat illi, rebellia concipere consilia; parum, rebellibus accedere subditis, & infelix oleum affundere igni: totius gentis Persicæ fidem fraudulentis arietat machinis: à Rege ad se missas fingit literas, quibus subdole in ipsum fraudis ignaros concitet. Quid? dehortantem a proposito scelesto bonum senem ludit procaciter, & quod grande prorsus, & malorum, ut sic dicam, malum, armis parricidialibus non regno tantum ejus; sed & vitæ,

vitæ, cujus prope certum in acie periculum, imminet. Quid gravius in avum nepos? quid dirius in Regem subditus tentavit unquam, aut potuit? Fateor: peccârat antea in Cyrum Astyages, & peccârat graviter; sed præter votum, duobus lusus somniis, ut fata averteret; sed sint ullo Cyri incommodo: crevit hic in puerum, virum, Regem; sed aliquandiu. Deprecatus certè culpam statim est à Cyro cognito: avus & Rex tantus à puero subditoq; deprecatus est. Annon satis castigavit se ipsum ad honestatis normam rarâ hac in tanto Dominatu modestiâ? ô si ornatus ipsâ Cyrus memor sui fuisset muneris! in mentem sibi revocâsset illud Poëtæ: AMES *parentem, si æquus est: si non, feras. Hoc, hoc nepotis fuisset sobrii! Non excidisset animô Historici monitum:* BONI *principes votis expetendi; qualescunq; tolerandi sunt. Hoc, hoc fuisset obsequi periti subditi! Quid tam profundô clavô fixum animo ipsius hæret cogitatum avi scelus? cogitatum fuit; sed emendatum quoque fuit. Demus Cyro, ulteriùs in ipsum processisse metum Regis non injustum: nunquid par pari referendum fuisse dicet?* REGES *principesq; amandi sunt ultra privatas necessitudines: morte quoq; nostrâ servandi cæteros servantes Domini. Sed mulus erat Cyrus, alienus ab amore: omnia in ipso jura exstinxerat ambitio: non de tolerando; sed tollendo: de feriendo; non ferendo est solicitus.* ET *tales sunt vindictæ cupidi homines: si quid benefacias, levior pluma gratia est: si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt. Quod si tamen avus & Rex lasit Cyrum, quid peccaverat avunculus, Darius Medus? hunc enim filium Astyagis Iu-*

daicarum Antiquitatum scriptor nominat: huic debebatur regnum patris Medicum: quid peccaverat in Cyrum, ut in illum quoq; mulus esset, alienus ab amore, quò & prosequi, & venerari destinatum sceptro principem decebat? Ne nunc tot allegem pericula, quibus se & multos innocentes temere exposuit, suamq; & ipsorum vitam, famam, fortunas ultimo exitio objecit. Mulum enim hîc quoq; dixeris, alienum ab amore, QVI *non provocat mala; sed declinat: imò, cum sua quoq; noxa cautum vult illis solidè, quos amat. Sed quò feror? quid tam graviter in mulum Persam detono? Imò, ut manifestiùs Astyagis in Cyrum: Cyri in Astyagem querimonia pateant, concinnatis à se nuper, studiò laudabili, Orationibus, easdem fusiùs pertexuêre Iuvenes Ornatissimi,* FRIDERICUS JOHANSON & HEINRICUS SEHLMAN, *quorum alter nepotis: alter avi partes, sequenti d. 23. Feb. volente Deo, tuiturus est; sed ex Herodoto, penes quem fides sit illius historiæ. Ego quidem omnibus in illa fidem posse tribui, non facile dixerim. Vos ergo, qui hæc nostra & amatis & æstimatis studia: Vos, summates infimatesq;, humiliter humaniterq; ad hanc aciem invito: audite, quæso, disceptantes juvenes: causam avi nepotisq; dubiam cognoscite: nos Vestris subactissimis judiciis qualequale nostrum, juxta gratam beneficii memoriam, libenter submittemus. Dab. in Museo, d. 17. Febr. Anno 1654.*

INVE-

INVECTIVA IN ASTYAGEM.

ORATIO.

INter alia Tyrannidis funestæ exercitia, quibus Valens Imperator graves turpitudinis notas sibi inussit, primum ferè locum illud obtinet, quòd, cum illum inconsulta quædam cupido incessisset cognoscendi: cui, se non ampliùs tenente gubernacula imperii sint committenda? à Necromantico edoctus, illum fore, in cujus nomine primæ litetæ essent Theod. omnium eorum, qui vel Theodori, vel Theodosii vel Theoduli appellabantur, jugulis cruentum admovere fernem jusserit. Ut enim silentii suppârò involvam, quod, in nefandis his negotiis, consilium Diaboli secutus sit: cujus enim aliâs, quam callidò istius hortatu, tot truculenta, quæ perpetravit, perpetravit facinora? horrenda utique soliditas fuit, è pumice aquam, è mendacio veritatem exprimere, deitatis ahquid sallacissimo Diabolo tribuere. SOLIVS profectò Dei est, futura cognoscere: Dei est, contingentia quasi præsentia perspicere. Quæ verò Diaboli opera? humanæ mentis aciem, in cognoscendis rebus, corrumpere, tenebras subinde tene-

bris affundere, aut periculosis undique perplexiloquiis lædere homines ac ludere. Nec Valentem illum potuit latere, quam severè, licet tardiùs quandoque in ejusmodi superstitiosæ idolatriæ cultores, æternum perituros, Deus, vindex scelerum gravissimus, animadvertat. Imò sensit pœnam illam, cum, à Deo desertus, sub vexillo militavit Satanæ, & tam crudeliter sæviit. quanta enim sævitia est, innocentissimos viros, & inter illos, procul dubio, multos probè de Republ. meritos, tam infami cæde tollere? & eum quidem tollere, qui, ut Imperator, innocentiæ custos & tutor esse debebat? Ast, ò Vertage miserrime! (talis enim altâ voce proclamandus est, qui tam immani atrocitate tot miseros pariter atque fortes viros dilaniavit) quæ te cœpit insania? quæ te invasit temeritas, quòd successorem tuum, signo, à doctore tuo pessimo accepto, voluisti evertere? non ut tu illum; sed ut ille te perderet, celerrimè omnis mali patrem sequebaris. Forsan sitim tuam innocentium sanguine sedare voluisti? Idem voluit callidissimè improbus Tiberius, & propterea, quò efferatam suam crudelitatem, eò feliciùs expleret, in exploranda astrorum & planetarum indole multum olei temporisque consumsit: multos, indagatâ illorum nativitate, si quid excellens & imperii auspicia concernens inveniret, occidit; Galbam tamen, successorem suum, occidere haud potuit. Idem voluit timidè crudelis Imperator, Verus; sed priusquam Avium Cassium

um tolleret, consilium Marci per literas expetiit, qui, ut de meliori luto formatum habebat animum: ita aliori præditus judicio verum, licet Vero illi non satis gratum, dabat consilium, rescribens: SI divinitus cuipiam debeatur imperium, non posse illum, quicquid agat, interficire; simul admonens: in memoriâ sibi revocet solenne Adriani dictum: successorem suum nullus occidit. Idem voluit crudelissimè turbidus Nero. Cum enim multa etiam prodigia cõtigissent, quæ mortem ejus denunciare, ab haraspicibus, dicta sunt, ipse tamen, metuens futuri, hos & illos tamdiu trucidabat, ut vix tandem sanum isthoc Senecæ in mentem sibi revocaret monitum: LICET quam plurimos ferrõ transfodias, successorem tamen non tetigeris. Quis luculenter hinc non videat, faciliùs lumen ac tenebras misceri, quàm eum, quem Deus regio condecorare honore decreverit, trucidari posse? FIXIS rationibus res Dei peraguntur, ne quid in regno ejus temeritati liceat: quod semel fieri decretum est, nullâ potest crudelitate mutari. Cujus rei ne plura alia exempla repetam, aspiciamus impræsentiarum Astyagem, Medorum Regem, impiæ crudelitatis exemplum, quem somnium de filia in superstitionem, superstitio in tantam truculentiam adduxit, ut, cum eodem sibi modò metueret, successorem quoque suum opprimere studeret, ideoque nepotem, ex filia, Cyrum, è medio prorsùs tollere conaretur. De quo ipsius facinore, &

quam funestis modis hoc peregerit, dum dicere incipio, benevolentiam vestram, A. cujus ductu felicissimo, ad optatum portum, provehar, deditissimo devotæ mentis studio imploro. Astyages, Medorum Dominus, homo superstitiosè crudelis, cum nescio quibus luderetur somniis, ac si, ex naturalibus filiæ suæ, vitis, cujus palmite omnis obumbraretur Asia, enascereturque, aliaque provenirent, illico expergefactus de lecto prosiliit, & ex hariolis consultis hoc hausit responsum: ex ea nimirum filia magnæ generositatis nepotem esse oriturum, à cujus potestate ac regimine tota penderet Asia. Quid ipse ad hæc fata? lætari cum deberet, totus tristitia perfunditur; tremor artûs, stupor mentem, media denique quibus fatum luderet fatuus, anxium ejus animum dilacerant. Hæret, &, quid sibi faciendum; num partem sanguinis sui in exilium relegare, an vitâ privare debeat? amente adhuc mente agitat. Sed neque relegationem, neque mortem, cum commodius excogitâsset malum, approbat. Nihil quippe tutius, nihil regno suo conducibilius fore autumabat, quàm ut filiam, ex Ariena conjuge susceptam, filiam unicam, sanguine ortam regio, filiam Rege conjuge dignam, ignobili & obscuro viro nuptum collocaret. O malum verò isthoc generosis mentibus non incommodum modò; sed & ipsa morte pejus! Mors dolorem tollit; variis verò subinde cruciatibus, per omnem vitam, sunt obnoxii, qui, ad summa nati, matrimonio impari mancipantur. Facillimè hoc amorem exstinguit in conjugibus, quo deleto, quid, nisi amatulentia, contentus, jurgia, imò cædes denique, remanent? Unde non minùs verè, quam venustè, quicunque tandem, dixit: INÆQVALITATEM conjugii ergastulum vitæ perpetuum esse, ubi lacrumæ potus, querelæ panis vicem assiduè subeant. Quoties illustri natæ loco fœminæ in hæc verba prorumpunt, ubi impar jugum subire coguntur: Utinam hic mihi dies longè optatissimus illucescat, quo vinculum conjugii nostri, non amoris; sed odii; non lætitiæ; sed tristitiæ nexibus arctissimè constrictum, dissolvatur! Quî enim læta esse possum? quî frenum lacrumis injicere, statum præteritũ si cum præsenti confero? Deliciũ consanguineis erã fragrantissimum: omnes me summo amore & honore prosequebantur; nunc autem vel conspectum meum fugiunt, eò, quod serva illius sim, cujus domina esse: quod dominum agnoscam eum, quem servum poteram habere. Et hunc ego adamarem? hunc æquo ferrem animo? minimè omnium! indignè eo usque feram malum illud, cum generosa Tullia, Servii filia, donec pristinam cum illa dignitatem recuperavero. Hæc enim, cum viro, regii quidem sanguinis; sed cui Servius fasces præripuerat, à patre jungeretur, iratissima proclamabat aliquoties: se feliciùs viduam, & illum cælibem futurum fuisse, quàm, ut impari nubens, alienâ elangueſceret ignaviâ. Si alium dedissent Dii

virum, domi se propediem visuram regnum esse, quod apud patrem videat. Nec mora, nacta Prisci Tarquinii filium, Arunte multum elatiorem, non antea à continuis destitit interpellationibus, quàm in sedem regiam reponeretur, quâ se excidisse, quam diu Regi non esset nupta, arbitrabatur. Haud dissimile infelicis ejusmodi conjugii exemplum ulvilda quoque, Regis Danorum, Hardingi, filia exhibet, Gothurmo, privato viro, desponsata: tristi semper erat animo, frequentibusque; sed ex indignatione ortis, in parentem detonabat quesimoniis, ignavissimum appellans & malignum, quòd, omissa cura paterna & regia, tanti stemmatis & claritatis filiam, in obsoletos & despicabiles amplexus transmiserit. Quas certè lamentabiles querelas, annon & nostra Mandane (sic enim vocabatur Astyagis filia, Cyri mater,) jure ingeminare poterat? Regis erat filia, Regi fuisset tradenda. Quis enim, nisi plane socors, gemmam preciosissimam non aureo; sed orichalceo includeret annulo? Non tulerunt illud generosæ nationes, ad pœnam etiam (quis credat?) suos popposcerunt Dominos, si sanguinem illustrem miscere viliori ausi. Videte, A. & miramini exemplum punitæ ejusmodi socordiæ, quam in Astyage videtis! referunt illud, qui heroum virtutes & vitia fideliter, ad omnem posteritatem, transmiserunt, de Henrico, Duce primùm Carinthiæ, Tyrolensi & Goricensi comite. Hunc enim corona, ad quam evectus, Bohemica priva-

vabant subditi, quod conjugis suæ, Wenceslai, Regis filiæ, sororem, in impar matrimonium Hinci de evercu, ex nobili quidem; sed non ex regia stirpe oriundi, detrusisset: mala certè tanta inde oritura putabant, quanta promerendæ isti pœnæ, pœnæ omnium gravissimæ, sufficerent. Verumenimverò, annon graviora quoque meritus erat Astyages, qui non sororem conjugis; sed filiam, & quidem unicam, donum illud bonitatis divinæ præstantissimum, tam abjectivè habuit? Sed dirioribus sceleribus ad suam & suorum contendebat perniciem! Sicut viator, neglectâ semel viâ regiâ, in periculosissima subinde fertur devia: ita, qui semel virtutis & officii sui semitâ turpiter aberrat, majoribus semper sceleribus involvitur. Quid enim, suscepto jam ex Mandane filiolo, fecit avus crudelissimus? stupendum scelus, A.! Quò minùs funestas ejus manûs effugeret misellus, gravidam adhuc, & partui jam vicinam accersi jussit filiâ, ut partum in conspectu Tyranni ederet. Vix prodierat in lucem, ecce furentem voraci crudelitate Astyagem, qui Harpago, suorum arcanorum participi, calentem adhuc infantulum, minacibus verbis, tradit, &, nisi è vestigio exstingui ipsum curet, mortem ipsi, horridè minatur. Quis unquam simile quid huic sceleri, à bestiis perpetratum, audiit. Tigridis sæva est truculentia; nemo eam potest effugere; suis tamen blanditur. Ursus, præ nimio furore, quę pectore inclusum tenet, obvia quæq; prosterno.

sternit, sauciat, dilacerat; at fœtus lambēdo amplectitur, nutrit, fovet Leonem, belluarum Regem, non attingam, qui, licèt ferocissimus, præter catulos tamen suos, illis quoque, qui se humi prosternunt, neque ad iram illum provocant, parcit. Ast, ô vim crudelitatis incredibilē! quid non efficis, ubi pectus humanum, quale Astiagis, (si humanum modò appellare licet,) occupâsti? Infans erat, impar adhuc ad nocendum, nec pepercisti! Tuus erat, ô Rex, tuoque ortus sanguine, & tamen, ut miserrime trucidaretur, anxiè curâsti! Harpagum tamen adhuc humanitatis sensus tetigit. Non Poterat quidem Tyranni verbis, nec audebat obloqui: dabat fidem; sed inter animi angores, inter Scyllam & Charybdim hæsitans. Quid enim? si injunctum sibi negotium exequeretur, æternam sceleris inaudi ti maculam sibi inurebat, & salutis vitæque amittendæ periculum adibat præsentissimum. Una erat Regis proles, filia, unicum illius filiolum necare jubebatur: ad imperium eam, rege patre mortuo, perventuram haud ignorabat: quis ipsam ultionem, quam à patre non poterat, à ministro exacturam dubitaret? Omitteret autem facinus? vitio quidem immunis, iisdem tamen periculorum fluctibus exponebatur. Quid ergo statuit? aleam fortunæ & vitæ periclitatur: infaniam insania juvare nolens, pastori, iniquissimæ damnationis fulmine prostratum ab avo infantem, ad exponendum tradit. Miserabilem verò miserrimi puelli sortem, cum stupore, animadvertite! Rusticus mollia illius ossa, vix carne lacteâ vestita, brachiis suis includit, & ad silvam portatum infantem misere projicit. Quæ hic caligo? A. Quo in loco sumus? Annon, in nemore isto constituti, lamentabiles projecti pueri vagitûs audimus? Ecce, quam misere manûs expandit? quam se totum, instar vermiculi cujusdam, incurvat? quam avidè digitulum ori admotum, pro mammis maternis, lugit? quam anxiè illas, caput modo in hanc, modò in illam partem vertens, frustra tamen, quærit? Quis calamitosam ejus vicem non doleat? Quis truculentum hujus calamitatis autorem non detestetur? O Astyages, tortora trocissime! Quæ gravitas delicti est in hoc infantulo? adhuc ignarus ejus est. Num projectio, fames, mors iniquissima, q̃ ipsi destinas, sunt sceptra illa, illi fasces, diadema illud, quibus, amore scil. paterno incitatus, nepotem tuum condecorare debuisses? Optandum utique esset, filiæ tuæ, & matris jam mæstissimæ, uterum repagulo sterilitatis perpetuò clausum mansisse! nunquam in abyssum tantæ calamitatis & miseriæ præcipitatus fuisset filiolus, qui inedià, tristi mortis imminentis moià, cum ineffabili cruciatu consumendus lacrumabiliter quiritatur. Sed quò se rusticus abstulit? domum se jam dudum contulit, ut mulieri suæ, ad omnia stupenti, omnia exponat. Et hæc, regiam progeniem expositam audiens, summo eam (uti mulieres solent) videndi desiderio tenebatur. NIHIL enim avi-

diu

dius rerum novarum muliere. Precibus itaque indefessis, pertinaciter insistens, defatigatum virum eo adigit, ut puellum, inter dumeta, vagientem, referat. Quid fit? Mirum enim quid factum est, & quod fidem etiam omnem possit superare. Reversus in silvam, juxta infantulum canem fœminam, parvulo ubera præbentem, & à feris alitibusque eum defendentem invenit. Quantâ hîc misericordiâ, quâ canem quoque motam viderat, & ipse motus est: iisdem igitur, quibus ad necem deportaverat brachiis, susceptum, ad uxorem suam, futuram illius nutricem, nutrice cane prosequente, defert, ut in casâ quidem rustica; sed tuto tamen ab Avi sævitiæ loco, educetur. Ita scilicet infortunio dissipatum, uno Deus momento colligit! Hic statim vigor mentis, vultûs formositas, dulcis denique blandientis infantis aspectus, tantum in muliere amorem excitarunt, ut nihil, nisi salutem ejus exoptans, eò unicè allaboraret, quò servaretur ab interitu. Nôsti, ait viro, & me genuisse filium; sed proh dolor! mortuum: ne igitur in Dominos injurius esse deprehendaris, neque mihi & tibi malè consulas, nostro huic exponendo regale sepulcrum promereare; illius verò, quem solenter educabimus, animam ab interitu vindices. Dictum, factum! permutatâ parvulorum sorte, hic pro filio pastoris educatus; ille pro nepote Regis expositus est. O miram Dei, adversus impietatem Avi, providentiam! Quis credet unquam, nisi unanima historicorum fides testatetur,

tur, tantam iram, tantum odium, in nepotem suum innocentissimum, evomere ipsum potuisse? AMOR alias non vento æstimatur similis, qui ad longinqua fractus debilitatusque pervenit; sed ingentibus fluminibus, quæ, quo à fontibus ac capitibus longiùs recedunt, eo majores volvunt undas, eò amplioribus & capacioribus alveis volvuntur: sic quoque affectus ille, cum ipsa successione, augeri, & major in Avis, quam in ipsis parentibus esse, descendere, non ascendere dicitur. Quod ipsum tamen non nisi de melioribus dicendum, quis non videt? Quis enim non vidit Cyrum nostrum, (sic enim vocatus est,) Avi odio miserè abjectum? Quis calamitatem ejus non deploravit? Omnes quotquot vidimus, deploravimus: quotquot deploravimus, vidimus. O singularem autem istam Cyri curam! Canem conservationis sociam habuit, ut, cum Rex hominis, quid dicam Avi? ingenium deponeret, canis illud assumeret. Dum hæc dico, dum miranda, circa conservationem Cyri, plurima expendo, Habis Curetarum Rex, me vocat, iisdē jactatus cum Cyro miseriis, eadē Dei cura servatus, cervæ quondam alumnus, ut Cyrus noster canis fuit. Illegitimo n. concubitu natus cum fuisset ex Gargoris filia, pudore flagitii ductus Gargor, variis eum modis extingui voluit. Primum igitur omnium illum exponi, &, aliquo post temporis intervallo, cadaver ejus (ut qui, animam eum jam exhalâsse arbitrabatur,) requiri jussit. Cum autem vario ferarum

lacte

lacte interea nutritus inveniretur, tramite an-
gusto, per quem armenta commeare consueve-
rant, eum projici mandavit. Crudelis prorsus,
qui proculcari nepotem, quàm simplici morte
interfici maluit. Sed cum ibi quoque inviolatus
maneret, canibus primò jejunis, & multorum
dierum fame cruciatis, mox etiam suibus objici:
imò cum & ibi non solùm ei parceretur; verùm
etiam quorundam uberibus aleretur, in ocea-
num infantem abjici curavit. Tum verò numi-
ne quodam manifesto, inter furentes æstûs, in-
ter reciprocantes maris undas, veluti nave, non
fluctu veheretur, leni salo in littore expositus
est: quod cum tetigisset, à Deo, (quisenim ali-
unde tam miram conservationem arcessat?) à
Deo quasi missa cerva advolabat, eique sua offe-
rebat ubera quibus à morte jam vicina libera-
tus, Rex aliquando crearetur. Audite verò cer-
vinam educationem, & miramini! Inter cervo-
rum greges postquam diu montes atque saltûs,
nullâ illis inferior velocitate, peragrâsset, à ve-
natoribus Regis, ex improviso, captus, dono
Regi offertur. Et hic nepotem, ex lineamento-
rum similitudine, certisque notis aliis, quas cor-
pori habuit inustas, agnitum, per tot servatum
prodigia, successorem regni destinavit. Tanta
verò postmodum felicitate regni gubernacula
tenuit, ut non frustra, Dei benignitate, tot perí-
culis ereptus videretur. Sic igitur, sic PER an-
gusta ad augusta, per aspera ad prospera, per
horrores ad honores nituntur viri maximi!

Quæ

Quæ autem fata Cyrum avo pessimo manife-
stârunt? Quid ipsum ruri viventem aulæ prodi-
dit? Lusus erat, A. & lusus rusticus, qui ad hæc
ferias Cyrum pertraxit. Ludebat ille fortè fortu-
nâ cum rusticorum liberis, qui inter alia, de eli-
gendo etiam Regulo consilium capiebat. Res,
uti fieri in ejusmodi lusibus amat, ad sortem vo-
catur. Cyrus munus istud obtinet, & strenuè in
se susceptum putat exsequendum, regius ani-
mus! Singulis itaque sua dat negotia: leges de
obedientibus & inobedientibus, quibus isti præ-
miis: quibus hi pœnis afficiendi, prudenter san-
cit. Ne autem lex ejus sine exsecutione, campa-
na sine pistillo, hoc est, nulla esset, aliquem ex
colluforibus, mandatum ejus contumaciter re-
spuentem, flagellis probè affligi curat. Quod
ubi pater castigati pueri rescivit, indignabun-
dus Regem adit, eique rem omnem querulâ vo-
ce aperit. Quid hîc Rex? ad iram, sive potiùs fu-
rorem vocatus, extemplo accersi jubet Cy-
rum, eumque præsentem de causa, quâ, ad tan-
tam commotus audaciam, hominem ingenuum
servilibus affecerit verberibus, percunctatur.
Cui ille, nihil mutato vultu: se ut regem feciſſe,
masculè respondit. Vix dixerat hoc, & in Rege
non tam admirationem constantiæ, quam su-
spicionem altioris, quàm rusticæ originis & con-
ditionis excitat. In memoriam sibi revocat, de
nepote exposito, somnium: mox torvo puerum
vultu, oculis igne flammantioribus intuens,
vultûs instar nepotem indicare, tempus exposi-

tioni cum ætate ejus congruere, iratus animadvettit. Conversusitaque ad pastorem, qui una aderat; unde puerum acceperit? quærit minitãs, nisi liquidò veritatem aperiat, tormenta mortemque ostendit. Invitus quidem ipse; sed metu impendentium malorum, præcipuè atrocitate Regis adactus, rem, uti erat, promsit, nescius, relatione ista Harpagi filio parari exitium. Illum enim, agnito Cyro, Rex ad se mitti statim jussit, misit Harpagus filium; sed amisit etiam, cum amittendum minimè crederet. Nam simulac illum ædes regias intrantem Tyrannus conspexit, furore agitatus, instar milvi cujusdam, prædæ inhiantis, advolat, eumque unguibus suis abripiens, ad laniarium abripit: mox culter lanionis innocentissimæ ovis petit jugulum, caput, manûs, pedes securis amputat, totum denique corpus minutim dilaniat. Sed neque hic subsisteba crudelitas. Harpago, ad cænam invitato, partem carnis elixæ, partem assæ apponit, eumque, ut comedat, sæpius hortatur. Ad satietatem usque stomachum cum implevisset Harpagus pater, ab infanticida interrogatur: num quid illis obsctatus sit epulis? admodum bene, cum respondisset; ut patinam, quam porrigebat ei velatam detegeret, mandavit. Hic, nihil mali suspicatus, neque per febrim (ut ita loquar,) somnians, cænam istam stomachum suum, in filii sui sepulcrum, mutâsse sumtam detegit, filiique sui, unicè dilecti, unicè desiderati filii sui caput, cum aliis illius membris amputatis videt. O spectaculum

lum abominandum & horrendum! quanta illud cordi paterno vulnera, sanguinem largiter fundentia, inflixit? quanto illum pallore, procul dubio, perfudit, aut verius confudit? Mirum profectò, quòd non primo statim intuitu animam exhalârit! quòd non manibus furore armatis in Tyrannum, ut ille in filium, ruerit! Mirum, quòd pars terræ, quam tunc occupabat sentina truculentissimorum scelerum sordida, repentino hiatu subsidens avum non confestim absorpserit! Cum Atreus, Thyestis frater, filios ei edendos offerret, ipsum cœlum stupuit: sol, oculus mundi, ne aspectu saltem pollueretur, retrò fugit, & cum tantum detestaretur scelus, magnam partem obscutatus est. Quid verò hic dicemus? Cœna Astyagis vere Thystea cœna fuit, quæ horrore suo proverbio etiam locum fecit, quo res horrida, res dira & mira solet designari. Execrandum autem hoc Astyagis scelus fuit, & execrandum pluribus nominibus. Ideóne enim culpâ (si modò Harpagus, fortuitus innocentissimi nepotis servator, culpæ reus est,) condonatâ in gratiam scilicet cum eo rediit Tyrannus simulator, ut securum illum redderet? Ideóne illum securum reddidit, ut filium ipsi filium mitteret? Ideóne misit pater, nihil mali suspicatus, ut Tyrannus trucidaret? Ideóne trucidavit Tyrannus, ut patri, horreo profectò dicere, patri carnem filii comedendam traderet? Tradidit, ut scelus suum semper majori scelere augeret! Tradidit, ut præclarum alias illud Ma-

gni Imperatoris symbolum: plus ultra! suum nequitiæ faceret! Suum sanè fecit veriſſimè, dū ſibi pudori eſſe putavit, infanticidæ duntaxat titulo gaudere: ad altiora pergendum, viros quoque ſtrangulandos eſſe duxit. Quid enim poſtea machinatus eſt? Cum primum infeliciter pugnâſſet, miſeros Magos, qui ſatisfactum Regis ſomnio putabant, cum Cyrus regnum, ſed ludicrum in alios obtinuiſſet illos, inquam, Magos convocatos vincire, vinctorum colla funibus ornata, patibulis affigi curavit. Sed quidni pari in ſemetipſum ſæviit ſupplicio Aſtyages? Ipſe ſomnio quoque ſe defunctum, cum iiſdem, ſtatuit: ipſe conſilium eorum & requiſivit, & libenter eſt ſecutus: ipſe paria cum illis, quid? infinitis modis deteriora & tetriora perpetravit. Verum CRUDELIUM proprium eſt, Hydropicos imitari. Ut enim hi, quo plus aquæ bibunt, eò plus ſitiunt: pari modo illi, quò plus ſanguinis profundunt, eò plus, cum Aſtyage, profundere ſatagunt. Ut verò dies orientem ſolem, ignis fumum ſequitur: ita crudelitas, aliaque impia ſcelera, Nemeſin comitem habent individuam, velocem pediſequam. Hinc primi illi ſapientiæ doctores Poëtæ, inter alia media, quæ piis, ut virtutibus, impiis, ne vitiis indulgerent, Deam indignationis & ultionis etiam ſtatuerunt, variis eam coloribus mirificè & ingeniosè delineantes. Nimirum alatos illi pedes tribuerunt, caput coronâ cinctum, cui victoriæ ſigilla undique inſculpta erant: in dextra

tra fraxinum tenebat, quâ conſpiciendam ſe præberet mortalibus. Quo ſanè figmento aut pigmento, quid, niſi vindicias divinitus paratas illis eſſe, qui vitiis ſe mancipant turpiſſimis, judicârunt? Quid corona denotat? quod omnibus tandem ſceleratis Nemeſis ſupernè imminеat! Nam cujus caput corona cinctum eſt, non unius; ſed omnium ſubditorum caput eſt: ab omnibus, ſi quid deliquerint, pœnam exigit. Quid ſigilla victoriæ? nihil certè aliud, niſi quod ſemper triumfum agat divina vindicta, & tam de malis imperantibus, quàm parentibus ſupplicium ſumat graviſſimum. Quid autem ſibi volunt alæ? velocitatem denotant meriti ſupplici. Velox eſt, & ſecurus peccator, antequam putet, fraxinum in tergo ſentit. Si videatur quandoq; differri, tarditas ſupplicii gravitate pœnæ compenſatur. Rarò, imò nunquam, antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo, ut de hac Nemeſi Lyricus cecinit. Senſit hoc Aſtyages noſter, cum non putaret, ſe tantos, & tam properas impiæ crudelitatis pœnas daturum eſſe. Securus incedebat, multos paſſim trucidabat, inimicos ſe ſe funditùs deleviſſe, nulli non, Tyrannicis ſuis facinoribus, metum ſatis gravem incuſſum arbitrabatur, ut abſque omni periculo, ubique locorum tutus verſari poſſet. HOC enim talium eſt ingenium, A. tales ſibi fingunt cogitationes Tyranni; ſed vere fingunt, ignari prorsùs, quod frequentia ſcelera paucorum quidem odium reprimant; omnium verò irri-

tent. Quemadmodum enim præcisæ arbores, plurimis ramis, repullulant: & multa satorum genera, ut densiora surgant, reciduntur: sic quoque Tyrannica præsertim crudilitas inimicorum auget numerum tollendo. Quò autem uberior horum messis exstat, eò sanè majori odio, eò crebrioribus, cum Astyage, conspirationibus insidiisque exponuntur. Videte enim supplicia ejus gravissima! Atrocitatem ejus omnes proceres, omnes subditi exosi, nihil magis optabant, quam ut potestati Regis clementioris subjacerent: idem quippe sibi omnibus, quod innocentissimi quique experti erant, metuebant. Sed ô instabilem & periculosam securitatem, quæ incredulitate fundata est! FIRMIOR profectò & tutior illa est, quæ ex clementiæ fonte rivulos suos deducit. Clementia est magnes ille, civium amorem attrahens: hæc animos eorum arctiori amoris vinculo constrictos tenet: huic, veluti fundamento solido, amor subditorum tam firmiter innititur, ut nullis aliorum insultibus, nullis seditionum molitionibus, nullus denique adversi ratum quarumcunque etiam procellis moveri, quid dicam everti? possit. At CRUDELITAS gignit dolorem, dolor ultionem. Quid enim Harpagum ad ultionem commovit? dolor: quid ad dolorem? crudelitas. Quoties enim sibi epulum istud nefandum in memoriam revocabat, quoties autem sibi procul dubio revocabat? A. toties cal-

caria justi doloris ad vindictam sensit instigantia, donec tandem, dolore victus, in eam consentiret. Diu itaque & altis cogitationibus viam, qua scilicet velociter feliciterque ad ultionem insisteret, investigans, nullam tutiorem, nullam deviis periculorum minùs obnoxiam invenit, quam si Cyrum, ad arma in Tyrannum, concitaret. Partem somnii impletam, nepotem regium servatum esse videt: totum Magorum præsagium veritati consentaneum nunc reddere, regnumque Astyagis Cyro tradere animo destinat. Quare, literis ad eum exaratis, quanto Regem odio, quantò verò ipsum Medi omnes amore complectantur, exponens, persuadet ei, arma ut in avum, flagitiorum fœditate teterrimum, justissima sumat; sic regnum, cum ultione tot horridarum injuriarum, Diis faventibus, occupet. Neque esse, quod de victoria, quæ potissimùm ex belli Duce pendet, desperet. Sive enim Harpago, sive alii ex proceribus summam belli Rex commiserit, nullum ipsi obstaculum, quò minus palmâ felici potiatur, metuendum. ADEO Reges isti, extra periculi metum minimè positi sunt, qui subditos à se suos ita abalienant, ut, si per stragem humanam illis iter ad interitum sit struendum, omnes per furorem suum in ipsos sint structuri. Quis enim ejus, quem odit, vitam, sua vita tueri. Quis pro inimico, adversus amicum, pugnare velit? Neque id fecerunt Regii milites. Astyages quidem illos, Cyri audito ad bellum apparatu, eo conscripsesat animo, ut sub clypeis atque gladiis eorum

tutus ab armis imminentibus, delitescere, & propulsare Cyrum posset. Verùm contrarium experiebatur, cum illis Harpagum præficeret. Infeliciter & stolidè prorsus! Quid enim stolidius, quàm illi, cui unici filii corpus, sine omni culpa, totin partes, cruento ferro, miserè sectũ comedendum obtrusérat, fortunæ vitæque suæ propugnatores tradere, & principatum in exercitu committere? Nescio sanè, quas tunc cogitationes foverit Astyages! Fortassis amorem Harpagi in filium, ex suo in nepotem unicum, judicavit; aut suæ in illum crudelitatis oblitus est. Sed ita solet fieri! QUEM Deus, ob perpetrata facinora, exitio destinat, excæcat, mentemque ei justè adimit, ne, quod è re sua est, videat. O gravem isthanc ab irato Deo pœnam! Miser, fateor, corporis lumine orbatus dici solet; ast hunc cum mentis luce privato si conferis, tantum abest ille à miseria, ut etiam felix nuncupandus videatur. Interrogatus aliquando Asclepiades: quid incommodi afferat ipsi cæcitas? respondit, ut uno semper comitatus ambulem. Rerum ex Astyage si quis quærcret: quid illi tam funesta profuerit excæcatio? responderet sanè: se non tantùm, comitatu civium militumque usitato destitutum, infeliciter ambulare; sed præcipitem quoque ex alio subinde infortunii barathro in aliud ruere. Et verè ruebat A. verè corruebat, & bis victus, à nepote Cyro, una cum Troibus: Rex fui! regnum habui! exclamare tandem cogebatur. Quàm primum enim

enim Harpagus exercitum, ad profligandum hostes, sibi à Rege commissum, accepit, ecce per deditionem, promissionis suæ haud immemor, Cyro tradidit. Quod simulac, per rumorem, ad aures Astyagis pervenit, pervenit autem malum hoc, ut solet, repentè, totus furore intumuit. Flagrabant oculi & micabant! exæstuans ab imis præcordiis cruor nativum oris colorem mutabat subitò! quatiebantur labia, horrebant subrigentes capilli, huc illuc manibus inquietis, citatis gradibus frendens cursitabat, inter mugitur, spiritu stridenti, tormenta, tormenta sæpius iterans. Quæ sanè vox iterata nobis instar facis est, cujus beneficio interiora animi cogitata, imò cor ipsum Tyrannorum penitùs lustrare possumus. Quantum amaritudinis in eo latet? Tormenta sentiunt, tormenta loquuntur, quia furiæ ipsos malæ conscientiæ, erinnyes tot patratorum scelerum exagitant, & tamen, inter suos cruciatus laniatusque, mens nihil aliud, quàm, quomodo alios excruciare velint, cogitat, desiderat, exoptat. Adeò verùm est & hîc illud Poëtæ: SOLAMEN miseris, socios habuisse malorum! Astyages autem, primum in se vindictæ divinæ impetum sentiens, castra reparat, & vires Martias: partem exercitus à tergo ponit, quæ eos, qui vitæ dulcedine ducti, fuga se tueri vellent, ferro in hostes fortiter ageret. Neque id sine aliqua successus specie! Milites enim ejus non tam fortitudine, quam desperatione rapti, tanto cum impetu, tamque furenter in

Persas ruebant, ut Persæ, nisi castigatione Matrum Uxorumque repressi fuissent, victi fugatique, Cyrum suum turpiter deseruissent. Medorum enim & Astyagis ferocitate coacti, cum jam cederent, Matres Uxoresque obviam currebant, clamantes, monentes verbis, vultu, gestibus rogantes, in pugnam ut redirent, ut Tyrannum fortiter reprimerent. Redibant ipsi, idque tanta cum animi fortitudine, tam masculo pectore, ut, quos fugiebant, fugere compellerent, victoriamque propè jam victoribus animosè eriperent. Quo in prælio & ipse Rex Astyages captus ad Cyrum deducitur. Sed magnum hic benignitatis & clementiæ specimen generosus animus in Avum edidit! Non enim injurias tantùm, quamvis gravissimas, patienter tulit, satis esse ducens, potestatem vindicandi habuisse; verum etiam maximæ Hyrcanorum genti Astyagem præposuit, ut sit difficile judicatu, num victorem, an verò nepotem, in hoc bello, egerit? ô clementiam Cyri singularem! ô animum Heroicum & ab omni vindicandi studio alieniissimum! QUOD si ingenti incremento laus illius surgit, qui ex hoste nihil præter gloriam sumit: quantis ille celebrandus est encomiis, qui & hosti suo, & tanto hosti, tanto omnium bonorum hosti, pristinam quoque, si voluisset ipse, dignitatem restituisset? Quàm enim sine dubio stupuit Astyages, cum vidisset, quàm benignè, quàm placidè secum Cyrus ageret? Pudore quidem suæ in illum crudelitatis ductus,

ductus, regnum recipere noluit: Nepotem suum & victorem clementissimum encomiis perpetuis celebravit. Tu igitur, ô Cyre, victor optatissime, triumfa, quod divinitùs tibi destinatam gloriam gloriosè consecutus es! Triumfa sanguinariam Avi calliditatem, qui te vilem & abjectum habere voluit: Deus te, tot exornatum virrutibus, Monarcham jam diu constituit. BENEFICIA divina nulla calliditate everti possunt Incerta licet nonnunquam & mutabilia appareant, stabilia tamen, & præter opinionem firma, consistunt. Quis te, ô Monarcha mirabiliter servate! ad tanti honoris & regiminis fastigium perventurum unquam credidisset? Perveniisti feliciter, vicisti mirabiliter! per aspera ad astra contendisti laudabiliter! Triumfa, ô palma, nulli miseriæ, nullique infortuniorum ponderi cedens: pressa quidem, non tamen oppressa fuisti! Triumfa, ô sol, ignito victoriæ & gloriæ jubare splendidissime! omnem nubium caliginem, fulgori tuo oppositam, ex voto dissipâsti! Triumfa, inquam Avi crudelitatem impiam! qui Magos, qui Harpagum, qui exercitum omnem, imo denique se ipsum adversus te armavit. Fruſtra! FRVSTRA conatus impiorum omnes sunt adversus Dei consilia: omnia bonis in bonum vertuntur! Fremant &, quicquid velint, moliantur; tandem tamen bona causa triumfat! Quis autem non videt? quis non animadvertit, gratia scelera gravibus affici suppliciis? Astyages exemplo nobis

bis est,& ex Hyrcania inclamat omnes imperantes: ita gubernacula regni sui dirigant,ut amore potiùs subditorum muniri, quàm meritis eventi odiis possint. AMOR est humor imperii radicalis,cujus beneficio,quam diu justa servatur harmonia, viget, floret, crescit imperium, exsiccatq illo, furiali subditorum æstu facilè arescit,marcescit,& penitùs exstinguitur. Amor est firmamentum domus regiæ,quo subruto labascit, corruitque ipsum ædificium. Crudelia imperia tandem corruunt; felicia certe vix unquam exstiterunt.

VINDICIÆ ASTYAGIS.

ORATIO.

CUM summo rerum omnium auctore, Deo, multa nobis sunt cum brutis animantibus communia, tum ea præcipuè gratæ mentis propensio, quam parentibus, ob tot & tanta in nos educationis beneficia, omnino debemus. Si campum volatilium,volatili cogitationum nostrarum remigio, ingrediamur, ecce Ciconiæ, redeuntis anni nuncii, tristitiam hiemis ejicientes, verni temporis introducentes lætitiam,nos ad sealliciunt! se,tanquam speculum

lum gratitudinis in parentes lucidissimum, intueri jubent! Cum enim illi pennas suas, senio coquente, laxaverunt, nec ad quærendos cibos amplius sunt idonei, plumis suis frigida genitorum membra foventes, esi islassa corpora reficiunt,&, donec in pristinum vigorem ales grandæva redierit, piâ vicissitudine reddunt juvenes, quod à parentibus parvuli susceperunt. Non immeritò longâ vitâ servantur, qui sancta ejusmodi studia non negligunt! Prima illorum magistra natura est,quæ nullo vocis ministerio, nullo literarum usu indigens, taciris viribus parentum caritatem,brutis etiam,infudit. Quanto igitur studio? quanta animi alacritate,ad exercendam hanc virtutem,excitari nos oportet? quanta cura curam genitorum nostrorum, & gratitudinem in illos observare: sed ô tempora! ô mores! in quibus, quæso, liberis affectum illum,robur suum obtinere? in quibus gratam in parentes caritatem satis vigere animadvertimus? Quod enim unicè,quod æternùm dolendum est,non tantùm, de referenda gratitudine, ne quidem cogitant plurimi; sed non pauci quoque reperiuntur, qui, loco gratæ pietatis, non nisi damna, insidias, mortem denique ipsam, vitæ suæ, post Deum, autoribus, impiè machinantur. Possem,si hoc unum agerem,recentiora quoque tantorum facinorum,de Selymo, de aliis ex Turcia exempla, in historicorum scriptis passim obvia, referre: possem, ex Romanis imperatoribus, incommodum illum

Com-

Commodum & Henricum V. posſem illos filios Ludovici I. aliosque nominare, qui & regna parentibus eripuerunt, &, ut voto potirentur, ne parricidio quidem abſtinuerunt. Supra fidem prope recentius illud ſcelus eſt Adolphi Egmondani, qui, cum diuturnum patris, Arnolphi, Ducis Geldriæ, imperium & vitam ægrè ferret, noctu ipſum, è lecto abreptum, nudis pedibus & corpore, per aſpera viarum, raptavit in tetrum carcerem, & ſex totos ibi annos miſerè detinuit. Quid fit? Reges Principesque filium monent: certas remorandæ caritatis conditiones, plus etiam juſto, filio blandientes, proponunt: virosad illum graves, (quos inter celeberrimus hiſtoricus, Phil. Cominæus fuit,) ad monendum movendumque illum deſtinant. Quid his filius? ferociter reſpondit: Malle ſe præcipitem dare parentem in puteum, & ſe deinde ſuperinjicere, quàm ut ullas conditiones paciſcatur. Tollendus pater eſt, clamitat, qui tot annos præfuit, ut nos quoque imperemus. O reſponſum non tam impium, (& ita tunc viſum omnibus,) quam inſanum! Quis in ejusmodi hominibus quicquam deprehendat hominis, quam corpus? Quis furorem plus quàm belluinum non deteſtetur? Et in his quidem notum ſatis omnibus eſt parricidiale facinus; non ita in ſecundæ Monarchiæ fundatore, Cyro, Rege alias in optimis numerando, quem tamen, cum oculis non poſſimus, ſi animis noſtris contemplemur accuratius, ipſe profectò in Regem, in Avum

vum ſuum crudeli graſſatus impetu, auſuque ipſum nefario è Regno penitus exturbans, tale quid perpetràſſe deprehenditur. Fruſtra cauſam ejus propugnavit Prædeceſſor meus! Aſtyagis crudelitatem in filiam, in nepotem, in Harpagum, in Magos fruſtra exaggeravit! fruſtra in ſupplicia invectus eſt! ſi enim omnia liquidius diſcutias, majoris vituperii notas Cyrus incurret; Aſtyagis vero factum, ſi non omnimodè laudandum, magna tamen ex parte excuſandum eſſe apparebit. Quod dum, ex eodem Hiſtorico, Herodoto, nonnihil explicatiùs proponere conor, Veſtram, A. benignitatem itidem humiliter imploro, ut eosdem benevolentiæ radios, quos anteceſſor meus ſuaviter ſenſit, mihi quoque, parcè breviterque dicenti, concedere ne dedignemini. Perturbabatur ſomnio periculoſo Rex Medorum, Aſtyages, in quo filiam ſuam, Mandanen, tantum de ſe fundere ſaccati humoris vidit, ut omnem ipſius urbem oppleret, & univerſam inundaret Aſiam. Horridum Profectò ſpectaculum! Ipſe Rex, cum omnibus ſubditis, cum omnibus palatiis, in vaſtiſſimo aquarum æſtu verſari ſibi videbatur. Solutus ſomno, ſubitâque conſternatus ſolicitudine, dubias cogitationes, incerta conſilia, diu ſecum volutavit, & ultima ſibi quæque cepit ominari: infirmitatem tamen ſuam, in dijudicandis rebus tam arduis, agnoſcens, infallibili Magorum interptetatione, (ut credebat,) uti decrevit, à quibus audiit: Nepotem ipſi naſciturum ex filia;

ſed

sed supra modum infestum regni Medici turbatorem, noviqueinstauratorem per omnem Asiam potentissimum. Quid hic attonitæ mentis Rex? prævenire malum, antequam prævenire-tur, non injuria laborat, sapienti prorsus consilio. Funestam verò filiæ suæ oppressionem non appetit: omne inhonestum, & in famam regiæ injurium medium respuit: viro bonæautoritatis, licet generis non illustris, Mandanem suam nuptu locat, ut ita extra omnem periculi aleam positus felici sidere suum tenere thronum possit. Quàm rarò autem calamitas una sola est! Vix remiserat nonnihil horror, ex priori somnio: vix cogitationum variarum æstus aliquantum detumuerat in animo regio, & novus æstus, novus horror eum concutit. Nondum cursum suum annus vertens attigerat, & ecce! somnio turbatur altero, priori non absimili. Videbat per quietem, ex naturalibus filiæ vitem excrescentem, cunctasque contegentem partes Asiæ. Admirabilis spectaculi novitas præterita simul Regi anxio revocabat in memoriam. Recrudescebat soporatus dolor: subita tempestas serenitatem, quam pusillum modò senserat, discutiebat. Malum ergò potiùs tollere, quàm nunquam sedato animo exspectare, tutissimum plane jndicabat. Et qui posset aliter? DURUM certè ingensque telum est necessitas, adversus quam cum olim neque Diis pugnare datum fuerit, quid mirum, quod illi Rex quoque cesserit? Huic itaque erat parendum, ex hac capiendum con-

silium, malum in herba suffocandum. Recentem igitur filiæ infantem, vix in lucem editum, Harpago tradit, &, ad necem ornatum exponi jubet; is verò misericordia erga puerum commotus, pastorem Regii pecoris in nemus in nemus deportare jubet, ubi fata sua qualiacunque exspectaret. Sed ô fortunatum puerum, & ab ipsa statim infantia singularibus præmunitum auxiliis, cui ne sic quidem noceri poterat! Utinam felicitate sua bene postea fuisset usus, debitæ potius pietatis memor, quam vindictæ injustissimæ, quam sibi, contra jus fasque, in Regem & Avum suum rapiebat. Expendite enim, A.. & sub exactius judicium vocate facta Astyagis! Annon divino facta consilio animadvertitis, modò ipsum velut Ethnicum consideretis, qui somnia ejusmodi, divinorum monitorum loco habebat. Meritò quidem deploramus occæcatas Ethnicorum mentes: jure tristé ipsorum dolemus ignorantiam, quòd, verâ veri Dei notitia destituti, adeò vani facti sint, ut gloriam incorruptibilis Dei in multos dispensârint Deastros, quorû auspiciis agerent omnia. Ab his enim proficisci putabant agendi consilia, ab his auxilia etiam per somnia exspectabant, non attendentes satis, aut intelligentes, dæmoniacas plerumque fraudes illis misceri. Quin enim ille rerum artifex, diabolus, in multis DEI existat simius, quis dubio hæreat animo? Unde, sicut Deus, ter opt. Max. sanctos olim, variis de rebus, in somno monuit: Ita illum malignas

suas technas, per quietem, animis gentilibus i
sinuâsse, & adhuc insinuare turpiter, nemini
notum est. Astyagis somnia quod attinet, cu
certissimus rerum omnium arbiter, eventus,
minimè inania fuisse notet, non est operæ pr
tium disceptare: Utrum ad Deum fortè, an
dæmonem referri debeant? Ethnicos quoq
Reges, de malis instantibus quandoque
quietem monitos, sacræ testantur literæ. Sic
enim æqua velut lance solem suum & pluvia
tam justis, quam injustis distribuit Deus:
profanos quoque homines in somniis, de reb
ad Remp. administrandam pertinentibus,
format. Quid Cyro in Armenios, armata man
tendenti: quid Alexandro Magno, bellum P
sicum versanti animo: quid Hannibali, Rom
nis armâ illaturo, acciderit, ex probatissim
scriptoribus afferre supersedeo. Astyagis som
nia perquam similia videntur illis esse, quib
malorum remedia, aut curandæ valetudi
præsidia inventa sunt. Annon enim medium
que remedium salutare, ad curandam nepo
sui mortem, ad avertendum eâ, pro virili, reg
sui interitum exstiterunt? Ingerebantur illa
rata vice: grande sibi, grande regno suo peric
lum imminere, ex interpretum suorum info
matione, docebatur. Nemo sanè omnia co
temnenda esse somnia facilè somniet, præ
tim si frequentius occurrant, si obturbent
hementius, si viris illustribus accidant. Om
hæc in utroque Astyagis somnio! Frequente

acriterque illis, rem eandem respicientibus con-
tristatus est, ut quæ instinctu divino (prout ipse
credidit,) postea susceperit, non tam acriorem re-
prehensionem, quàm commendationem, aut
saltem excusationem, apud æquos rerum judi-
ces, mereri videantur. Quod si nullum somnio-
rum istorum præcessisset monitum, ex ipso ta-
men potestatis in liberos jure potuisset futurum
domus suæ turbatorem è medio tollere, thro-
num sibi suum, Cyri nepotis, aut filiæ matris
morte firmare. Quantum enim, quàm augu-
stum illud olim fuit apud populos etiam cultis-
simos? Si Romanos adeamus, non tantùm ven-
dere; sed & occidere, patri liberos jure licuisse,
tam ex legibus, quæ antiquitatem moris istius
respiciunt, quàm ex universâ eorum patet histo-
ria. Vix ullus alius, ex potentissimis populis re-
peritur, cui hoc in liberos non placuerit. Quid
enim illud attinet discutere, quod Astyages, ob
maritum filiæ suæ ex obscuriori familia sociatũ,
tantopere reprehenditur? Imbecillius in pote-
statem petris telum est, quàm ut eam vel tantil-
lum convellat! spatiamini mecum, A. ad Dei
quondam populum! non obscura in Rep. eorum
potestatis patriæ deprehendetis vestigia. Quo
enim jure liberos in servitutem vendere, ad
tempus poterant? quâ autoritate Ismaëlem,
cum Abrahamo, domo ejicere: filiam cum
Jephta destinare ad supplicium? Judæorum u-
tique Rex erat, qui, coram Augusto accusans fi-
lios, ab ipsis audiit; potuisses idem de nobis sup-

plicium sumere, eâ, quam in nos habes; potestate, quâ Rex, quâ pater es. Ad Ægyptios si nos convertimus, vitæ & neci liberorum dominatos fuisse, luce meridiana clariùs patebit ex historicis. Idem de vicinis nostris Moschis novimus, quorum potestas itidem in liberorum vitam extenditur. Persarum & Medorum, aliorumque populorum maximorum leges sicco pede prætereo, de quorum in liberos factis nemo sibi judicium ante parentes sumere audebat. Quis igitur non videt, quam temerario verborum circuitu Regem Astyagem onerent, quod jure Patrio, quo ipsi tot gentium judicio, uti licuit, pro salute regni sui uti voluerit? Fateor equidem, nec apud omnes viguisse jus illud potestatis patriæ, & paulatim eviluisse inter Romanos: quod autem ex præscripto ejus Rex Medorum, somniis præsertim de periculo imminente monitus, & de filiæ matrimonio, & de nepotis vita, judicium sibi sumsit, tam gravem reprehensionis notam nullam meretur. QUI cum lege peccat, non peccat: neque omnium est, de his vel illis populorum juribus arbitrium. Quid enim est injustius, quàm damnare ea, quæ ipsi non facimus, si totæ præsertim gentes in illa consenserint? Præterea si Rex tantum fuisset, non Pater, non Avus, ecquid obstaculo fuisset, ne supprimeret eum, quem regno suo exitiosum fore præsciebat? IN Rege certè bono nihil magis landari, nihil magis egregiũ potest statui, q̃ iis præsertim malis diligenti cura mederi, ea pru-

ptudenti consilio avertere, ex quibus regnũ suũ forsitan convelli, aut debilitari saltẽ posse pręviderit. Sumatur ante venenum antidotum, veneno corpus non lædetur. Procuretur regnum sedulò, capiantur consilia salutaria, præcaveantur varia pericula, nec dubitandum est, quin illud, contra mala omnia, salvum sit mansurum. Nemo erit, A. qui graviorem morbum & exitialiorem cogitare possit, quam ex quo ipso regnum Medicum, Cyro in lucem edito, laborare cœpit. Exstincta enim est ipsius gloria: translatum ad Persas: Domini subditi facti sunt. Hoc autem malum Rex prævertere, hoc tollere penitus debuit, cui salus regni suprema lex actionum fuit, &, cum Romanis illis Imperatoribus, Posthumio Manlioque, liberorum quoque morte curanda fuit. Quid? quod præstantissimi scriptores, ex antiquitatum Judaicarum promo, Josepho, Darium Istum Medum, cujus in sacris laudabilis exstat memoria, Filium Astyagis fuisse, magno suffragio statuunt. Quod si ita est, num ex filia nepotem regnum pateretur eripi filio suo Astyages? minimè gentium. In herba potiùs præstabat tolli, quẽ fata raptorem designabant, & occidi puerum, qui tantorum malorum causa regno Medico, regno pacato & florentissimo, justissimoque ejus heredi, futurus erat. Adeste igitur & judicate, quotquot Regem nostrum variis lacessere convitiis conamini! Abstinete paulisper dictis in Astyagem durioribus, & in facta ejus! Rex erat, Pater

erat, Avus erat, qui, iteratum noctis monitum secutus, potestatem hanc in filiam, in nepotem exercuit. Non nescio quidem accusationes gravissimas, quibus immanem ipsi crudelitatem, in suum sanguinem, in suos subditos, magna verborum contentione, tribuunt; imò superstitiosum somniorum observatorem proclamant. Si tanti fuisse regni incolumitatem dicerem, ut ea faceret omnia, licèt nullam ejus potestatem, nullum jus allegarem, satis nisi fallor, ad illius excusationem dicerem. Sed neque hoc mihi opus est clypeo: liberalis ero, largiarque Astyagis reprehensoribus, malè ipsum feciisse, quòd somnia, & eorum interpretes secutus fit: largiar, quod de nepote opprimendo consilium ejusmodi sumserit, malè feciisse: datum de hoc facto mandatum valdè malum fuisse, itidem largiar, & adhuc tamen non tam vituperio, quàm laude dignum illum fuisse clarissimè ostendam. ANNON enim, qui non tam sua sponte; quàm aliorum instinctu delinquit, qui delictum postmodum agnoscit, qui agnitum dolet, qui non læsum adhuc; sed lædendum, multis rursum placat beneficiis, annon ille veniam, excusationem, imò laudem meretur? Audiant omnes, quàm solicitè hoc ipsum egerit Astyages, postquam superstitem adhuc Cyrum agnovit! submissâ lætitiæ, submissâ deprecationis quasi voce nepotem suum alloquentem audiant! Mi Fili, ait Avus placidissimus apud Historicum: Cum ego, propter quandam haud sanam somnii visionem

nem, in te fuissem injurius, tuo tamen ipsius fato superstes es. Nunc itaque lætus ad Persas ito, cum his, quos ad te ducendum mittam. Eò perveniens, parentes tuos offendes. O effusam cordis regii clementiam, nullis irarum procellis fluctuantem! ô exquisitam in avo & rege modestiam. Vincit antehac conceptam iram Rex mitissimus, omnem ex animo delet odium, &, quod admiratione dignum seria, gaudio plenus, amica fronte, verbis suavissimis, non agnoscit tantùm culpam & fatetur; sed deprecatur quoque haut obscurè ab eo, quem ipso illo momento interimere poterat. Vix fando unquam est auditum, vix legendo cognitum, tantam in tali fastigio demissionem, in ejusmodi causa, erga talem exstitisse! Si nihil magis decet homines, quàm aliis, delictum agnoscentibus, ne dicam deprecantibus, veniam tribuere, quid Regi nostro tribuendum putatis, qui erga nepotem, quem filium suum nominat, inter amplexus, se tam demissum exhibet? qui felici ipsum statu ac comitatu ad parentes curat perduci? Et jam liber erat Cyrus: jam in flore & honore versabatur. Dei & Avi beneficio, qui omni se periculo defunctum, Magis persuadentibus putabat. Qualem se autem, erga Avum suum & Regem benignissimum, exhibuit? Pessimum omnino, Aud. &, qualem vix esse Cyrum potuisse, quispiam existimet. Tantum enim in se scelus concepit ingratus, ut rebellibus nonnullis, Harpago videlicet, vindictæ exigendæ cupido, & qui

ab illo corrupti erant, accederet, ut in Regem insolito furore, conjuraret, ut, inauditi facinoris societate inita, in avi sui imperium, velut in vacuam possessionem, impetum dolosè faceret. Qualem enim sese exhibuit? Quam primum triste & funestum Harpagi consilium, tanquam pestilens aliquod sidus, animum ejus afflavit, sua sponte jam motus, fide à rebellibus accepta, dataque, omnia contra regem & avum cœpit moliri. HOC enim impudens illa & effrenata dominandi libido agit! hoc impia molitur inobedientia! Cum in subditorum, in liberorum, ferocium præsertim, animis locum invenit, bone Deus! quot mala excogitat? quas turbas movet? quas clades regnis affert? summa imis confundit: neque Reges, neque parentes suo æstimari loco: omnia contra illos audacter, præter jus & fas fieri videmus omnia, ubi hanc infelicitatis matrem dominari videmus. Et hæc ipsa Cyri animo dominata est. Quid enim ipsum ad tantum nefas impulit, ut regem, ut avum suum, ut Dominum suum, pro cujus salute excubare, pro quo sanguinem, si res postularet, effundere deceret, tam gravibus & erubescendis cladibus implicaret? Profectò, decebat eum alios à tantis facinoribus abstrahere, Avi & Regis sui curam habere debitam. Hoc laudi fuisset nepoti fideli: hoc ornâsset bonum subditum. Sed quò non coëgit ipsum ingrata improbitas? non junxit sese tantùm tanti facinoris in Media autoribus; sed ipse, ipse rebellavit apud suos:

ipse rebellare fecit omnes Persas subditos, mendaciissimis à se fictis prælectisque literis, ac si dux Persarum ab Avo constitutus esset. Hoc enim consilio, atque adeo hac amentia impulsi milites, ipsius voluntati atque voto, velut jussi à Domino, velificabantur. Quid primum? A. quid secundum hîc, in Cyro, reprehendam? Num malitiam? num mentiendi fingendique libidinem, an verò ingratam improbitatem? Cuncta illa vitia; sed quanta, quam detestanda & nefanda! hîc occurrunt. Quorum fœditatem si ordine in lucem proferrem, citius me forsan ea ipsa, quàm dicendi materia deficeret. O si bene monentem, & ab institutis deterrentem improbis, regem audivisset! Amico animo, si veri patiens fuisset, admonebatur ab avo: mutaret alienatum à se animum: fugeret aliorum consilia: ad avum regemque veniret, ejusque uteretur, frueretur gratia sed frustra fuit pius senex & monitor! in rabiem ira pervenerat: audire ne vult Astyagem, quem omnino audire omnes decebat. TAM cœco nimirum furore effervescit crudelitas, cum munimentum ex se ipsa cepit, ut nec monitis ullorum, nec minis, nec precibus (de respectu enim honestatis & officii nihil dico,) inhiberi possit. Quemadmodum affusa aqua pix ardens non extinguitur; sed magis magisque accenditur: Ita Cyri animus in omnia deteriora monitus ruebat. Gratia illi, misso nuncio, deferebatur: ad regem vocabatur & avum senem: quid ille? semel ad furorem excitatus,

tatus, in immodestos etiam verborum lusas erupit, ut renunciaret Regi: se nimirum prius illuc venturum esse, quam Astyages ipse velit. Et jam restabat scelus ultimum: hoc tandem Cyrus aggredi, arma in Regem, arma in avum & Dominum rebellia, cum rebellibus sumere audebat, ut hoc scilicet fastigium pessimis suis conatibus imponeret. Bellum ergo injustissimum adornabat strenuè, voce simul ac facie parricidiale bellum à se susceptum ostentabat. Quid sibi volebat? quam non tam ad bellandum, quam rebellandum roborabat? Neque mirum, quod excitatus tantis furoribus & facinoribus Rex ad defensionem se præparârit! Resistendum utique erat, aut repentina mole ac morte pereundum. Convocavit itaque Medos, armavitque; sed adverso numine Harpago, occulto suo inimico, qui, ob neglecta Regis mandata, punitus erat in filio, summam rerum tradidit. Præliabantur Persæ, præliabantur Medi; dispari tamen successu. Plerique Medorum, ab Harpago corrupti, de industria ignaviter agebant, & partibus tandem Cyri accedebant perfidi. Imò, cum denuò periclitaretur aciem victus Astyages, idem in militibus suis pugnandi frigus, eandem in se non tantùm nepotis; sed fortunæ in primis sequioris rabiem expertus est. Inter tot igitur proditores & transfugas, eosque partim occultos, partim manifestos, dimicans, Rex fortissimus capitur. Scelestum planè Auditores, & nefarium facinus est parricidium, quo uno alia omnia

omnia contineri scelera videntur, cui puniendo nullum satis acre supplicium excogitabitur. Cum ergo bene intellexerint veteres, nihil esse tam sanctum, ne pietatem quidem genitoribus debitam, quod nonaliquando violaret audacia, vivos in culeum parricidas insui, additisque gallo, vipera & simia, in mare abjici voluerunt. Quid hoc gravius supplicio? imò quid gravius deteriusque scelere in parente; cum Cyro, admisso? Utinam aliqua defensionis causa appareret, non facilè scelestissimorum hominum ordini heroëm alias celebratissimum, associarem! Sanè, non occidit penitus avum suum; arma tamen in ipsum, contra omnem honestatem, sumsit rebellia, quibus occidi facillimè potuisset. ANIMUM in delictis, non effectum: voluntatem potiùs, quam eventum æstimari, in aprico est. Tu verò, afflictissime Astyages, verè magnis obnoxius es incommodis? quis non, una mecum, tuam doleret sortem, vicem tuam deploraret? jam demum, serò intellecta fraude, quæ repetito somnio indicata fuerunt, verissima, certissimaque deprehendis. Ecce nepotem tuum, hostem, rebellem, eversorem Majestatis Tuæ, non verentem Te, quem ut Regem & Dominum, quem ut parentem colere deberet, ad extremam vocare miseriam, & beneficia in se tua impia fraude compensare! Verba mihi deesse sentio, quibus acerbissimum tuum dolorem describam: ad unicum illud afflictæ mentis asylum te voco, ad patientiam. Hæc facit, ut nullo mo-

lo modo tanta afflictio invictum animum tuum opprimat: hæc faciet, ut justissimum dolorem, si non frangere prorsus; occultare tamen possis & concoquere: hæc faciet, ut cogites: OPTIMUM esse pati, quod emendare non possis. Regium verò & egregium victoriæ genus, ô Cyre, quod de avo, de rege reportâsti! Cujus feræ furor animum occupavit tuum, ut conatu tam audaci in ipsum insurgeres? Absint ista longissimè à boni principis natura, ab institutis, ab omni ejus actione & consilio absint talia longissimè! sed nonné triumfos egi, dicis? Quasi hoc de aliis quandoque improbis regnorum turbatoribus dici nequeat! MARS anceps est: non semper justitiæ partes tuetur aut sequitur: victoria sæpe obtinetur à pessimis. Sed, nonné mei ab illorum triumfis maximè discrepant, regeris? maximè, fateor. Alii siquidem de factis suis masculè susceptis; tu verò de pessimè peractis facinoribus: alii de victoriis non tam injustè partis; tu parricidialibus pugnis gloriaris: alii hostes: tu Regem, tu Avum de te optimè meritum, aut, si quid secus, quam par erat, in Te fecerat, jam pœnitentem, non debellas tantùm; sed, quod majus adhuc est, captivum ducis. Cogita, quid feceris? Putasné ullam potentiam scelere quæsitam diuturnam esse? Tua certè diuturna non fuit; in filio Cambyse cum tua stirpe desiit. Nimirum, DE male quæsitis non gaudet tertius heres. Nec enim illum habuisti. Cito malè parta tibi gloria, & meritò tuo, obsolevit.

Sed

Sed quò mea excurrit oratio? Ad vos, A. me recipio, ad justissimum prudentiæ vestræ tribunal accedo, qui, cum Magno illo Alexandro, alteram autem Cyro, alterum Astyagi servare, procul dubio, non dedignati estis. Nisi grave vobis fuerit, utriusque facta & res gestas æquâ animi lance perpendite, in primis: Utrum Astyages tantopere reprehendendus sit? judicioßissimè decernite. Quid enim ipsum ad facta, quæ in eo toties notantur, incendit? non invidia, non insania, non furor tyrannicus. Somnia, unde unde fuerint immissa, somnia iterata erant, quæ turbidis phantasmatibus mordebant ipsum & torquebant. Accedebant interpretes, qui Regi, jam tum territo, horribiliora inde ominabantur. Annon patrium jus? annon potestas regia, ad tollendum è medio Cyrum, ex quo mala tanta erant oritura, justa ipsi arma indicerent? Quanquam vivus ipse manserit, suis ab Astyage redditus, qui & Rex, & avus, culpam tamen à subdito nepoteque, & puero, modestissimè deprecatus est. Quid ampliùs in eo, ad excusationem, rigidus quoque exactor desideret? ô si Cyrus liberari posset, tam facilè à tyrannide! Quam variis & immodestis modis Avum læsit, & regem suum? Rebellibus accessit, rebellis ipse factus, fictis à se literis, ad rebellionem incitavit alios. Non tantùm non audivit dehortantem Dominum; sed lusit; sed læsit procaciter: repetitis armis ad cladem & internecionem Avum suum & Regem, ingratus nepos, impius subditus

tus vocavit. Quæ Thetis possit labem scelerum istorum eluere? Vos verò, Juvenes optimi, vos enim in hæc facta Cyri juvenis contueri meritò addecet: Vos, quibus toe parentum labores, tot curæ vigiliæque pro vobis, in medullis ac viscеribus hærent: cui enim non hærerent, nisi ingratissimo? Graves Cyri lapsus detestamini, eosque gratæ mentis significatione, in vestros parentes, corrigite. QVOD enim simus, quod vivamus, parentibus, secundum Deum, acceptum ferimus. Nullâ fortunæ acerbitate, nullis casibus caræ pietatis pretium in Vobis vilescat. Parentes etiam ex imbecillitate errare accidit; homines sunt! illos quoque secus, quàm par est, aliquando liberos tractare contingit; lapsibus obnoxii sunt? Hîc verò non est opponendus illis pravus animus, multò minùs ingratus impetus. Nobis patientiâ, nobis obedientiâ, nobis gratâ pietate opus est, neâ sancto isto reverentiæ debitæ studio abduci nos patiamur. O felices, qui se gratos, qui se pios & patientes, erga duriores quoque parentes, exhibent! QVICUNq; enim memorem gratitudinis animum exquisita voluntatis divina cura secuti fuerint, & quis hoc probitatis decus non sequatur? officium, Deo opt. Maximo pariter ac bonis quibuscunque acceptum, præmiorum divinorum certissimi, laudabiliter exercebunt.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

FENESTRA MOMI.

HAnc enim, Vulcani opificio, desideravit, hanc pectori humano statuit deesse nequam utilissimus, cum ad ferendum, de Deorum operibus, judicium veniisset. Mirum, quod mordacem hunc censorem tulerint! aliàs noterræ quidem filij reprehensorũ voces amãt; quid de Diis Deabusq; dicas, qui nonnisi Euterpen aut Terpsichoren audire cupiũt? Sed more suo egit Momus: liberam de plaustro vocem edidit: quod verum, quod culpatu dignum censuit, verâ fronte censuit; nec puer tamen fuit, ebriusve, aut insanus: ab his tribus enim hominum generibus audiri verum dicitur. Deaster fuit, si quid unquam, Somno patre, Nocte matre genitus; sed qui, in aliorum curas toto die vigil, multa reprehendit maledicè, & nihilominus, quantumvis nollet, plurimum profuit. Bono scilicet errore, quia mali est, & contra ejus indolem: hunc ipsum curiosi quoque erant alij, fures nempe melioris famæ, pessimæ artifices, qui aliorũ actiones inimicis rodunt morsibus: quo fine? ut plus satis illis, improbo conatu, noceant; plus tamẽ boni bonis afferunt, qui suavissimum ex amaro thymo succum, more apum, petunt, paratáq; in perniciem suam bene-mala improborum opera,

opera, in merè-bonos usus vertunt. Sed quid fenestram à Vulcano Momus petyt in homine? vitriarium fortasse credidit parentis sui fabrum, eò, quod per ignem exercendas artes, intra cerebri poëtici septa, excogitavit. Sed frustra fuit in præsenti censor rigidus, supervacua seipsum curâ maceraus. Quid enim? num fenestrâ caret pectus hominis? num abditos illius sensus nihil prodit aliis? imò totus ipse fenestratus est, si eruditos oculos attulerit, tametsi tot se velis tegere laboret, ut vix specularibus Lamiæ oculis, vix tot luminibus stellato Argo videatur patere. Ecce plures unà in uno vultu, per quas adyta reverendiora introspectes! tram animus concepit: flagrant intus odia: ignescit amor: fervent studia virtutum: metus, spes, latitia, aut alius affectus mentem agitat? in vultu manifesta vides omnia! VIX tanta fide nervi pulsum digitorum in fidibus sequuntur, quantâ vultus motum animi: & quia hic tam varius est undique, quid mirum, quod, in tot millibus mortalium, & iste multiplex conspicitur? Inprimis frontis fabrica his servit usibus: idcirco Genio sacrârunt eam veteres, quod genium cujusque certis notis indicet. Quàm insignia naturæ specularia sunt oculi? velut sol & luna corporis humani, in edito fastigio, non tantùm rerum omnium custodiam obeunt; sed etiam, quæ animo premuntur, promunt. Quam scitè, roseo pubentes decore, modestiam loquuntur genæ? quam terram, pallidò horrore tectæ, monstrant indolem? Ecce inter illas fenestram oris, quoties sermonem promit, mentis indicem! MERITO mirari visus est Diogenes, quod oblam homines non emant, nisi anteà tinnitu explorâtam;

tam; in æstimando autem homine, interiorum documenta rarò ex oratione petant. Ita sanè est! ut non est eadem oratio: sic non eosdem mores, studia, affectus repræsentat. Si quem sapiens sermonem orditur, pulcra animi in ipso simulacra, ut ille ait, conspicis: quæ autem monstra, cum insipiens fenestram istam reserat? Non raræ quidem nubes, in hoc mentis specular, coguntur, non rara fraudum & versutiarum intercurrunt nebulæ: tritus enim rythmus iste adhuc militat: TOT jam seculis peractis, nulla fides est in pactis: mel in ore, verba lactis; fel in corde, fraus in factis: dissipare tamen illas, velut aquilones quidam, solent modò intima in alios benevolentia, modò perturbatio acerbior, modò impatiens jactantia, modò nunquam satis provida ebrietas, ut clarum mane undique fenestram intret, &, intento spectatori, omnem mentis apparatum sistat. Plures verò, & tot ferè aliæ, quot membra hominis, fenestræ sunt: imò, quid membra dico? ætas, sexus: patria, parentes: status, cultus: educatio, consortia, ad cognoscendos mores ejus, latas quoque portas attendentium indagini aperiunt. Quis, hoc officio vestitū quoq; fungi, facile crediderit? sed fungitur quàm maxime, ut SAPIENS per pallij fissuras quoq; mentem hominis pervideat. Nemo cultā facilè, sub habitu inculto, quærit. discinta vestis, discinctus animus, ne nega, vox est Poëtæ vetustissimi. Nemo, sumtuosa vestiū insolētia, modestos regi mores statuit. Et annon ralla ista vitreaq; indumēta, luxus, & impudicitiæ fenestræ sunt? annon caligæ, strepentibus hinc inde fibulis prodigiosæ, fastum arguunt ridiculum? tot sanè vestiū coloribus hoc seculò non pauci

pinguntur, tanta serici mollitie non tegunt se; sed detegunt, tanto unionum, torquium, catenularum luxu moros mores patefaciunt, ut, si interdum genialem comptulorum, utriusque sexus, cœtum videas, Tovoupinambaultios, ex orbe novo, concharum testis atque plumis picturatos, te videre putes. O si fenestra tantùm vestes istæ essent! PESTES *quoque morum sunt in plurimis certissimæ, qui, juxta Senecam, levitate & politurâ corporum bonos mores exstinguunt. Eat verò Momus iste, frontem perfricet & dicat: nullam ad secreta cordis in humano pectore fenestram esse! jungat ei se ipse Socrates, & pectus homini clathratum imprecetur! Habet, habet hoc, quemadmodum & ipse, morum indagator. fassus alibi, tribusque in primis, ad secretos aliorum mores arbitrandos, fenestris usus est. Quas cum nonnihil studiosiùs intueretur, inter alios ingenij labores, Iuvenis Ornatissimus,* CORNELIUS MICHAEL Mohrmañ *Regiomontanus Borussus, dignum judicavit argumentum, in quo pertractando promtam exerceret & felicem indolem. Hinc enim discere se posse vidit, & rectissimè quidem! quomodo rimari aliorum mores, & velimitari ad virtutis limam factos, vel fugere alios oporteat. Orationem ergo concinnavit luculentam, quâ non modò variam Socraticorum ejusmodi indiciorum conditionem explicat; sed accuratam quoque, in iisdem colligendis, cautionem dexterrimè inculcat. Digna est, si quid judico, quæ in amplissimo consessu audiatur: cumq; ipsam seq. d. 13. Iulij cum Deo, ex memoria sit redditurus, omnes studiorum meliorum Patronos, Fautores, Amicos humiliter officiosè,*

humaniter invito, ut, plura de fenestra Momi allaturum, pronis auribus audire, pronis animis auditum animare, animato pronis studiis favere ne graventur. Nos, quod unum possumus, vicissim grata mentis deditissimæ officia, redhostimenti loco, pollicemur. Dab. in Museo, d. 7. Iulij, Anno 1654.

FENESTRA
MOMI.
ORATIO.

INter alia illustrium Pectarum figmenta, quibus vel naturæ instituta, vel virtutum atq; viciorum opera, ceu velamētis quibusdā, operire dicam, an aperire? voluerunt, non postremum illud est, quod de honorario divinorum operum, in primis hominis, arbitro hinc inde profetunt. Cum enim operâ Vulcani tandem, ut loquunturipsi, conformatus esset, aliique, ex spectatoribus, diu in veneratione; alii in admiratione ejus hæsissent, nullus eorum fuit, qui nævum aliquem in homine deprehenderet. Tandem ad Momum judicandi de eo ipso negotium delatum est, qui, cum curiosiùs, tam raræ artis opus, secundum membra singula, examinâsset, modò huc, modò illuc dubium versabat animum, omnia non reprehensione, sed admiratione digna circumspectans. Si altiùs tol-

leret oculos, extemplò caput, in quo mens, veluti in augustali, magni Imperatoris instar, in omnia membra imperium tenet, tacitus admirabatur. Infra illud pectus, quasi Zodiacum, inter quem perpetuæ virtutum dantur revolutiones, eminere animadvertebat: in imo pedes ad cursum celeres, quasi ad mutuum insignis observantiæ officium, se provocabant. Quid multis? omnia in mutuum auxilium apta nexaque videbat, ut nullam maximi artificis vel ignorantiam, vel negligentiam arguerent. Receptæ tamen consuetudini, quæ in naturam verè jam abierat, ut satisfaceret, tantæ artis opus, quod sine fenestrato pectore esset, pertinaciter clamabat. Frustra enim quantamcunque coloris suavitatem, ex toto corpore, dicebat, reluceſcere, cum plus vani habeat splendoris; quàm solidæ prudentiæ. Frustra inimitabilem membrorum convenientiam celebrari, nisi animus, omnium rector, omnium pateat prospectui. EXTERIORE siquidem splendore quæ nitent, venena sæpe celant occultissima: fenestrâ opus esse, quâ recluſa sensus animi secretiores dispaleſcât. Sed hoc Momi fuit judicium: quid mirum, quòd tam iners & ineptum? Momi fuit, quem non sine causa Noctis Somnique filium Poetæ nominarunt, CUM ignorantis & obscuri nominis sit, omnia aliorum opera Theonino dente rodere. Altioris verò illud est indaginis, quod Socrates, vir ipso Apollinis judicio, inter Sapientes primus, idem ferè, cum hoc Momo, senserit,

serit, & clathratum pectus, cujus beneficio faciliùs descendere in hominis animum liceat, eum ipsum ob finem desiderarit. Quàm enim desiderium hoc est frustraneum? quàm minimè profectò necessarium? SINT multæ in multorum animis latebræ, ut de illorum moribus certi quippiam statuere vix audeas, non tamen nulla sunt subsidia, quorum beneficio involutas aliorum fraudes, quibus, ut quisque suam stabiliat fortunam, omnis nunc desudat labor, ex occulto veritas producit. Audiant, qui clypeum nobis hic obvertunt, potentissimum Regum Salomonem, cujus sapientiam ipse orbis terminus, submisso semper adoravit capite! quàm notabiliter ille de indagandis hominum ingeniis? QUOMODO in aquis hominum respondet facies, inquit: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Nimirum aquis speculisque prudentum mentes comparat Rex maximus, quæ promtiùs ingeniorum variorum imagines excipiant, quæ acriùs excepta discernant, quæ discretas suo semper æstiment pretio, ut, quæ vires sint prudentiæ, in dignoscendis aliorum moribus, vel unâ illâ doceat parabolâ. ANNON enim prudentiæ est, si non aperto semper Marte, tameo consilio licentiam enormium flagitiorum sagaciter subvertere? annon prudentiæ est, aliorum mores eo fine dextrè explorare, ut salutari fraude, (si modò fraus dicenda est,) publicis & privatis bonis providè velificetur? Utinam à primo adolescentiæ flore, quis-

que sibi Ducem illam jungeret! tutiùs haud dubiè, æstimatis aliorum moribus, cum ipsis versaretur. Sic profectò tangerent extrema, ut penetrarent intima, occultumque hoc tam operosæ naturæ artificium magno sibi commodo fuisse, pluribus experimentis discerent. Nec est, quod vel cum Momo, vel cum Socrate, in tam profunda pectoris absconditi caligine, fenestram clathrosve desideremus: ipsa ejusmodi in nobis signa posuit Natura, ut occultissimorum quoque, his indicibus, gnati fieri possimus. Quid prohibet, illa FENESTRAM nominare animi, quæ, præsentissimo subsidio, aditum nobis, in isthæc manifestant adyta? Ex istis autem tria impræsentiarum prudentissimo vestro, Auditorem judicio subjicere animus est, ea nempe ipsa, quibus olim Socrates, optimus prudentiæ hujus consultus, solertissimæ ratione usus est. Licet autem virium mearum, non sit, molem tanti ferre operis, cum eo summa quoque fatigari possint ingenia, vestræ tamen benignitatis fiduciâ, qualescunque ætatis meæ vires periclitari ausus sum, à qua proinde, submissa animi devotione, contendo, ut eo vultu animoque, quo hunc locum conscendentes hactenus dignari voluistis, meam quoque in dicendo inopiam gratiosè sublevetis. MORES animi & corporis temperiem æterno conspirare fœdere, uniuscujusque sensa, dicta, facta loquuntur. Sicuti enim horologia nonnulla, nisi segnitie automatarii perversè negligantur, horæ, diei, atque

que noctis cursum affabrè omnibus demonstrant: Sic, nisi mens, in fidâ fraude, huc vel illuc trahatur, corporis lineamenta nequitiæ interioris causam perorant. Et quidem non immeritò! Nam si in hæc æternæ sapientiæ opera nostrum vertamus animum, quis non videt, ipsius Dei æmulatricem, naturam, in efformando corpore humano, omnium labores, suo ingenio, prævertisse, cum illustris animi imago, in ipso vividis coloribus expressa, imò extrema omnium membrorum lineamenta accuratissimo contextu ita fabrefacta sint, ut intimi recessus mentis per hæc ipsa cognoscamus. Hujus ergo certus Socrates, ne quisquam suam ignoraret indolem, commonuisse auditores suos legitur, ut, priusquam domo exirent, membrorum omnium motum, cunctosque corporis gestus peterent à speculo, ut, si quis nitor inde elucesceret, mores suos ad decus vultus conformarent; defectum verò corporis virtute compensarent. Sapiens profectò institutum! quamquã multi fidem fronti detrahant, cum, vanis sæpe successibus, scisitantes inde hominum ingenia deludat. Fateor quidem, non ita exacta esse omnia, quæ non aliquando artem fallant, nec tamen statuendum istud puto, ac si ex contemplatione frontis judicari nunquam possit, quæ virtutum aut vitiorum semina in mente homo foveat, aut cui se affectui inprimis mancipet. NEMO quidem est, quem fugiat, vultum propè toties mutari, quoties quis animo movetur,

adeoque pietatem sæpè sceleri prætentam in insidias exsurgere. Nec ad magna, præsertim in aulis contendenti, aliter videtur posse consuli, cum nimius sæpe candor consiliis moram objiciat; Frontem verò quod concernit, nemo artifex in manu eam habet, ut in ejus planè sit arbitrio, cum constantium plerumque morum præ se ferat indicia. Quàm vicinum enim illi tribunal est, in quo virtus & ratio, modò metum cum pallore, modò gaudium cum rubore, aliaque ad affectus pertinentia, dilstribuit? Intuere illos, qui dignitatis & gloriæ splendore ducuntur! Si vel semel audire coguntur, quæ graviùs offendunt animum, ad quæcunque verba pudor augustissimum frontis cœlum pingit. QVI verò vitiis, in contumaciam formatis, menti suæ callum quasi obduxerunt, radios illius ita obscurant, ut temeritas eorum universam faciem abstuliste videatur. Unde, si oculos, per splendidissima aliquot Regum decora, mittamus, inveniemus, illos fortunam suam non minori splēdore frontis, quàm majestate nominis repræsentâsse. Quis crederet, maritimis fluctibus jactatam diu Ulyssis virtutem, à Phæaciæ incolis, oram litoris legentibus, ex sola oris dignitate agnitam fuisse? Sed Trajani quoque frontata fortitudo erat, sicut Dion refert. Hic etenim cum Agarenis bellum intentâsset, ne in oppidis in gloriis maximas vires consumeret, castra propius moverat ad Metropolin; Sed vicerat magnitudinem periculi pudor civium! Indignum

suæ esse fortitudine putabant, illi se dedere, anteaquam pugnâ salutem suam fortiter asseruissent. Excussa ergo tela in unum præcipuè, qui Regis speciem, indutâ ejus veste, præbuerat, uno impetu torquebant, rati, in ipsius unius interitu totius Romani Imperii robur posse debellari. Sed non diu passa est frons latere ipsum Trajanum: hostibus suis prodidit invitum. Quem igitur, ex dignitate oris, Regem demum esse conjectabant verissimè, in eum, cæteris omissis, violentiùs, quàm unquam, jacula mittebant sagittasque, licet hæc, fortunæ errore, innoxia in succedaneum caderent. Similiter in Tito Vespasiano dubia hæsit mortalium contemplatio, quippe nescia, utrum vultûs majestas an internus animi nitor, quæ amica quâdam vi de Principatu concertabant, magis ipsum commendaret. Idcirco illustris Historicus Suetonius, quam primum Principem hunc Imperatoria suscepit purpura, uno omnes ore, uno edixisse voto, refert: Hunc ipsum sidus illud futurum, quod invictæ gentis gloriam, ab exterorum invidia, in perpetuum sit asserturum. Nec fefellit eos hoc augurium, siquidem, inter hæc virtutis experimenta, cum indies magis adolescerer, ad tantam indolem excrevit, ut invictum hujus robur terrarum orbis, quacunque patuit, intellexerit, suspexerit. Non succensebitis, Auditores, si ad alia divertat oratio, unde & luxurians malorum seges, ex aliorum fronte, vestro pateat prospectui. Divus Nazianzenus, cum Julianum

Apoſtatam, ſævum ſuorum hoſtem, truculentam in tot Chriſtianos exercere ſævitiam cognoſceret: Talem, inquit, ante facta etiam, ex fronte futurum prævidi, qualem facta jam oſtendunt! Nequealiud de Joanne Baſilide Proceres Muſcoviæ ſibi promittebant, ideoque, cum, indicio lineamentorum, hujus faſcibus calamitatem tot mortalibus impendere, crudelitatique ſuæ totam Moſchiam parentaturam, prævideren t, inditô poculis veneno occidere Ducem voluerunt. INDIGNUM ſiquidem ſimplici defungi morte ſtatuebant, cujus vita tot eſſet inquinata vitiis. Sed ſucceſſu caruit conſilium; fruſtra quæ ex fronte horrida conjecerant, conjecerant: nec enim ſuo iſto ſtudio mutare poterant. O egregiam verò hanc prudentiam! Quis non aliquid divinitatis ei ſubeſſe diceret? Meritò attentior vultûs conſideratio in aulis olim uſitata fuit, ut nulli facilè prius pateret Regia, quàm Regii corporis cuſtodes adeuntis frontem legerent. VULTUS etenim indicio dignoſci poſſe ſtatuebant, utrum ad ſalutem Regis ea, quæ advenientes adferrent, facerent; an verò ſcelere impulſi, titulum ſolennis officii occultis præferrent inſidiis. RARO ſiquidem animus ita revocari poteſt, quin vis genu mala plerumque inſtantia occultô horrore inſinuantis, malè cogitantem turbet. Ut ut verò ex fronte quidem ſtudia multorum & ingenia ſuo ſeſe nutu prodant, de iis tamen tum demum dextrè ferre poſſumus judicium, ſi natu-

turalem quoq; hominis æſtimemus impetum. Etenim, ſi cum animis noſtris examinaverimus totaffectuum in nobis turbines, quis non animadvertit, ex his præcipuè genium cujusliber cognoſci? Quemadmodum ignis, cineri ſuppoſitus, extinctus quaſi ac ſepultus creditur; ſed ventis eundem excitantibus, ſi per obſtantia eluctatus fuerit, ſuum mox fulgorem explicat, flammaque celeriter conceptâ, quantæ, in tam ſubito furore, ſibi vires ſint, oſtendit: Ita nunquam animus tam bona fide ſeſe exſerit, quàm ſi improviſo aliquo affectu motuque ſuſcitetur. O ſi poſſem verum hujus rei exhibere vobis ſpecimen! Si manifeſtiùs, hæc motuum in nobis opera, veſtris oculis ſubjicere! Ecce vobis AMOREM! primum enim prodit Princeps hic affectuum, & ſingularibus ſe indiciis, in noſtra facie, manifeſtat. Quænam iſta? luculentus in ore pallor, oculi marcentes, ſpiritus tarditate vehementior, & agitatio, quocunque reſpicis, vix uſpiam quieta. Quàm pervicaciter ſuas partes implet IRA, impotentis animi vicatrix deſultoria? Cogitate modò vultum iracundi! eadem propemodum in oculis, quæ in animo, deprehendetis. Torva frons, in ſulcos coacta, crebriùs colorem mutat: rigent comæ, magna perturbatione attonitæ: oculi flammis efferati æſtuant: Os quaſi ſpuma furoris ſeclus anhelat. Adjice dentium inter ſe colliſorum, non alium ſonum, quàm eſt apris, tela ſua attritu acuentibus: quàm furibundam hîc cogitabis beſtiam;

ſed

sed quam frons talem indicat. Succedit METUS, prudens aliàs securitatis magister, si non exeret; Videte verò, Aud. quomodo per vultum anxius oberret, ut in improvisa abeat suspiria! nunc in maxima angustia cor, nativi caloris tabernaculum, perpetuis palpitat conflictibus: oculi cursim errantes inanibus speciebus anxium figurant animum: lingua faucibus hæret, metusque omni sermone agit efficaciùs. Quid dicam de LÆTITIA? quàm dilucidè ex fronte illam colligas? Subjicite modò menti vestræ aliquem durioris sortis hominem: hunc si fortunæ favor altiùs extulerit, quàm longè alia, ex subita mutatione, facies? Imò per omnia membra dulcissimi affectûs vagantur indicia: oculi ad justum vigorem redire incipiunt: brachia gratâ conspiratione suum sibi munus deposcunt, ipsi pedes, corporis incitatione agiles, more solitô tripudiant. Negares, illum unquam gravioribus periculis circumactum fuisse. Tam feliciter nimirum motus animorum ex hac Momi fenestra nobis innotescunt! Verum quidem est, multorum hîc industriam eludi à multis, qui omnes ita nutus ad fidem cogunt, ut suspecti esse ullis vix mereantur; sed tam constanti solertia ferre coactæ frontis scenam vix possunt, quin aliquando sceleris confessionem ipsa natura, in vultûs mutatione, depingat. Quemadmodum aquæ, si, factô impetu, per summum verticem præcipitentur in subjectum alveum, quibuscunq; etiam cataractis conclusæ fuerint, erum-

erumpunt tandem violentiùs: Ira ejusmodi ANIMI affectiones, licet aliquandiu premantur, non rarò tamen imprudenti excidunt, ut sine ullo negotio, in frontis quoque superficie, vanum ingenium deprehendas. Sed quid multus hîc ad frontis simulacra consisto? quid inter viva hæc indolis indicia, oculos animosque vestros fatigo? aliò me potius converto, ut, quid huic prudentiæ ex sermonis observatione accedat, brevibus ostendam. Quam multa ille habet, quæ miremur? quam insignia in illo undiq; refulgent, ut, quâ laude hæc omnia efferenda sint, vix satis constet? Divinæ siquidem munificentiæ hoc donum est, quod, cum à magna manu veniat, magnum nomen refert. Hoc à brutis plurimùm dittamus, cum index animi sit oratio, quæ mandata mentis ad alios, etiam longè positos, profert! Hoc cœlesti munere superamus belluas, quod, cum illæ dicēdi usu destitutæ sint, nos soli, in quam ipsi partem velimus, linguæ imperio regamus omnia. Ut religiosiori admiratione rem dijudicetis, ite ad hæc divinæ providentiæ opera, quæ ab horum omnium autore Deo, humanæ orationis beneficio, eduntur. Aulas si ingrediamur, quid tot splendidissima Imperia, mole quoque sua jam enervata, cum in ipso fati limine stetêre, ad avitum regii splendoris vigorem revocavit? Oratio! Quid mucrones, sanguinis civilis profundendi cupiditate furentes, ab impia laniena inhibuit? oratio! Quid tot animosos Heroës, inter horridas for-

fortunæ minas ad cædem designatos, à feralI theatro liberavit? Oratio, ut nisi in hoc præsidio salutem sibi statuissent, tantam nominis sui gloriam, cum perenni Patriæ incolumitate, non vi- dissent. Quid multis? NIHIL magnæ rei geri potest uspiam, nisi hujus præsertim auspicio susciptatur. Nam quocunque in Reipublicæ administratione flectas oculos, habet illa suas laudes, quibus semper hîc & ibi enitescat splendidior. Quod si lubet, ex aulis in castra concedamus, quid, post tot exhaustas clades, militum animos sæpissimè excitavit ad victoriam? oratio, quæ inter crudeles mortis imagines, ubi dubius adhuc Mars in armis erravit, ita illorum acuit ardorem, ut, quia antea, suis viribus diffisi, nonnisi à pedibus salutem exspectabant, nunc spe victoriæ exstimulati, felicissimos ab hoste triumfos reportarent. Oratio certè est, quæ intimis abscondita recessibus in lucem profert: oratio est, quâ inclinationes nostras sæpius significamus aliis, ad quæ neque frons, neque oculi, humanam industriam potuerunt perducere. Vidit quoque hoc, & non sine maximo emolumento vidit, sagacissimi ingenii Socrates, cujus oculi in aures, aures in oculos defluxêre, ideoque, cum liberiori obtutu juvenem quendam susciperet, qui improbo silentio linguam obstinatè coërcebat, ne, externô vestium & formæ fucô lusus, ad pœnitendos amores adduceretur: LOQVERE, inquit, ut te videam! Nôrat videlicet Senex prudentissimus, sincerâ fide animum dignoq;

honorari præmio non posse, nisi certò aliquo experimento cognoscatur. Nã quocunq; aliquem naturæ impetus vocaverit, de eo aliis potissimùm oratio fidem faciet, & quã in spem ac fortunam à Natura porrò educatur. Agricola laboriosus vomeres ac armentitium enumerat pecus: incudes folliumque spiracula fabri crebrius in ore habent: Miles cicatrices jactat lividas: Avarus, inter opes maximas mendicus, vile sæpe lutum, propter quod insomnes ducit noctes, ac nonnisi nummos loquitur: udus aliquis ac vino mersus Hector, scyphos ad pugnam dispositos, insidiosa ganea, subterraneas popinas enarrat. Quia ad summum gloriæ fastigium contendit, ut ab opinione populari mores suos sejungat, nihil adfert, quod non aliquando theatrum deposcat, in quo inter eminentes exsplendescat: ITA simplici linguæ temeritate utentem, vix dum se in publicum dedit, sua indoles distinguit! Ita, quæ tacitis singulorum affectibus conduntur, sermo exhibet, perinde, ac si nolint occulta, intra dolosa pectoris præcordia, retineri. Nescio enim quod illud linguæ fatum sit, quòd & improba sæpe flagitia, ubi in re subita in mentem venerint, silentio dissimulare nequeat. Idem olim tulit hic judicium magnum illud naturæ prodigium, DIOGENES, qui, ut eruditis suis dictis jam pridem posteritati consuluit: ita in explorandis aliorum ingeniis, unicuique exhibuit compendium, inquiens: SICUT olla fictilis tinnitu: ita homo sermonis bene-

beneficio poterit cognosci. Cætera siquidem astutè tegimus; celare indolem dum verba facimus ad alios, non semper possumus. Quid ergo est, quod in hoc indagandæ indolis secretæ medio desideres? Imò, candorem desidero, regerat hîc quispiam, eò, quòd sciam, quàm multis iste hac ætate desit, qui præter fidei imaginem in oculis, & asseverationem in verbis, nihil ad amicitiam afferunt. Intuemini, quæso, tot naufragia in hoc mari! quàm fallax, pro locorum temporumque varietate, sermo est? Multi insidiosa commendatione aliquem efferunt, non ut suis laudibus illius augeant felicitatem; sed ut alios invidiâ in commendatum accendant, qui, sub infami persecutionum mole, immaniter illum turbent, ut nesciat, cui potissimùm pereat, aut servetur. Ubi hîc sermo animi nota est? NON æquè fallunt fontes turbidi, qui leni modico coelapsu segnes aquas ducunt: non æquè fallunt etiam nitidiores, qui ipsa libertate alvei virus sæpè pessimum intercipiunt, & puritate sua aliquem ad bibendum alliciunt. Nam ut spongia novaculam abscondit: ita blandus sermo fallacias, ut nulli tutò satis fides haberi, aut ex sermone sensa mentis abdita cognosci possint. Non dissentio quidem ab opinione isthac, Auditores; quin potius ita, in hiulco hoc rerum humanarum seculo, fieri, cum bonis omnibus, doleo; sed PRODIT tamen se simulatio, quamlibet in secessu sedem suam habeat, ut vix unquam tanta sit loquendi peritia, quin titubet homo ac hæ-

reat, quoties verba ab animo dissentiunt. Quæ certiot, ad resecandos aliorum animos, clavis clave amicitiæ? Nescio quidem, an ullius tanta sit solertia, quæ illos sermonum suorum continuos ferè auditores possit fallere; imò quantò illa fuerit intimior, tantò magis interiores pectoris recessus pandit. NEMO satis arcana illi sua tegit, quem diligit. Communicatio illorum primus quasi gradus est firmandæ amicitiæ. Ut pyrites ignem in se habet; sed nonnisi attritu fulgorem emittit: Sic apud multos amor, nonnisi mutuâ fiduciâ, educitur. Majori tamen sæpe cum periculo, quam quo Dymnus infortunatissimus Nicomacho, secretum animi in Regem Alexandrum perfidi, ex nimia benevolentia, aperuit. Quid de ira mentis veluti carnifice, dicam? ad propalanda etiam abditissima nos stimulat! Cum enim turbato animo gravius incumbit, levi quadam re offensum, facilè detegit, & quibuscunque exercitum cogitationibus ingenium manifestat. Relinquat hîc Tiberius nonnihil sacrificales suos apparatûs, quos Augusto superstitiosè olim dedicabat, & se, in præsenti, nobis æstimandum præbeat! Hic quamvis absconditus, id egerat unicè, ut omnes quoque suos nutûs in potestate haberet, iræ tamen succubuit. Etenim cum Agrippina, nimia felicitate ferox, supra sexum muliebrem, tumesceret, multaque vehementiùs in Imperatorem diceret, ac si, tapacis instar vulturis, bene meritis insidiaretur, audita hæc raram occulti pectoris

vocem, elicuêre, correptamque Græco vetsu admonuit: Ideò lædi, quia non regnaret. Quis non genuinam hîc iræ indolem animadvertat, quod ea exprimat, quæ, ubi mentis fuisset homo satis compos, ne quidem ostendisset? NEQUE minor ostentationi vis ineſt, quæ nec inter arrogantem linguæ intemperantiam consistit; sed aliquid homine majus spirare sæpe incipit. Testis hic adest magnus ille Macedo, cum quo gloria Patriæ simul nata atque extincta est! Nunquam ille manifestiùs interiorem animi morbum aperuit, quam cum Philippi, Patris sui, factis res à se gestas, verbis jactabundis, prætulit. Quid dicemus de temulentia, suavi quadam insania, quam cum ira tortorem esse animi vulgò censent, & verissimè? RELIQUA enim vitia nunquam feliciùs, quam per hoc vitrum cognoscuntur. Nam SICUTI vitrum pellucidum nihil earum rerum, quibus imponitur, facilè occultare solet, aut tegere; imò, quò magis illi aliquid opponas, eò sincerius scintillat, & ostendere se oculis nostris illustrius videtur: Sic INGENIA vana, quæ non satis credunt, salva se esse posse, nisi salutis suæ vota cyathis æquent, ac onerent, nihil occultarum rerum clausum habere possunt, quod non, ubi primùm mero incaluerint, petulanti statim linguâ effutiant. Nulla æstimant pericula, nulla famæ suæ naufragia, nihil latere patiuntur in animo, quod non, liquore hausto, velut protrudatur. Quin UBI dolor quoque vicerit patientiam, maxime

suum quisque animum retegat, nemo est, qui dubitat. Impatiens enim ærumnarum, cum se solum, post natos homines inveniri putet, quem calamitas omnibus invisum fecit, ne temere necessitatibus inclusus maneat, multum loquendo sibi quærit exitum, ut, egistis eo variis doloribus, suo se nonnihil levet onere. Infinitum certè campum ingrederer, Auditores, si omnem referre modum inciperem, quo sermo simulationis & dissimulationis integumento liberatur. Sicut pueri, qui ad aquas ludunt, dum lapillos in lacum conjiciunt, tot circumcirca fluctus setie excitant continua, ut inanem sibi fumant operam, qui diffusa ista spatia, in unius circuli angustias, cogere moliantur: Ita mihi, dum ulteriùs sermonem meum in hoc æquor dimitto, quò plura affero, eò plura se ad dicendum offerunt. Alii enim sunt affectus, qui viam nobis ad detegendas orationis fraudes præeunt, in primis ALIORUM simulatio animi nostri sinum excutit, cum callidè laudando, aut vituperando, ea in nobis attingunt, quæ maximè explorata cupiunt, ut non malè dictum illud videatur, à non nemine ex Politicis: DIC mendacium, & veritatem audies! Ne de insinuatione subdola hîc dicam, quâ solemus alium inducere, quo fidum alioqui silentium, secretorum anima, solvatur. Adeò verum est, quod ipsa dicit Veritas: EX abundantia cordis os loquitur! ex sermone de ingenio hominis judicium formatur! Sed jam, ex vultu vestro, Auditores, multò jucun-

dissimo, augurari mihi videor, vos nihil magis desiderare, quam ut vestium culturam transeã, & quodnam illa præbeat interioris animi judicium, non nihil prodam. Non verò illas impræsentiarum vestes referam, quæ ad distinctionem statuum, diversæ à diversis usurpantur. Splendidiorum sanè usus iis est licitus, quos Dei favor, inter homines, in suo solio voluit esse conspicuos. Nam cum hi maximam ubique dignitatem obtineant, quis tam esset stupidus, qui splendidam hanc magnificentiam, vestimentorum quoque ornamentis, ampliùs condecorandam dubitaret? Quis Principi, purpurâ decoro fulgorem suum improbraret? Certè, si aliquis è trivio, quem Fortuna in ludibrium humanæ sortis abjecit, acu pictâ superbiret syntheſi, quis hunc è Codri fabula ludionem, ab illis, qui jam dudum, virtute suâ, nomen suum de plebis tabula eruerunt, discerneret? OPORTET sanè ut discrimen civium suorum habeat, qui Reipublicæ consultum velit; sed quia, pro ingeniis ac moribus, vestitum ferè quisque sibi vulgò sumit, nonnulla ejusmodi ineptiarum argumenta enarrare ingredior, per quæ, ad cognoscendos aliorum mores, sagacioribus patescit aditus. Videas nonnullos quos si plebeja aliquantulum aura evexit, etiamsi antehac vel rigandis tantùm hortulo locârint manûs, vel è terræ rudicibus obscurè educati fuerint, si illos bysso vestiat nobilior, quàm manifesto latitantem animo superbiam indicent! quàm pompo-

modulo tantum auro sese jactitent! non pavonem tantum iride sua videas efferri, quantum hi vestimentis suis, ad fastidium usque pretiosis, efferuntur. Videas alios, qui magnis sumtibus, ab ignotis etiam gentibus accersunt vestes, in quibus prope nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. Quid lasciva hæc sibi vult insania? Nihil aliud profectò, nisi ut ostendat, quod enerves eorum animi, cum diu satis antehac institerint virtutis studio, variis vitiorum illecebris capti, victrici nunc demum hbidini succumbant. Alii neglecta virili gravitate, in alios se quotidie transmutant habitûs, omnemq; ætatem vatio corporis cultui, ad docendam alios mollitiem suam, impendunt. Modò crines, aperto mendacio, ad lenocinium intorquent: modò pulvere ferè tali, qualis inter farinarias hæret machinas, distentos ventilant studiosissimè: vix momentum quibusdam liberum, quin inter speculum & pectinem versentur. Thorax, tot sciissuris ruptus, undique feneſtras patulas, cum moribus ostēdit. Caligæ adstrictoriis ligulis hinc inde à tergo, à ventre, à latere luxuriantes stepunt: non satis est, quod levitatis testes sint, nisi & bina, vel terna Patrimoniorum aliquorum pretia consumant. Tam miro cultu multa civitatis miracula incedunt, quò aliis significent, se nullum aliud tractare opus, quàm quòd curiosè his ineptiis incumbant. NON descendunt ad tam levia magna ingenia: magnæ magnorum cogitationes sunt, exiguæ parvo-

rum. Quot sunt, qui habitu Patrio in peregrinũ commutato horridè inflantur, ita demum ad summa complectenda conditos se esse arbitrantes, si superiorum placita subvertere, aut labefactare; ipsi autem aliquid, quod vel contemtu antiquitatis dudum jam suppressum est, reducere, vel quod vanissimo commento ipsi primùm excogitârunt, adferre possint. O sortem hominum miseram! Quousque tandem improvidi, & insidias felicitatis non advertentes, abripimini? Quin potiùs vestra mala respicitis, quæ ab omni parte vos confodiunt? Quamdiu has ineptias consectabimini, ut, simpliciũ ephebulorum instar, quicquid vestris modò oculis subjicitur, imitatione statim conemini exprimere? PARUM profectò gloriæ sperabit, qui tantummodò à veste splendorem expetit. Nemo enim equum, auro Indiciisque distinctum unionibus, ephippiis purpureis fulgentem, frenis argenteis ornatum, generosum æstimabit, si superbum caput, versicoloribus hisce phaleris, attollat, nisi ad speciem gravis, ad cursum vegetus, ad vecturam fuerit validus. Quo enim fine solers natura nobis vestes dedit? ut nuditatem nostram tegant: ut adversus frigoris tyrannidem, aliasque cœli injurias, nos muniant providè: ut, quantum licet, quantum decer, nos exornent, & nos tamen ipsi toties iisdem, ad ostendendam morum scævitatem, sive utimur, sive abutimur, ut pœnâ nempe nostra extollamur? Non atrexam hîc nunc reliqua, quæ varios ingenii humani sensus

sensûs arguunt. Citiùs sanè me spiritus & memoria deficeret, quam horum exhaurirem copiam. Satis egisse mihi videor, quòd vultu, vario argutiarum variarum artifice: quòd multiplici verborum cultu; quod variegata vestimentorum licentiâ, interiores animorum motûs adumbrari, sive potiùs denudari, Socratis judiciũ secutus, demonstrârim. Sicuti autem, cum nondum solutus siderum luce aër, crasso vapore imagines corrumpit, nonnisi timidè pedes terræ admovendi, ne, humo scrobibus inæquali sine lumine errantes, noxio saltu, improvisò fortè terram salutemus, vitiumq; contrahamus corpori: Ita sanè interest plurimum, ut, CAUTE in judicio, ex his similibusve indiciis formando, procedamus, ne fortassis lapsi animi error, insperato exitu, difficillimis pateat incommodis. Parum abfuit, quin mala justo acriora sentiret ille ex Physiognomis incautior, qui, extra omnẽ erroris metum, artem hanc conjecturandi esse posse arbitrabatur. Hic etenim, cum Athenensis civitatis, quasi communis studiorum eo tempore parentis, visendi studio flagraret, in meditullio illius videbat, admirabaturque scitissimè exstructam Academiam, modò hac, modò illac oberrans, & ecce! inter columina prospectus illi in subjectum patebat acroaterium. Conspiciebat ibi in Cathedra, gibbosum senem, cincinnis semicanum, recedentibus oculis, pendentibus genis, extante deorsum mento, depresso introrsum ore, superstante naso, neque

integro, neque concinno, qui, quassa voce, vix audientibus proximis, de variis rebus, de rerum causis effectisque differebat. Hunc cingebat juvenum, hinc inde per sedilia sparsorum, corona amplissima, qui, quicquid ille anxia conquisitione docebat, solicito calamo excipiebant. Erant ex hisce, qui vicinum sibi Physiognomũ interrogabant, quidnam ipsi, de Doctore isto, videretur? Si naturæ ductum sequi velim, dixit, Juvenes optimi, scio, me sententiam dicturum esse, prima specie haud quaquam auribus vestris gratam. Ego tamen, quod fiducia artis meæ possum, loquar, ut sentio. Præceptore utimini, in quo videlis vel malitiam ipsam adumbratam. Impurissimus scurra, præcipua seculi labes, fatale orbis monstrum, infamis scelerum satelles, si vultis, verbo dicam, vulgare vitiorum domicilium est. Hæc vobiscum, quam sine vobis, loqui malui, non ut fidem vestram, quam debetis illi, solicitem, sed ut vocem potiùs interpretantis, quam augurantis, audiretis. Vix finem dicendi faciebat, & vicerat jam furor interrogantium & audientium hæc patientiam, qui, obfirmata ad facinus mente, manus sustollebant, cum Numen tam fædè errare iratos non ferret. In ipso igitur periculi articulo, cum, dexteris in pugnam contractis, bonum illum physiognonum obtundere cogitarent, Socrates è Cathedra assurgens, accersit illos, clamitans: quid tanto tumultu, juvenes improvidi, adversus hominem armatis manus? Cum causam dicerent: Cedite, inquit,

inquit aliquantulum furori huic! talis enim essem, ut ipse dixit, nisi me Philosophia correxisset. TANTO cum periculo, Aud. conjunctus est inconsultus de aliis judicandi impetus, præsertim ex ejusmodi indiciis! Ne quis ergo sibi plus inde juris capiat in alios, quàm quod sagacitati nostræ præbent. Animi inclinatio est, quæ cognoscitur, inclinatio, inquam, est, non immutabilis morum via, de qua formare licet hìc sententiam; sed in q̃ varios evẽtus ista trahi? quàm facili negotio, vinci potest? Cogitate hinnulos! Hi, q̃ vis naturâ suâ sternaces, primoribus unguis petulanter nonnisi terram quatiunt, admisso tñ semel freno, edoceri possunt, ut ungulas colligant ad numeros, ut ad nutum sessoris pareãt. Idem profectò noster facit animus! quamvis effusa vitiorum licentia ab ipsis inhorrescat incunabulis, si tamen sedula Parentum cura hæc asperitas excutiatur, quis dubitet, cultori morum elegantia, in Patriæ & familiæ suæ decus, ornari eum posse! Contra, licet aliquis sit generosioris indolis, nisi tamen sedula Parentum cura foveatur, tantis corrumpetur vitiis, quantis ætas augetur incrementis. Sicuti à, fonte, sinu quòdam flexuque cutvato, plurimi rivuli surgunt, qui in diversa spatia excurrunt: Ita à parentum institutione, quis non animadvertit, reliquam libetorum vitam, non à sola inclinatione, quam indicia hæc promunt, pendere? id quod & Socrates, & Themistocles, quanti autem viri! suis nos exemplis docent. Arbor, sub initium, nonnisi tenella

tenella virgula est, quæ in omnem se flecti partem facilè patitur; post ubi induerit corticem, & in ramos se diffuderit, nulli cedit robori: Ita & tenerior ætas, quò primùm illam duxeris, formam concipiet arbitrio tractantis. Fingite vobis quosdam pueros, indole quidem, sed non educatione pares. Si aliqui horum, à teneris unguiculis educati molliter, nonnisi in lecticis crescant, purpuraque fulgeant continuò, annon omni postmodum malorum genere marcescèt? unde tam superba hæc ferocia, quibus insontes horum animæ, à primis statim serperastris imbuuntur? unde, Aud. nisi ex delicata educatione, quæ assuetudine continua in naturam abit: Quod si verò aliorum tenuis sit victus, simplex vestimentum, humilis cultus, alii evadent, nec irascentur postea, comparari sibi aliquem, cui ab initio pares fecit durior parentum informatio. SIC ergo semina virtutum, quæ vultus, quæ verba aut alia indicia manifestant, facile suffocare parva educatio: Sic connatas vitiorum radices accuratior tollere potest, ut non satis semper certa conjectura inde nostra esse possit. Idem quoque præstat conversatio. Quam variè, in variis, mores fingit refingitque, ut boni mali, maliboni hoc evadant medio, ut indolem suam aliorum contubernio firment amplius? UT mixtura fragrantissimorum florum, sua vitate sese mutua augentium, longè gratiorem spargit odorem, quam flosculus sejunctus: ut amabilis lucidissimorum siderum splendor mutua luce auge-

augetur: sic utiq; splendorem virtutũ sperabit maximũ honestus animus, si iis se adjũxerit, qui paribus animorum ornamentis præfulgent. Adhærent nimirum plurima capaci animo, cui lectissima societas suam diversimodè adstruit excellentiam. Nec mente possit facilè quis assequi, quomodo illi malis indulgere moribus possint, utut in eos per naturam proclives, modò cum talibus semper vivant, qui audiri sine honestatis sensu, videri sine stimulo non possunt. NAM occursus ipse Sapientum juvat, & habet non planè corruptus animus, quod à magno viro vel tacente proficiat. Felix lane proficiendi in virtute hoc est medium! Licet enim plurima ad morum cognitionem, ad exspectationem gloriæ argumenta adsint, quibus multi in secnrum fere culmen eluctantur, majora tamen pleriquefelicitatis indicia, ex vita assidentium, sibi sumunt, cum in mores aliorum veluti, herbæ ad quemcunque solis motum, sive bono, sive malo suo, homines vertantur. Quod si enim aliqui, neglecta sua indole, neglecta educationis cura, qua jam promtiùs in natalium suorum splendorem surgunt, aliorum libidini se adjunxerint, inclinato semel invitium animo; nulla ruina deformis erit; led utcunque cesserit fortuna, felices brevi hac se insania, putant infelicissimi, si, nullo laboris admixto fastidio, se modò, interturpissima voluptatum propudia, flagitiosè nutriant. NEC prius sentiunt hæc mala sua miseri, quam sera ducti pœnitentia, irritis omnium auxiliis,

xiliis, se nimis diu huic malo institisse sentiant. Nam sicuti veneno venis omnibus concepto, nulla medicina salutaris est, quæ filtat ejus impetum: Ita ægrè sanè, ex morum hoc contagio, ad bonam frugem corrupræ mentes eluctantur, ubi iniquissimo malitiæ famulatui se primùm mancipârint: ubi in magna vitiorum libertate, rerumque omnium licentia, validiores sibi vires sumserint. O grande conversationis, ad cognoscendos aliorum mores, secretum! Quis, ex hujus testimonio, non verum aliquod judicium efformet? quis in præsentissimo hoc indolis, in quamcunque partem flectendæ, medio futuros vel felicitatis, vel calamitatis exitus non præsagiat? Nolim tamen hæc ita accipi omnia, quasi à præscripto indiciorum horum non aliquandò nobis liceat recedere. Nam cum ingeneratis moderari possimus affectibus, quidni & ea declinare, quæ affectus tales manifestant? Videmus enim non ratò vultus fingi, ut ad occursum palleant, ut erubescant, non sponte aliqua naturæ; Imò contra naturam se conformant multi, ut aliis subtiliùs imponant. Quot sunt, qui fallacibus blanditiis, osculis, amplexibus dolum velare didicerunt? quam ficta trepidatione verba salutationis quærunt, ut ingenui amoris opinione modò in animos aliorum influant? tantam comitatem, apud omnes favorabilem, diis ipsis, non mortalium mentibus convenire sanctè affirmes. Modò laboris tolerantiam, indefessam operam in cognoscendis transigendisque aliorum

rum negotiis: modò incredibilem mansuetudinem, fidemque ostentant, ut, si quis fidem hominum ejusmodi verbis, ad malitiæ usque obsequium contumacibus, semper habeat, vix effugium sub insidiosis machinis, quam vis exercitatissimus, sit reperturus. Ita fraus in parvis sibi fidem præstruit, ut majore postmodum emolumento fallat! Frustrane igitur, in indagandis aliorum moribus, nos fatigabimus? inquies; frustrane verba vultumque legemus, aut si quid huc facit aliud, cum tot fraudum velamentis mores abscondantur? Absit, Aud. ist hoc præcitium! sit modus in rebus, sint certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectũ, ut Poeta canit. Unde aliud quoque scrutinii hujus compendium non inutile prudentes suggerunt, ut virtutes vitiaque aliorum, ut opiniones & vivendi modum felicissimè, & tamen facilè, cognoscas. Audi enim inimicos hominum: de vitiis eorum satis studiosè te erudient, quia injuriis ipsorum lacessiti, acceptum dolorem pensare cupiunt, ut nec omittant quicquam, quod, ad clandestinos etiam, mores invisorum cognoscendos viam muniant. Quod si verò virtutes aveas cognoscere, tam aptè eas ab amicis colliges, ut à nullo alio aptiùs. Et hoc quid mirum? quò propiori siquidem amicitiæ gradu aliquis contingit hominem, eò gravius silentii crimen est, tacere ad amici laudes, ubi commodè referre licet, ubi tempestivum est, in lucem publicam edere. Neque poterunt latere te virorum

rum maximorum, ge his vel istis rebus, judicia, si familiares eorum, & intimioris admissionis socios, amicos tibi reddas, &, captata quidem ad aperiendum occasione, ea requiras. Neque facilior est, ratio penetrandi in quotidianum vivendi modum, quam si favorem famulorum aut domesticorum ambias. POTISSIMA semper ab his fama emanat. Ut ignis, etiamsi cryptæ Incluſus, si nutrimenta sua comprehendat, in flammas surgit: ita secreta domus sunt in famulorum animis. quantumcunque etiam sua quispiam tegi velit, erumpūt tamen vulganturq; ab ipsis, si quis leni manu, & favore, non assuetos palpo istiusmodi, demulserit. Sed quò feror, Auditores? quò fractam imbecillemque vocem inconsultus juventutis rapit impetus, ut minùs fortè gratis recensionibus aggeram, quæ virorū quoque disertissimorum industriam exerceāt? Quam vereor, ne me eadem fortuna maneat, quæ nobilem Sophistam olim, cum coram Annibale, tanto bellatore, de gerendis bellis differtaret, quod ego juvenis, & à cæteris rebus satis tenuiter instructus, inter tot præclarissima hæc lumina, inter tot prudentissima orbis & urbis decora, tantæ artis opus, impolitæ dictionis temeritate, profanare potiùs, quàm exornare ausus sim. Incomparabilis tamen Vestra benignitas, abjectum reficit animum, quem ad tractandum istud argumentum, studium discendi aliquod, non docendi impulit, ut natandi imperitos sequerer, qui, antequam manuum, pedumq; remigio nuda corpora, inter fluctuum tumores, promovere didicerunt, juncis sibi primùm subjectis, aut scirpis, instar viminum implicatis, undarum tentant crepidines. Præstantissima enim hinc inde autorum monita collegi, quibus ad optatum prudentiæ cultum, pro virili mea, de fenestra Momi informarer. Utinam verò nos omnes, qui festinato cursu, ad virtutum & eruditionis laudem contendimus, hoc studium sagacitatis urgeremus! tutiùs haud dubiè, & certiùs patescerent vana venerantium mendacia, varii nobiscum conversantium mores! Vos enim nunc alloquor, Commilitones ortu & arte cultissimi, qui fortunæ indulgentia & indolis felicitate, ad felicitatem vestram asserendam properatis. Ite seduli aliorum inspectores, postquam vestri fuistis! Ite, & per nubes quasi indiciorum arcanam lucem spectate; sed ut vestra quoque verba, vestros vultus, vestra vestimenta, ad honestatis lucem conformetis! Tradite subinde Patriæ virtutum ornamenta egregia, ut ex omnibus dictis factisq; vestris exsplendescat, quod fortunatissimus ingeniorum scrutator, Socrates, à bonæ mentis candidatis requisivit! Ita vestro stndio conversum fiet, pulcriusne fuerit, præcessisse talem olim monitorem, an tantis monitis, ad vestram vestrorumq; gloriam, vos strenuè institisse.

INDEX ORATIONUM

PART. II.

præcipua illarum capita ὡς ἐν τύπῳ exhibens.

ORATIO I.

De Amazonum Politia.

TRactatio hanc Politiam explicat, juxtà quatuor præcipua doctrinæ Politicæ capita, ex quibus

I. POLITIÆ HUJUS CONSTITUTIO, ubi agitur

1. *de* constitutionis *occasione*;

(1.) *remotiore*, quæ fuit regiorum *juvenum*, in exsilium ejectorum, occisio:

(2.) *Propinquiore*, quæ fuit *mulierum* ad vindictam commasculatio, quarum crudelitas notatur

α. *in viros* sibi reliquos:

β. *in victos* à se populos.

2. De constitutionis *modo & ratione*,

(1.) *quoad ejus formam*, quæ, ut Dyarchica videtur: ita veriùs *Monarchica* esse dicitur. Hîc laudatur fœminarum prudentia, &, *seculum illud* fœminarum gloria emicuisse, ostenditur.

(2.) *quoad instrumenta regnandi*, s. officiales: fœminis enim præcipua commisêre officia.

II. POLITIÆ HUJUS CONSERVATIO: quò pertinent

1. *cum vicinis Gargaritis federa*, ut prolem ex concubitu ipsorum susciperent:

2. *militaria à primis annis studia*, ad quæ promtiùs exercenda, dextras quoque *infantum mammas* inussisse dicuntur.

3. *egregiæ urbes & munimenta*, quæ tam in natali regno, quam alibi, excitata recensentur.

4. *originis divinæ gloria*, quam, ceu Martis filiæ, sibi arrogarunt. Hinc tantæ passim fuêre!

III. POLITIÆ HUJUS AMPLIFICATIO, orta

1. *ex* felicissimorum *bellorum continuatione*,

(1.) sub *Marpesia*:

(2.) sub *Orythyia*.

2. ex *colonarum* in Europam *deductione*.

IV. POLITIÆ HUJUS INTERITUS ET CORRUPTIO,

1. *ex infelici* in Græcos *expeditione*, quam talem fecit

(1.) *malum*, ex raptu Herculeo, *domesticum*:

(2.) *infidum* Scythatum *auxilium*.

2. *ex Penthesilea*, in Trojano bello, *trucidatione*.

3. *ex varia hostium*, in loca victa, *irruptione*; donec intra fines suos coërcerentur, sub *Thalestri.*
4. *ex lenta consumtione*, cum nihil certi, à Thalestris tempore, de ipsorum constet imperio.

Subjungitur, velut per *Digressionem*, confutatio autorum, qui vel Amazones, vel Politiam earum exstitisse, *cum Strabone*, negant.

ORATIO II.

Contra Peregrinorum ad officia, in Rebusp. promotionem.

TRactatio duas præcipuè rationes exhibet, quæ Remp. à peregrinorum promotione deterrent, quia ea est Reip.

I. IGNOMINIOSA, dum velut precarios salutis suæ curatores aliunde petit, & quidē
1. *propter ingratitudinem* in suos cives, quos, ceu mater liberos suos, curare debet:
2. *propter imprudentiam*, dum præficit *ignaros*
(1.) *statûs publici*, cujus tamen notitia curatoribus ejus in primis necessaria:
(2.) *morum populi*, ut suos sæpe, magno Reip. malo, obtrudant, mutent omnia:
(3.) *amoris debiti*, cum cives non sint, qui majori in patriam, quam peregrini, tenentur.
3. *propter impietatem*, cum divinam constitutionem, *Deut.* 17. 15. propositam, negligat, ubi additur
(1.) *occupatio*, l. cit. illustrans:
(2.) *variarum Rerump. enumeratio*, quæ peregrinos excluserunt ab officiis, ne hujus ignominiæ notam incurrerent.

II. DAMNOSA, & unde varia oriuntur incommoda
1. *in ipsos cives*, qualia
(1.) promotionum *denegatio*:
(2.) animorum *exacerbatio & depressio*, nē tam diligentem, in studiis adhibeant operam. Cui enim bono? præmia desunt!
(3.) amoris in patriam *deminutio*, quâ quid periculosius?
2. *in peregrinos*, qui sentiunt
(1.) periculosissimum *invidiæ impetum*, quē non facilè, ut cives, declinant aut superant.

Probatur hoc *Cominæi*
α. *dicto*:
β. *exemplo*, ex Lips. Pol. l. III. c. II. in not. ad §. 13.
(2.) tristissimum *odium*, cujus exempla afferuntur.
3. *in totam Rempubl.* cum in peregrinis occurrat
(1.) *privati* potiss. commodi *accuratio*; hinc non tam fidi sunt, quam cives:
(2.) novorum morum *introductio*:
(3.) ipsius sæpe Reip. *immutatio*, quæ quidem omnia *exemplis* illustrantur.

ORATIO III.

Pro Peregrinorum ad officia, in Rebusp. promotione.

TRactatio itidem duas tantùm rationes exhibet, promotionem peregrinorum esse docens,

I. LAVDABILEM ET REIP. HONORIFICAM,

1. *propter rectam virtutis æstimationem*, cum ea potiùs, quam patria, in committendis *publicis officiis*, respicienda sit
2. *propter* omnis reprehensionis *declinationem*, cum non fiat rea Resp.

(1.) *ingratitudinis* in suos, quos nemo prorsùs excludendos dicit:

(2.) *imprudentiæ*: ubi rationes *prioris orationis*, huc facientes, excutiuntur, & *exempla* afferuntur contraria:

(3.) *impietatis*, & hoc telum

α. in ossores peregrinorum *vertitur*:

β. *ad exempla* variarum Rerump. respondetur fusiùs.

II. UTILEM ET SALUTIFERAM, quæ ratio

1. *confirmatur* inde, quod promotio talis faciat

(1.) *ad cordatiorem officiorum administrationem*,

α. in *Ecclesia*:

β. in *Curia*, quod docetur

(α.) *exemplis*.

(β.) *rationibus*.

(2.) *ad civitatum locupletationem*, cum promotionis spes multos eò trahat.

2. *vindicatur* ab incommodis, quæ præcedens attulit *oratio*. Strictim enim omnia discutiuntur.

ORATIO IV.

Solennem Gratiarum actionem, pro reducta Germaniæ pace, continens.

TRactatio ordine proponit gratias agendas

I. DEO; in finnans earum

1. *necessitatem*, à minori confirmatam

(1.) Ethnicorum *exemplo*:

(2.) Ciceronis *testimonio*.

2. *qualitatem*, ut prædicetur

(1.) *Dei justitia*, quam in castigandis *Germanis*, immissis gravissimis calamitatibus, exercuit:

(2.) *Dei clementia*, quam ostendit

α. *in bello*, varias adversus hostes victorias concedendo;

β. *post bellum*, pacem reddendo, quod factum

(α.) miseriarum *sedatione*.

(β.) *Regui Suecici* in partem curarum, de negotiis orthodoxæ religionis *vocatione*.

II. REGINÆ NOSTRÆ, ut commendetur illius
1. *pietas*, illustrata
(1.) Paterni instituti *commendatione*:
(2). cum aliis in Sereniſſima Regina virtutibus *collatione*.
2. *prudentia & animoſitas* ſ. fortitudo; utriusque hîc expenditur in bello
(1) *neceſſitas*:
(2.) *felicitas*, quod Germanicum concernit, & in *ad gratias* prolixè agendas transitur.
III. LEGATIS illuſtriſſimis, tanti boni proxenetis, ut laudentur
1. *ob ſingularem ſolertiam*, adhibitam.
(1.) *in* omnium conſiliorum *æſtimatione*:
(2.) *in* ſuorum ad præfixam metam *directione*.
2. *ob interruptam conſtantiam*,
(1.) *ratione morarum*, cum tamdiu tractum ſit pacis negotium, donec *Oſnabruggæ* finiretur. Ubi patheticè *pacis* deſcribitur *promulgatio*.
(2.) *ratione curarum*, quæ tantæ fuerunt. E. & ipſis, poſt Deum & Sereniſſimam Reginam, ab omnibus *agendæ gratiæ*.

ORA-

ORATIO V.

De facto T. Manlii Conſulis, l. 8. Livii, c. 7.

quâ illud improbatur.

TRactatio narrationi Hiſtoriæ prolixiuſculæ ſubjicit argumenta improbantia, ut oſtendat imperii Manliani

I. TVRPITVDINEM, & quam alienum ſit ab honeſtate
1. *reſpectu filii* & culpæ, præſertim ſi conſideres
(1.) *cauſam impellentem*, generoſum indolis egregiæ impetum: quod illuſtratur
α. *exemplo diverſo*, filiorum Bruti, qui, cum malitioſè egerint, jure cæſi ſunt.
β. *gravi* de generoſis ingeniis *judicio* & quâ facili contemtu effervescant.
(2.) *ætatem juvenilem*, & circa eam
α. ad peccandum *proclivitatem*:
β. veniæ, quæ debetur ei, *facilitatem*.
2. *reſpectu patriæ* & pœnæ, qui omnino, per iracundiam, egit
(1.) *impiè*, quia contra divinitus inditam σοφροσυνην egit, etiam *in brutis* obviam, quod *exemplis* docetur:
(2.) *injuſtè*, quia
α. *in propria cauſa*, negligendo publicum judicium:
β. *inconſulto Collegâ* Decio: quod illuſtratur *Occupatione*, de paterno vitæ & necis

jure in liberos, &, quam sit *iniquum* hoc, excutitur.

γ. *supra meritum*, cum vel non transgressus sit filius legem bellicam, si *mentem* COSS. respicias; ut, si transgressus, mitiùs fuerit puniendus.

Hîc *de æquitate & clementia* disseritur,

δ. *improbante totô exercitu.*

II. INCOMMODORVM inde ortorum MVLTITVDINEM, ex quibus

1. *generosi*, & ad patriæ salutem nati juvenis *occisio*;

2. *odii* in patrem, apud juvenes, *concitatio*;

3. *æterna* ejus apud historicos *detestatio.*

ORATIO VI.

Factum Consulis T. Manlii approbans.

TRactatio prædicat imperii illius

I. HONESTATEM, quæ exinde patet, quod fecerit

1. *ad autoritatis publicæ assertionem,*

(1.) tam difficili *bellô*:

(2.) tam severô Impp. *edictô*. Illustrantur hæc

α. *causarum*, pro excusando facto allatarum, *discussione.*

β. *occupatione*, quâ, nihil minus Consulis filium, quam quod fecit, decuisse, & *rationibus*, & *exemplis*, sententiosè ostenditur.

2. *ad*

2. *ad juris patrii in liberos confirmationem*, de qua tamen agitur,

(1.) *quæstionem* de jure illius constitutionis *declinando*, cum, ad propositum, satis sit, *illô tempore* valuisse:

(2.) *Patrem* ab ἀσωτίας crimine *liberandô*, cum fecerit

α. *animô invitissimô*, quem oratio ejus ad filium probat;

β. ferrô *necessitatis imperiô*, quale in puniendis delictis bellicis, & quidem tantis.

II. VTILITATEM, cum fecerit

1. *ad firmandam legum sanctitatem*, quod tunc statim patuit, de quo pluribus:

2. *ad augendam* Imperatorum *autoritatem:*

3. *ad disciplinæ* militaris *stabilitatem*, cujus hîc attingitur

(1.) *necessitas*;

(2.) exempli *efficacitas*, posterioribus etiam temporibus, ex *Val. Max. l. II. c. 6. Ex. 8.* Illustratur hoc membri brevi incommodorum *discussione*, quæ præcedens afferebat oratio.

ORATIO VII.

De Colosso Danielitico, quatuor Monarchiarum præfigurativo.

TRactatio quadripartitam comparationem proponit, & quidem

I. CAPITIS AVREI, cum Monarchia prima,

1. *quoad imperium ipsum*, nimirum
(1.) *ratione eminentiæ*:
(2.) *ratione opulentiæ*, quæ æstimatur
α. ex unico Jovis *templo*, de quo Diod Sicul. l. 11. p. (m. in 8vo) 95.
β. aliarum divitiarum *judicio*, de quo breviter.
2. *quoad imperantes*, ubi capitis
(1.) cerebrum, *Nimrodus*: ubi de q? Quis primus in orbe Monarcha?
(2.) pia mater, *Belus*; ubi
α. de pietatis in *idololatriam* degeneratione:
β. de *literarum* instauratione,
(3.) dura mater, *Ninus* & *Semiramis*, quæ durissima.
α. in *virum*:
β. in *subditos*:
γ. in *filium*.
(4.) Cranium, *Ninyas*:
(5.) capilli, sequentes aliquot luxui dediti *reges*: ubi de q? Quomodo *sub his Regibus* servatum imperium?
(6.) frons fucata, *Sardanapalus*:
(7.) quinque sensus
1. Auditus, *Phul-Belochus*:
2. Visus, *Phul-Assur*:
3. Gustus, *Salmanassar*:
4. Olfactus, *Sennacherib*:
5. Tactus, *Assarhaddon*:
(8.) Mandibula, *Ben-Merodachus*:
(9.) mentum, *Nabuchodonosor*.
(10) caput totum cum vultu, *Nabuchodonosor Magnus*, ubi agitur de ipsius
α. in religione *inconstantia*:
β. septennali *insania*.
(11.) Mens bona, *Evilmerodach*:
(12.) gula, *Belsazer*.
II. PECTORIS ARGENTEI, cum Monarchia Medo-Persica,
1. *quoad ipsum imperium*,
(1.) ratione *duplicitatis*:
(2.) rationis *minoris dignitatis*,
2. *quoad imperantes*, ubi
(1.) *interiora*,
α. Cor, *Cyrus*:
β. Potentia
1. irascibilis, *Cambyses*:
2. concupiscibilis, *Darius Hist.*
(2.) *exteriora*,
α. manus
1. sinistra, *Xerxes*,
2. dextra, *Artaxerxes Longim.*
β. Spina dorsi, *Darius Nothus*:
γ. Costa, *Artax. Mnemon.*
δ. Os durum, *Ochus*, cum parte ejus, *Arse*:
ε. diaphragma, *Darius Codom.*
III. VENTRIS ÆNEI, cum Monarchia Macedonica,
1. *quoad imperium*,
(1.) ratione *celebritatis*:
(2.) ra-

(2.) ratione *fœda voluptatis.*
2. *quoad imperantes*, post ventriculum, *Philippum*,
(1.) epar, *Alex. Magnus*, ubi attingitur
α. status ejus prior, *laudabilis*:
β. posterior, *vituperabilis.*
(2.) humores quatuor,
α. sanguineus regum *Ægyptiacorum*:
β. phlegmaticus, regum *Asiæ minoris*.
γ. cholericus, regum *Macedoniæ*:
δ. melancholicus, regum *Syriacorum*
} index.

IV. LIBIARVM FERREARVM PEDVMq; cum Monarchia Romana,
1. *quoad imperium* ipsum,
(1.) ob robur & *fortitudinem*,
α. circa hujus Monarchiæ *incunabula*;
β. *incrementa.*
(2.) ob illius *divisionem*, ut *duabus tibiis* moles ejus niteretur:
2. *quoad imperantes*; sed secundum potiores tantùm pedum partes, ubi
(1.) cartilago ἐφοσεδὼς, *I, Cæsar*, illustratur hoc
α. initii Rom. urbis cum initio Monarchiæ *comparatione:*
β. interitûs Cæsarei *significatione.*
(2.) os sacrum, *Augustus.*
(3) Tibiæ ferreæ, *Imperium divisum* ubi crus
1. sinistrum, *orientale*:
2. dextrum, *occidentale.*
Ubi de mixtione ferri lutique, h.e. modò firmo, modò infirmo *statu Imp.* agitur.
(4.) Plantarium, Dan. 11. 41. *fundamentum Imperii:*
(5.) pedum digiti, *decem* olim *regna* hujus Imperii; sed olim!

ORATIO VIII.

De Navigationis vituperio.

TRactatio proponit illud, invecta in navigationem

1. OB INFAMEM EJUS ORIGINEM, quam explicat
1. καὶ ἄρσιν, causas, quæ afferri possent, *removendo*,
(1.) *necessitatem*, cum ante naves inventas homines vixerint;
(2.) *jucunditatem*, quæ hic nulla:
(3.) *honestatem*, cum hominis non sapientis sit inventum, ex *Sen. Epist.* 90. post med.
2. κατὰ θέσιν, causam veram *ponendo*, nempe *cupiditatem* lucri; quod illustratur
(1.) binâ *reprehensione*, directâ
α. *ad* ipsam *cupiditatem*, ut partim ejus *turpitudo*: partim *vis* in homines describatur:
β. *in homines* cupidos, qui suam deserunt naturam, quod probatur:
(α.) ex hominis *definitione*:
(β.) ex ejus hominis *fine* & destinatione.

(2.) legis

(1) legis Spartanæ *commendatione.*
II. OB PERICVLORVM MVLTITVDINEM, quæ oriuntur
1. *ex fragili navis conditione*, cujus hîc structura describitur, & fragilitas, ex Philosophi responso, exaggeratur.
2. *ex horribili tempestatum variatione*, quæ illustratur
(1.) concinnâ naufragii, ex tempestate, *descriptione:*
(2.) Senecæ, de suis periculis, *relatione*, ex Epist. 53.
3. *ex ipsius maris indole*, quæ spem liberationis periclitantibus ibi præcidit, quod *diversâ* terrestrium malorum *conditione* explicatâ illustratur.
4. *expiratarum invasione*, quam experientia docet. Illustratur hoc *Occupatione* triplici
(1.) de terrestribus *periculis*; sed non tantis
(2.) de magnis *commodis*; sed miseris:
(3.) de *divitiis*; sed incertis &c. ut hîc vera usurpari possit:
Omnia sunt hominum tenui pendentia FILO!

ORATIO IX.

De Navigationis encomio.

TRactatio proponit illud, petendum
I. AB AVTORIS MAJESTATE, de quo itidem loquitur
1. καὶ' ἀρχὴν, falsos inventores *rejiciens:*
2. καὶ ἀλήθειαν, verum autorem, DEVM nimirum, *commendans*, ut exponatur
(1.) *studii nautici* ad gentes varias *promotio:*
(2.) *illorum reprehensio*, qui infamem originem propugnant.
II. AB INSIGNI UTILITATE, declarata
1. *in communi*, quod DEUS duos nutritores homini, *terram* & *mare*, dederit:
2. *in particulari*, & quantum usum hominibus præstet
(1) *tempore pacis*,
α. Respublicas *instaurando:*
β. earum florem *exornando.*
(2.) *tempore belli*, ubi vis ejus ostenditur
α. apud *Batavos:*
β. apud *Venetos*, ubi brevis reprehensio arg. 1. prioris orat.
III. A FACILITATE, de qua tamen agit
1. *per occupationem*, non de veterum; Sed nostrorum navigationibus hoc dici, præcipuè
(1.) ob pyxidis nauticæ *inventionem:*
(2.) ob chartarum geographicarum *manuductionem.*
2. *per provocationem* ad experientiam.
IV. A SECVRA JVCVNDITATE, quæ in navigationibus maxima, nimirum
1. *jucunditas*, ubi campestris itineris incommoda afferuntur.
2. *secu-*

2. *securitas*, quæ itidem *ab oppositio* nonnihil declaratur.

ORATIO X.

De Curoniæ conversione.

TRactatio historica est, proponens conversionis illius

I. PRINCIPIUM, S. CAVSAM, factam Poloniæ. R. reliquæ Livoniæ subjectionem cujus notatur *occasio*

1. *remotior*, Tyrannidis Moscoviticæ continuatio, quæ hic *brevius* attingitur:
2. *propinquior*, pacti subsidiarii finis, cujus hic habes,

(1.) *principium*, quod fuit omnium aliorum *auxiliorum denegatio*

α. *externorum*, quæ nec Svecia, nec Germania imploratæ afferebant:

β. *internorum*, eum nihil, tot institutis nobilium conventibus, efficeretur.

(2.) *modum*, ubi pactorum summa proponitur, commendatâ

α. diligenti *Coadjutoris* providentiâ:

β. R. *Sigismundi* clementiâ.

(3.) *exitum*, propter conditionum inclusarum mutationem, quo pertinebat

α. frustranea auxilii Germanici *sollicitatio*

β. Revalienſium cum R. Sveciæ *conjunctio*

γ. hostium *multiplicatio*. Hic, Livoniæ calamitas exaggeratur fusiùs, *illustrata* tractatione q? Vtrum mors, tali statu, an subjectio eligenda? *ex Grot. de Iure P. & B. l. 11. c. 24. §. 6.* detestando consilium Vibii Virii, apud *Liv. l. 26. c. 14.* pr. & commendando Camparos, *Liv. l. 7. c. 31.*

(4.) *effectum*, qui fuit, Campanorum more, facta subjectio, cujus *pacta* summatim ponuntur.

II. CONVERSIONIS MODUM, nim. sublimationem Curoniæ Semgalliæque in Ducatum, ubi agitur

1. *de indefessa Magistri ordinis*, in curanda Livoniæ salute, *industria*,

(1.) in bellicis *expeditionibus*:

(2.) in variis *legationibus*.

2. *de* Ducali illius *gloria*, cujus describitur

(1.) solennis *collatio*:

(2.) ordinis Teutonici *abrogatio*. Illustrantur hæc *invectivâ* in hujus mutationis reprehensores, indicandô

α. *inevitabilem necessitatem*, quæ, exillius temporis gestis, deducitur:

β. *summam æquitatem*:

γ. providam Ducis *dexteritatem*.

III. EVENTVM S. EFFECTVM, qui est

1. *communis*, Curoniæ ab ultimo exitio liberatio, ubi Tyranni qs. mitigatus animus notatur:
2. *specialis*,

(1) *quoad Ecclesiam*, cujus curam Dux habuit,

α. diploma, de *orthodoxa Religione*, à Rege obtinendo

β. ordinationem *Ecclesiasticam* conficiendo:
γ. *templum novum* excitando, quod aliis illustratur.
(2) *quoad Politiam*, cujus curam habuit
α. *Indigenatum* in R. Pol. suis firmando:
β. certam *regiminis formam* concinnando, quæ hîc breviter exponitur.

ORATIO XI.

Vindicias C. Mutii Scævolæ continens.

TRactatio, post narrationem facti, *ex Liv. l. II. c. 12.* brevem & nervosam, vindicat Mutium

I. A TEMERITATE, ut ponat
1. *accusationem*, cum rationibus, ob quas temerarium videatur, illustratis simili Alexandri M. facto, *ex Curt. l. 9. c. 5. §. 1. 2.*
2. *Excusationem*, quæ instituitur,
(1) *fortitudinem* Scævolæ *asserendo*, quia
α. *ex amore* in patriam, qui in Romanis, commendatur:
β. adhibitis *in consilium* Patribus, quod illustratur L. C. de *Prudentia* fortitudini jungenda.
γ. *imperterrito* semper *animo*, de quo ex Dion. Halic. p. (m.) 287. f.
(2) *objectiones duas elidendo*,
α. *quod solus*; sed hoc ad gloriam ejus facere docetur, quod *illustratur* per comparationem cum aliis
β. *quod more Alexandri*; sed hoc negatur, & discrimen inter utrumque factum proponitur, & Scævola, Hor. Cocliti præfetur.

II. A FRAUDULENTIA ET MENDACITATE, ubi itidem est,
1. *accusatio*, duplici munita ratione,
(1) *ob* transfugii *simulationem*:
(2) *ob mendacem* de 300. juvenibus *assertionem*.
2. *excusatio*, quæ instituitur,
(1) *strategematicâ* hîc prudentiam ostendendo
(2) *distinctim* agendo,
α. *de transfugio*. Hoc illustratur diverso Zopyri exemplo,
β. de falsiloquio: nec n. mendacium propriè fuisse, *ex l. 111. Grot. c. 1.* Imò candor Mutii, *ex Orat. ejus*, ostenditur.

III. AB IMPIETATE, ubi rursum occurrit
1. *Accusatio*, quæ impium videri dicit
(1) *in regem*: ubi de percussore agit:
(2) *in seipsum*, & αὐτοχειρίαν valdè exaggerat.
2. *Excusatio*, & quidem
(1) *quoad regem*, qui hostis fuit: percussorũ ratio ex *Grot. l. 111. c. 4. §. 18.* explicatur,
(2) *quoad ipsum Mutium*, quod reprehenditur, laudis materia esse dicitur & docetur pluribus,
α. *exempla*:
β. *ratione*, ex casu deductâ, & quam gloriam tum apud *hostem*, tum in *patriâ* obtinuerit, affertur.

INDEX
ORATIO XII.

De Gymnasii Babylonici gloria, ex Dan. 1. cum applicatione ad Rigense, in natali hujus vigesimo secundo.

TRactatio bipartita proponit gloriam
I. GYMNASII BABYLONICI, petitam
1. *à fundatoris commendatione*, Nebucadnezaris Magni, & quidem
(1) *ratione causæ* προηγουμένης, quæ erat promovendæ salutis publicæ cupiditas:
(2) *ratione causæ* προκαταρκτικῆς, qui corruptus status: ubi agitur
α. *de Scholarum necessitate*, cum fatlant
(α.) ad cultûs divini *conservationem*:
(β.) ad boni publici *assertionem*:
(γ.) ad boni privati *procurationem*.
β. *de Scholarum varietate*, intra & extra Christianum orbem.
2. *à laudatissima conformatione*, ad quam pertinet
(1.) *Gymnasiarchæ constitutio*, qui polluit
α. insigni *autoritate*:
β. directionis *dexteritate*.
(2.) *studiosorum electio*, cujus explicatur
α. *necessitas*,
(α.) ob ingeniorum *varietatem*:
(β.) ob laboris *futilitatem*, nisi instituatur.
β. *qualitas*, quod electi sint hic
(α.) *honestis* nati parentibus:
(β.) enormi corporis *carentes vitiô*:
(γ.) ingeniosi & *bonæ indolis*:
(δ.) aliquâ rerum *notitiâ* præditi:
(ε.) bonis ornati *moribus*, quæ omnia plusculis illustrantur.
(3.) *Linguarum artiumq; tractatio*: ubi agitur
α. *de* linguarum aliquot *necessitate*:
β. *de* Disciplinarum proponendarum *qualitate*, potissimum *in Deo*.
3. *à solenni studiorum inquisitione*, ubi agitur
(1) *de* examinandorum, absoluto triennio, *introductione*.
(2) *de* ipsa *examinatione*, ubi sistitur
α. *examinator*, Rex ipse doctissimus, quod singulari laude dignum esse docetur:
β. *examinati*, nobiles studiosi, lucem non fugientes.
(3) *de* examinationis *fine*, qui est
α. præceptorum ad industriam *excitatio*:
β. ingeniorum *expolitio*.
(4) *de* examinatorum PROMOTIONE, ubi de industriæ præmio pluribus.
II. GYMNASII RIGENSIS, cujus eædem propè rationes, ut sunt:
1. *fundatorem commendatio*, qui in Legibus Gymn. exprimuntur: hic celebratur
(1) *salutis publicæ in Senatu accuratio*:
(2) promta *utriusq; Collegii* astipulatio.
2. *laudatissima conformatio*,
(1) in *Gymnasiarcharum* constitutione:
(2) *au-*

(2) *auditorum* ex schola translatione:
(3) *Professorum* electione.
3. *in studia inquisitio*, quæ suscipitur à Senatu, audiendo, ex disciplinis propositis,
(1) *Disputationes.*
(2) *Declamationes*, ubi de fructu Gymnasii hujus agitur.

ORATIO XIII.

De Consultationibus Veterum Germanorum inter pocula, ad Tac. de ipsorum moribus, c. 20. n. 4. ipsas approbans

TRactatio bipartitam proponit commendationem, sc.

I. IPSIVS INTER POCVLA DELIBERATIONIS,
1. *ob vegetam* animi inter ea *dispositionem*, quâ occasione agitur
(1) *de* conviviorum *utilitate*, quod faciant
α. ad animorum *conjunctionem:*
β. ad conjunctorum *confirmationem:*
γ. ad corporis animique *refectionem*, unde commoda, ad consultandum, dispositio.
(2) de dispositionis *facilitate*, ex Tacito, ubi *cerevisiæ* quoq; conciliâdi vigoris vis, quæ vino aliâs tribuitur. *De vino* probatur,
α. ab ipsius *denominatione*:
β. à Poëtarum *attestatione:*
γ. ab emblematica *commendatione*, Ubi ergo talis vigor, ibi bona consultatio!
2. *ob metûs discussionem*, ubi explicantur
(1) *metûs* in consultationibus *incommoda:*
(2) *illius* in conviviis *remedia*, quæ sunt
α. libertatis in loquendo *conciliatio:*
β. adulationis & obstinationis *exclusio.*
Illustratur hoc *partim* exemplo Tiberii, qui bibaces consiliarios amavit; *partim* judicio Plauti, quo *Objectio* diluitur.
3. *ob candidi animi manifestationem*, ubi occurrit
(1) dissimulationis *detestatio*, ex Cicerone:
(2) candoris *commendatio:*
(3) ejus inter pocula *cognoscendi ratio*, insinuata à Seneca, Poëtis, Platone.
4. *ob multarum gentium approbationem*: nimirum sequuntur hunc morem
(1) Persæ:
(2) Græci:
(3) Rhodii & alii, ne temere quis eum reprehendat.
II. SOBRIÆ DELIBERATORVM CONSTITVTIONIS, ad quam pertinebat
1. *exactior* deliberatorum *discussio*, quæ commendatur
(1) *à necessitate*:
(2) *ab utilitate.* Illustratur hoc invectivâ in *Bodinum*, qui tractationem hanc valdè exagitat:
2. promta *decretorum exsecutio*, cum & mentes, & manûs promtas Germani habuerint.

ORARIO XIV.

Istam Germanorum consuetudinem improbans.

TRactatio ibidem est bipartita, & proponitur

I. CONSVLTATIONUM ISTARUM IMPVGNATIO,

1. *propter mentis* nostræ, in temulentis ejusmodi conventibus, *corruptionem*, agiturq; hac occasione

(1.) *de necessario* consultationum *requisito*, quod est mens bene composita:

(2.) *de illius* in conviviis ejusmodi *exitio*, quod illustratur

α. Bacchicæ pompæ *descriptione*, καθ' ὑποτύπωσιν, ex Ambrosio:

β. cum auriga imperito *comparatione*, unde *invectiva* in morum istum morem oritur.

2. *propter temeritatis* & iracundiæ, cum temulentia, *conjunctionem*; constat enim

(1.) de *temeritate* inter pocula,

α. ex ipsius Bacchi *appellatione*:

β. ex Taciti, experientiæque *attestatione*, ubi de pugnacitate bibonum fusius.

(2) de *ira*, affectu bonis cōsiliis nocentissimo

α. ex Bessi *facto*:

β. experientiæ *judicio*, quæ pertinaciam & alia vitia, bonis cōsiliis inimica, jūgi docet.

3. *propter vitiorum* antea tectorū *eruptionem*, quæ patet

(1) ex

(1) ex præteritæ orationis *assertione*; sed aliter, de ruptis, ex *Seneca*, doliis, applicata:

(2) ex nonnullorum vitiorum *enumeratione* quæ tunc erumpunt: & hoc illustratur

α. Alexandri *exemplo*:

β. Trajani *interdicto*, cum falsa invectiva in *retractationem*, de qua prior egit oratio, & brevi insinuatione mali istius, quod ipsi sensūs inter pocula perventantur.

4. *propter* saniorum populorum *detestationem* quæ proponitur,

(1) allata barbarorum exempla *explodendo*:

(2) meliorum judicia *recensendo*, ut in Germanos acriūs invehatur oratio.

II. CONSVLTATIONUM IN CONVIVIIS RATIO, quæ respicit

1. *certum* ibi ebrietatis *gradum*, ne excedatur hilaritatis poculum, quod licitum esse ostenditur:

2. *certum* consultationis *objectum*, res non nimis seriæ; sed tempori congruæ:

3. *certum modum*, ut, placidè in conviviis discussa, sub examen vocentur à sobriis.

ORATIO XV.

De Apicularum Republica.

TRactatio, secundum quatuor præcipua Politicæ capita, Remp. hāc cōsiderat, agēs

I. DE REIP. HVJVS CONSTITVTIONE, & quidem

1. *quoad* formæ *determinationem*, quæ Monarchica: cujus hic not.

(1) *eminentia*, præ formis aliis:
(2) *pericula*, in humanis politiis, præsertim ratione constitutionis
α. *ordinaria*, per
(α) successionem:
(β) electionem.
β. *extraordinariæ*, per sortem: à quorum periculorum metu alienæ sunt in hac Rep. apiculæ, semper *Regem Optimum* eligentes.
2. *quoad* partium *dispositionem*, ubi
(1) *Imperans*, cujus exponitur,
α. *Majestas*,
(α) *quoad* corporis *conditionem*, quam æstimare meritò solent:
(β) *quoad* regiam *habitationem*, quam artificiosissimè, fine arte, apes exstruunt.
β. *Virtutes*, quarum in hoc Rege præcipuæ
(α) *clementia*, ubi: utrum aculeum habeat? discutitur, & clementia Regum laudatur:
β. *sedula* administrationis *cura*; quibus, ceu *per præsertionem*, subnectuntur aliæ, & officii regii dignitas innuitur.
(2) *subditi*, quorum virtutes hîc eminent,
α. *obedientia*:
β. *reverentia*:
γ. in laborando *industria*, distinctis studiis.
3. *quoad* instrumentorum *ordinationem*, ubi agitur
(1) de *officialibus*, cum in apibus sit instar
α. *consiliariorum*, circa regiam:
β. *militum*, extra & intra alveum:
γ. *legatorum*.
(2) de *legibus*,
α. quasi-*removendo*, eas à Rep. optima:
β. *ponendo* leges naturæ, quas curatiss. observant.

II. DE REIP. CONSERVATIONE,
1. *ratione* sedulæ *administrationis*, quæ cõsistit
(1) in continua prope *functione*,
α. *Pietatis*, & in vivas, & in mortuas.
β. *Iustitia*, quam singulariter in pœnis sequuntur. Hîc *Digressio* est, pro defensione narratorum.
(2) in qualicunque *relaxatione*, quam ex tempestivis ludis capiunt.
2. *ratione* masculæ *defensionis*, quam curant
(1) sese probè *muniendo*:
(2) bella quandoque *gerendo*,
α. *inter sese*; sed brevia:
β. *contra alios*; sed fortia, & pia.
III. DE REIP. AMPLIFICATIONE, quæ
1. *interna*, (est
(1) *ex* territorii *elaboratione*,
(2) *ex* ipsarum *multiplicatione*, quæ tamen quomodo fiat, ignotum est.
2. *externa*: ubi agitur,
(1) *de* coloniarum *usu*:
(2) de earum in apibus *modo*, ubi de *examine*, deq; commodo multiplicationis, quædam afferuntur.
IV. DE COLLAPSÆ REIP. RESTAVRATIONE, ubi respiciendum 1. *ad*

1. *ad morbum*, quiesc
(1.) penitus Remp. *evertens*,
α. urbi *invasio*:
β. furtiva *direptio*:
γ. victûs necessarii *ablatio*:
δ. Regis mors s. *occisio*.
(2) aliquantum *conturbans*, ex motu civili
Illustratur hoc membrum, L. C. p. *de rerum sublunarium fato*, additis imperiorum exemplis, quæ intericre.
2. *ad remedium*, quod breviter, & quantum eo præstari possit, nec ne, insinuatur.

ORATIO XVI.

De regimine Peregrinationis.

TRactatio certas peregrinationis conditiones proponit, quam

I. TEMPORIS MATVRITAS, de qua agitur
1. *in communi*, declarando ejus necessitatem
2. *in particulari*,
(1) ratione *ætatis*, quæ debet esse adultior quod constat,
α. ex *rationibus*.
β. ex regiis *judiciis*.
(2.) ratione *profectum in studiis* & moribus quod illustratur
α. multiplici properantium *incommodô*:
β. pati *exemplô*.
II. UTILIS SOCIETAS, ut quis nempe commodum habeat *socium*, cum hic faci-

1. *ad* sedulam, circa notanda, *informationem*:
2. *ad* utriusque fortunæ *moderationem*, quod illustratur,
α. *simili* ab Elephantis commodô
β. *contrario* damno, quod ex malo est consortio.
III. PRVDENS DEXTERITAS, de qua agitur
1. *generatim*, quî scilicet sub sisemate Poëtico fuerit ab Homero proposita?
2. *speciatim*, quantum nim. conducat
(1.) *ad* comparandam doctrinam, cum ex ea sit
α. loci studiis idonei *selectio*:
β. recta cum doctis viris *conversatio*:
γ. idonea locorum *mutatio*.
(2) *ad* virtutum *culturam*, cum doceat
α. pravæ contagionis inter malos *devitationem*:
β. temperantiæ, fortitudinis &c. *exercitationem*:
γ. prudentiæ cum simplicitate *mixtionem*, quæ & similibus, & contrariis illustrantur.
IV. ATTENDA IN STVDIIS SEDVLITAS, quæ studiosorum propria conditio, quam quidem adhibent,
1. ubiq; studiorũ suorum telam *pertexendo*:
2. ad scopum suum omnia *referendo*:
3. observatu necessaria *notando*, ne omnis peregrinationis labor pereat.

ORA-

INDEX
ORATIO XVII.
Invectivam continens in Astyagem, de quo Herod. l. 1.

TRactatio proponit
I. CRVDELIS IMPIETATIS OPERA, quæ exercuit
1. *in suum* ipsius *sanguinem*, nimirum
(1) *in filiam*, occasione somniorum, quæ hic breviter afferuntur;
α. ignobili illam viro *nuptum collocãdos*, quo quam malum, exemplis docetur.
β. susceptam ejus prolem *ad mortem destinando.*
(2) *in nepotem*, ubi exponitur
α. impium regis de eo *mandatum:*
β. benignius Harpagi *institutum:*
γ. pium rustici *studium*, quo conservatus, & à cane primùm nutritus est; quæ conservatio illustratur simili exemplo, *ex Iustin. l.* 44. *c.* 4.
2. *in suos subditos*, videlicet
(1) *in Harpagum*, post cognitum, occasione lusus, Cyrum,
α. *amicitiam* in ipsum nequiter *simulando.*
β. innocentiss. ejus *filium trucidando:*
γ. patri manducandam ejus *carnem apponendo*, quod exemplo Atrei illustratur.
(2) *in Magos*, quos injustè suspendi jussit.
II. CRVDELIS IMPIETATIS PRÆMIA, quæ, post explicatam *Nemesis* picturam poëticam, enumerantur, nim.

1. *pro-*

1 *procerum* ab Astyage *abalienatio,*
(1) in communi, *meliorum:*
(2) in particulari, *Harpagi*, qui Cyrum adversus avum incitavit:
2. Astyagis *excœcatio*, ut Harpago tantum committeret exercitum:
3. repetita exercitûs *profligatio*, ubi Astyages captus, sed benignè à nepote habitus est.

ORATIO XVIII.
Vindicias Astyagis exhibens.

TRactatio allatæ fusiùs historiæ, subjungit facti illius excusationem, institutam
I. ABSOLUTE, cum profectum sit
1. *ex divino consilio*, somniis aperto, ubi agitur,
(1) *de Ethnicorum*, in captãdis hisce *cæcitate:*
(2) *de* somnii hujus *qualitate*; sed ὡς ἐν παρόδῳ, ut ad excusandum tamen *Regem* referatur
2. *ex jure patrio*, de cujus agitur
(1) *conditione*, & quidem apud Romanos, addita una alteraque illius ratione:
(2) *latitudine*, & quot populi eo sint usi.
3. *est jure Regio*, s. publicæ salutis studio,
(1) *ad* imminentis mali *aversionem:*
(2) *ad* jus gentium, pro successione filii Darii, *assertionem*, ne justus hæres excluderetur.
II. RESPECTIVE, respectu nêpe *Cyri*, & quæ in illum non tam perpetravit, quam cogitavit, nim.

1. *ob*

1. *ob delicti agnitionem* & qs. deprecationem quod in Rege, avo, sene valdè commendatur:
2. *ob Cyri* in avum *conjurationem*, quam prodidit
(1.) rebellibus *accedendo*, cum, ceu nepos & subditus, illos avocare debuisset.
(2) ad rebellionem alios *instigendo*,
α. fictis *literis*:
β. impiis *factis*, ut magna undique improbitas appareat:
(3) avum dehortantem *ludendo*:
(4) *arma* demum parricidialia in ipsum *sumendo*: ubi occurrit
α. *parricidii detestatio*, sive affectum, s. effectum respicias:
β. *senis* Astyagis *deploratio*, quod tam impium nepotem & subditum habuerit.

ORATIO XIX.

De Fenestra Momi, s. viis aliquot Socraticis, ad cognoscendos hominum mores.

TRactatio bipartita proponit
I. JUDICIORVM ISTORVM CONDITIONEM, & quidem
1. *in communi*, quod ex cognatione inter corpus animumque oriantur, quæ ex naturæ instituto deducitur:
2. *in particulari*,
(1) *ratione vultûs*, quod, post *Occupationem*, de incertitudine hujus indicii, probatur
α. exemplis *hominum*, quorum indoles, indè agnita:
β. exemplis aliquot *affectuum*, qui hîc sese produnt, & fusiùs describuntur.
(2.) *ratione sermonis*, ubi, post allegatos aliquot humani sermonis usûs, occurrit
α. *indicii* hujus *probatio*,
(α) Philolosophorum judicio:
(β) speciali morum aliquorum *indicio*, qui exinde patent.
β. *Occupatio*, de sermonis fallaciis, ad quas tamen cognoscendas *quinq; claves animi*, à prudentiæ Magistris, afferuntur, de quibus fusè, & per exempla.
(3) *ratione vestium*, de quibus agitur
α. καὶ ἄρσιν, & quod non sit sermo hîc de *statûs*, ex vestimentis, indicio; sed
β. καὶὰ θέσιν, de *morum* inde colligendorum studio, cujus probatur
(α) *veritas*, partim Socratis *judicio*: partim Ecclesiastici, c. 19. 27 *judicio*
(β) *varietas*, ex variis vestibus &c. illustratur hoc *invectivâ* in vestium luxum, & breviter, *abrumpendo* hanc telam, tria indicia repetuntur.
II. CAVTAM JVDICIORVM ISTORVM VSVRPATIONEM: cautionis enim hîc probatur
1. *necessitas*, exemplo præsertim Zopyri Physiognomi, fusiùs relato.
2. *qualitas*, ut respiciamus

INDEX ORATIONVM.

(1) *indiciorum objectum*, quod sunt inclinationes & pronitates; sed has sæpe mutat
α. *educatio*, cujus vim docent
(α) *rationes*, s. argumenta:
(β) *historiæ*, s. exempla.
β. *conversatio*, cujus vires in utramque partem maximæ.
(2) *exinde judicandi modum*, ne sit temerarius, ac si necessaria semper sint indicia; sed *cautus & deliberatus*,
α. *ob fallaciarum* inter homines *varietatem*:
β. *ob lapsûs* s. erroris in his ipsis *facilitatem*.
Additur *Compendium* aliquod hujus *Scrutinii*, quod Verulamius alicujus suppeditat.

FINIS PARTIS SECVNDÆ.

MEMORIA COJENIANA,

ex officio, ex animo

Celebrata

RIGÆ LIVONUM,
ANNO M.DC.LIV.

VIRO

MAGNIFICO ET NOBILISSIMO,

DN. JOHANNI COJEN,

Reipublicæ Palæopolitanæ, apud Regiomontanos, Proconsuli bene merentissimo,

Domino ac Patrono plurimùm colendo.

MEra multis confidentia videbitur, quod facio: Virum, varijs nominibus illustrem obscurus ego & ignotus interpello, chartas ri aliquot; sed tristes illas, neque tamen meas, offerens. Quid nisi Pietas, me poterit absolvere? præsertim apud Te Domine: pietas enim est in B. Fratrem Tuum, Fratrem unicum, unicè dilectum: pietas in Patronum quondam meum laudatissimum, cujus memoriam ut apud omnes immortalem novimus: sic talem, qualicunque nostro studio, testamur. Nec enim sine alio, cum exercitiis

tiis quibusdam oratoriis, conjunctim hæc in lucem edo: aliquam eorum partem Vir Doctissimus, amicus meus honoribus Beati dudum consecravit; reliqua sunt studiosi juvenis, qui, in nullo argumento, suam exercere maluit industriam, (nec potuit etiam,) quam isto: ad profectum suum omniumq; usum facere putavit, quæ de tanto Viro diceret: ag commendandum Tuæ, DOMINE, benignitati sua studia, quâ commodè posthac juventur. Quanquam quid de tanto Viro diceret juvenis, quod Tanto dignum? Virtutes ejus nec magnorum labor assequatur, quid dicam, exhauriat? major erat. neque vivo adhuc quicquam laus bonorum addere neque improbitas malorum detrahere poterat: & hac, & illa major erat. O si fruitam egregio cœli deposito diutiùs hic licuisset! sed reverti debuit, ex peregrinitate, in patriam: ex labore ad quietem: ex afflicti corporis concussionibus, ad vigorem illibatum: ex mortis carcere, ad sedem consummatæ beatitudinis. Erige huc mœstos vultus, DOMINE, & erigeris! tolle ad hoc mentium piarum augustale mentem! Fratrem ibi tuum cogita! mœrorem tollet ista cogitatio, aut saltem minuet. Vix enim penitùs sublatum

iri puto, qui ex tanto vulnere: chironium profectò est, quot denuo familiæ Cojentanæ inflictum est. Quis amplius ex ea superat? Præter te, DOMINE, & Filium carissimum, adhuc nemo unus. his columnis. (quas ô Deus firma & fœcunda!) Domus nobilissima innititur. Felix Regiomontum, quod eas dem fovet, colit, amplectitur! Tantum illud ex te uno gloriæ, salutis, gaudij obtinet, quantum Riga nostra, cum B. Fratre, amisit: & hoc quidem tuis tot ac tantis meritis, quæ modesto venerari silentio præstat, quam stylo impartiterere. Surgant hic splendidissima Vestræ Academiæ lumina & columina, præsertim Oratorum nostri ævi Gloria: Surgant, &, in efferēdis illis, vires suas exserant! Ego inter minimos Amplissimi nominis tui cultores, locū mihi postulo; hunc meis, quæso, precibus largire, DOMINE, &, in continuo bonorum incremēto, amplectere favore tuo, si non merentem; certè cupientem, & fide, cultu, studio constanter meriturum.

Nobiliss. Magnif. T. æstimatorem,

Rigæ, Mense Novembr.
Anno 1654.

IOH. BREVERVM.

ÆRUMNÆ KOYANÆ,

sub exsequiarum solennia,

delineatæ

per

Johannem Hörnick, Plavia-Variscum, Schol. Rig. Coll.

LATITUDO ANNORUM NOSTRORUM LABOR ET DOLOR.

EXercitatissimi in humanæ miseriæ palæstra, Mosis, vox est: vox gravissima, vox verissima. Etenim perpendite mecum, Mortis Candidati, (nisi nativi nominis piget,) vitam vestram, examinate singula momenta ejus: fatebimini, opinor, labore ac dolore plena, seu, ut verius loquar, laborem ac dolorem merum esse. Formati primùm in utero, quanto, quamque longinquo, dolori Matribus fuistis? at certè majori, cum prodire in hanc auram niteremini. Ipsi verò tenelli dolore ac labore liberi fueritis? imò utrumque in vobis

prima vox vestra, vagitui, (aliter n. loqui non tũ licebat,) cõtestabatur. Quod si quis primas illas ejulatuum vestrorum querimonias futurarum etiam ærumnarum præsagiũ dixerit, nõ absurdè dixerit: siquidè brutorum pleraq; recèns nata eriguntur in pedes, & gradiuntur; pisciculi natant, quò victum sibi suum quærãt: miserus homo, hominum ministerio destitutus, oppidò periturus esset. Occupatur Pater anxiè, ut victum procuret & amictum; solicitior hoc Mater cum tædio & insomnia, aut vicem ejus (sed quàm infeliciter multoties!) magno conducta nutrix, ubera præbet: gerula trepidis gestat ulnis, aut serperastris includit. Vanus sim, si omnes, qui unico infante servando fatigantur, & quot modis recensere coner. Crescunt anni: crescit cum illis labor, crescit dolor! Quanto opere constat educatio, quanto informatio? quantæ divitiæ educantibus alumnus malè morigerus, docentibus discipulus stupidus aut remissus? Harum rerum cum in mentem venisset Periplectomenæ Plaurino, conjugio omnino abstinere statuit, & inter alia,

Pol, inquit, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis,

Censerem emori; cecidissetne ebrius, aut de equo uspiam:

Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.

At lusus fortasse isthæc, præcum homo jam eò ætatis pervenit, ut sui juris arbitriique videri possit:

possit: hic opus, hic labor, ut quis seipsum vincat, affectus ebullientes confutet, & periculosa juventutis præcipitia declinet. Maturuit quispiam in virum; qui, Deus bone! dolorum montes, quæ laborum maria ob oculos versantur? quorum tamen antidhac, sive per supinam quandam oscitantiam, sive congenitam judicii infirmitatem, ne minima habebatur ratio. Superati hi montes, exhausta hæc maria; imminet senecta: hæc verò post tot calamitates quieta erit? jam demum cessabunt labores, remittent dolores? Nihil minùs. ipsa hæc ætas, si ulla alia, labor, dolor & morbus. Liceat cum Patre augustissimo, Augustino, viram doho vini pleno comparare: ubi releveris primùm, dabit merum; quò propiùs deventum fuerit ad fundum, hòc magis vappescet uvor, & feces ac mucorem mittet. Haud secus juventus florem quendam meraculi præ se ferre videtur; at ubi decrepita ætas obrepit, exolescit flos ille, & feces hac atque illac manant mucidæ. Verùm enimverò ista, quæ retuli, è trivio mala sunt, ad quorum frequentiam humanæ mentes occalluerunt; illud autem, quod subnectam, non inter jocularia; sed atrocissima numerari non abs re queat. Quippe labores nonnunquam dimidiatos, præ tædio, abrumpimus; onera nondum, quò destinaveramus, perlata, si urgeant nimium abjicimus; ast vitæ hujus, etiam ultra vota nostra exactæ, labores molestissimos non, nisi cum labore, finire; dolores acerbissimos

non, nisi cum dolore, deserere possumus. Nolo hîc corporum elanguidorum labores ac dolores tinnientibus jam auribus ingerere: notiores sunt cuique, qui cum mortis prodromis, morbis, colluctatus est; quis autem nostrûm non subinde colluctatur? quam, si optio detur, velit: animarum tantummodò, fatis oblatrantium, tumultus mecum intuemini. Hunc gloria, istum crumena, illum patina retrahit: vel, si quis religiosior, minimum uxoris viduitatem, liberorum orbitatem, & similia festinandi excessus incommoda deplorat. Scilicet tenax illa in pejora semper ruentis vitæ cupido, cujus jussu continuos cruciatus morti, dolorum malagmati, morti, laborum levamini, imprudenter præferimus; illa, inquam, sine omnimoda nostri destructione, in qua tamen ipsa labor & dolor, eradicari neutiquam potest. Verissimè ergo gravissimus Israëlitarum Dux, *Latitudinem annorum nostrorum laborem & dolorem esse*, dixit.

Idem cum eodem, per omnem vitam, quam & ipse detegit laboribus atque doloribus refertissimam, confessus fuit, VIR MAGNIFICUS, NOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS ac CONSULTISSIMUS Dn. ANDREAS KOYE, HÆREDITARIUS in TESTAMA &c. BURGGRAVIUS REGIUS, PROCONSUL &c. Quicquid fortuna, cum maximè propitia, parcè aliis elargitur, in hunc cumulatè contulisse: quicquid virtus in aliis, post multa tentamina, ægrè inchoat, in hoc amussitata

tatâ operâ perfeciisse meritò judicabatur. Nam si quicquam ad commendationem pertinet, Patriæ claritas; natus erat (A. 1586. Non. Novembr.) in Urbe hac, Livoniæ universæ Metropoli incluta: si generis nobilitas; *Viro Nobilissimo, Amplissimo* ac *Prudentissimo*, *Dn.* ANDREÆ KOYE, *Senatore & Portorij Regij Præfecto* gravissimo; Matre, ANNA, ex *Nobilissima* RIGEMANNORUM *Familia*: de quorum natalibus tacere consultius existimo, quàm pauca indignè dicendo infantiam prodere. Certè Abavus Paternus, ante hos centum octoginta duos annos, à Sereniissimo Polonorum Rege, nulla ambitione aut largitione, solâ virtute & integritatis famâ, Stemma & Privilegia Nobilitatis consecutus erat: quæ postea Diplomatis, Imperatorio Augustissimi Rudolphi, & Regio Stephani Glorioši, confirmata universæ stirpi fuerunt. Si nulla alia Koyanæ prosapiæ (quæ tamen encomiis nostris longè sublimior) gloria foret, illa saltem in omnem posteritatis memoriam sufficeret; quòd paucis abhinc annis quatuor Koyi, tum Fratres, tum Patrueles, in clarissimis Urbibus, adeò virtute & factis eminuerint, ut tres simul Burggravii, Rigæ, Elbingæ, Thorunii, quartus (quem fata, cum Subole nobilissima, in nominis & generis Koyani perennitatem, servent!) defuncti nostri Germanus, Vir *Magnifitus, Nobilissimus, Amplissimus* ac *Consultissimus*, *Dn.* JOHANNES KOYE, Regiomontanæ Palæopoleos Proconsul, salutati fuerint. Cum

vero

verò Nobiliſſimi *Andreæ* noſtri parentes, contra abſurdam multorum perſuaſionem, probè perſpectum haberent, inania eſſe titulorum magnidicorum elogia, fruſtraq́; imagines prætendi, ſi quis ipſe à recto virtutis ſtudio ac ſtadio deſciſcat; id unicè operam dederunt, ne indignũ ſe filium procreâſſe, aut neglectim habitâ educatione feciſſe viderentur. Quamobrem, ut ſolidioribus niteretur, deſiderata tantopere, filioli ſuaviſſimi, felicitas fundamentis, Chriſto eum, piâ feſtinatione, maturè ſacro Baptiſmate oblatum, precibus devotis commendare nunquam deſtiterunt: ſingulari Zelo ad pietatem aluerũt: religioſa prudentia ad ſanctos mores, circumſpecta diligentia ad literarum ſtudia, excitârũt. Nec contenti erant Prudentiſſimus Pater, Caſtiſſimaque Mater ingenuam pignoris cariſſimi indolem domi efficaciſſimis exemplis ad induſtriam exſtimulâſſe; publicorum etiam in ſchola patria curam (cui multi hodie, cum irreparabili ſuorum damno, nuncium remittunt,) auſpicatò adhibuerunt: ſub quorum fideliſſimo moderamine indies proficiens, ſupra exſpectationem omnium, inſignia ſolertiæ ſuæ ſpecimina puer ferè edebat. Vidiſſes hic exſultantes in optatiſſimis filii incrementis animos: vidiſſes documentis illis ad uberiorem ſolicitudinem, mirâ quadam delectatione, invitari. Nam velut aſſiduus hortulanus, inter nodoſa ac incultva ſeminariorum virgulta, eximiæ formæ plantam conſpicatus, amputatis nocuis, ſi qui ſunt, ſtolonibus,

nibus, circummunit, ab injuria tuetur, & cupido ſemper oculo obſervat; dum in id ſuccreſcat robur, quod & patentiùs perferat cœlum, & ſpatioſius, ubi radices agat, ubi ramos & fructus ſuos expandat, requirat ſolum: ita iſti propaginem ſibi ſuam, cujus ingenium Magiſtros & commilitones in admirationem ſui rapiebat, ab omni ſtribligine & morum ſcævitate arcendam, ſalutaribus monitis inſtruendam, à noxio inertiæ contagio aſſerendam, atque perſpicaci Præceptorum ſedulitate formandam, ſtatuerunt; uſque dum iis viribus, iis profectibus eſſet, quibus latior campus, ad explicandos laudatiſſimæ induſtriæ fructus, celebretur. Suaſerunt ergo fidiſſimi Præceptores, ère judicavit Prudentiſſimus Parens, conſenſit amantiſſima Mater, ut in celebre aliquod Gymnaſium dimitteretur: quorum etiam conſiliis Beatus noſter debito obſequio ſatisfacturus, Regiomonto Gedanoque Thorunium (A. 1605.) ſe contulit, ibidemque annum in Gymnaſio, maximo cum ſtudiorum emolumento, verſatus fuit. Etenim hîc terſiſſimi ingenii fœtûs auſpicatiſſimi prodire cœperunt: Carmina quippe Latino idiomate venuſtiſſima ſcripſit perplura; quæ typis vulgata admirantium manibus hodienum teruntur. Non enim cum Eratoſthene quodam Poëticen, ut frugis expers otioſorum hominum commentum, ſupercilioſè deſpiciebat, aut ſanctos vates ineptæ loquacitatis poſtulabat: ſciebat ſe, lectitando eorum ſcripta, non natas ad colum fabulas

las sectari : sed omnimodæ sapientiæ præcepta haurire; quæ, quò faciliùs in animos nostros influerent, viri illi divinitus afflati, gratissimâ rerum admirabilium varietate condiissent. Quid? quòd ex Suadæ Romanæ Coryphæo didicerat, cum omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, commune quoddam habeant vinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineantur ; tamen Poësin ad Eloquentiam (quam quidem noster in præcipuis votis habebat) maxima adminicula ferre, & ad ingrediendam ejus studii rationem, principem existere. Sed, heu! hoc infaustum illud momentum est, quo Koyus noster agnoscere penitus cœpit ; vitam sine labore ac dolore trahere nemini datum. Nam, ne dicam de molestiis, quæ, contra quam sentiunt imperiti, studiorum causa devorandæ erant ; quanto dolore modò non exanimavit ipsum præproperus dulcissimi *Dn. Parentis* excessus ? quantis implicuit attonitum difficultatibus ? Multi sanè Parentum obitu occasionem, quâ genio indulgere possint, nacti, asperitatem causantur, & frivolè à studiis resiliunt. Ille autem, qui virtutis & doctrinæ amorem penitùs imbibisset, inceptum laudabiliter cursum deserere piaculum statuit, omnibusque adversitatibus contra ire masculè decrevit. Hinc Gedanum remigrans (A. 1606.) integrum quadriennium, Linguis, Eloquentiæ, Philosophiæ ac optimis quibusque artibus acriorem, quàm antehac unquam, operam navavit ; ususque fuit infor-

informatione Keckermanni, (nam impertæsa solertia jam ita judicium acuerat, ut sanam Philosophiam, à paralogismis Calvinianis, facillimo opere secernere posset,) & aliorum doctissimorum virorum, quibus Urbs illa beneficaaltrix subinde exstitit. Dum cogito alacrem animum, & insatiabilem discendi cupidinem, in Koyo nostro, qui modò in Poëtarum viridariis extra se raptus spatiabatur ; modò in disputantium Philosophorum arenam descendebat ; modò è suggestu vires in Eloquentia periclitabatur : non posium mihi temperare, quin quorundam adolescentulorum vecordiam, non dico, perstringam, sed deplorem. Hi humaniora studia, ceu rē suo genio & genere minùs dignā, ubi vix primis labris degustârunt, fastidiunt; Oratoria exercitia, & Philosophica molimina, crepant ; quin & his superiora præcoce nimis ausu aggrediuntur : cujus inconstantiæ, dubiū, an insaniæ, si quis quærat quos fructus referant ? nulla literarum & artium culturâ suffulti, quicquid denique machinentur, omnia incassum struunt. Koyus autem noster ita in his progymnasmatis versabatur, ita in ea nervos omnes intendebat; ut ea sola ambire, intraque eorum septa metas suas conclusisse videri posset : & nihilo tamen secius, etiam, ut qui maximè, in his occupatus, ulteriora meditabatur. Proinde, ut voti sui compos fieret, Rostochium contendit, (A) 1611.) solerti mentis indagine ipsa juris Civilis & Canonici arcana scrutaturus. Mirum

verò, quantos stimulos acri jam pridem animo promptissima humanitate Doctores, Paulus Berens, Christianus Ohmius, Azarias Sturzius, & alii viri cum in Jure consultissimi, tum ad promovenda juventutis studia paratissimi, addiderint: tantos nimirum, ut à docentium ore intentidem penderet; ut à Legum meditatione, aque Commentariorum evolutione, nullis vel molestiis vel illecebris, avelleretur, quin diebus noctes, in Jurisprudentiæ latifundio pervigil, jungeret. Inde lustratis diligentissimè (non autem ædificia, porticus, turres aut valla, vana peregrinantium oculi feria, sed respubl. instituta, ritûs, ac mores hominum, spectaturus ibat; idque parcissimè, ne studia, quorum causa, quicquid agebat, agebat, interrumperentur) Vismariâ, Lubecâ, Hamburgo, Luneburgo, Magdeburgo & aliis; sed non nisi clarioribus, Wittebergam petiit. Infestabatur tum temporis almus ille Musarum Helicon dirâ peste, & manere quamvis cupido domicilium tutum negabat: peragratâ itaque Lusatiâ, Bohemiâ & compluribus Germaniæ regionibus, in celeberrimo Roseto, quò post excursionem illam redierat, fragrantissimas eruditionis Juridicæ rosas ferventiùs colligere denuo instituit. Verum ut divinæ mentes cœlum, unde & ipsæ descenderunt, imitatæ, motu gaudent: ita & Koyus noster uni loco torpida quiete adhærere diutius non poterat. Igitur, per Pomeraniam & confines, Varsaviam sese penitravit: non multò post per Silesiam,

siam, Uratislaviâ, Lipsiâ, Numburgo (quas non obiter, ut videri poterat, legebat; sed, ut quidque futuro usui commodum judicârat, annotans) Jenam, illam fœcundissimam clarissimorum Jureconsultorum matrem, contendit. Hîc tandem, ne frustra profitentium prælectiones, & æqualium disputationes frequentâsset, disceptationibus privatis sæpius velitatus est; donec, sub Præsidio Excellentissimi ICTI, Ungepauri, in publica luce, coramque multis insignibus viris, contestatum faceret, quantum civem Patria habitura esset. Convictus etiam & contubernium bienne Viri inter doctissimos optimi, & inter optimos doctissimi, Dn. D. Suevii, adeò juverunt Koyum nostrum, ut superatis omnibus asperitatibus, citiùs, quàm ipse ominari potuisset, juridici studii telam pertexeret. Nimirum magni interest, qui cum victites: sicut enim eximiorum virorum actiones rectæ rationis lima perpolitæ, omnesque voces ad artificis stateram examinatæ videntur: ita fieri neutiquam potest, quin, cui familiariter iis uti datur, subinde prudentior meliorque evadat, ac omnia dicta & facta sua ad illorum exemplum cõmasculet. Interea Patria amantissima, tanquam ex edita specula, laudatissimos Civis sui labores, quos sui usus gratiâ exantlari animo concipiebat, eminus observans, tacitâ consultatione dignos eidem honores, imò suis ipsum commodis destinabat. Eo fine ab Amplissimo H.U. Senatu in Secretarium Aulæ lectus, Varsaviam-

que (A. 1615.) evocatus fuit: ubi Spartam à PP. F. oblatam integrum quadriennium prudenti dexteritate, mirum quantùm, exornavit. Nam ut ficco pede per transeam alia negotia, quæ tamen omnia, quantumvis intricata sæpe ac ardua, adeo ex voto Patrum expedivit; ut ambigi potuerit, majorne in illo fides foret, an prudentia: quæ non Jesuitarum & aliorum cucullatorum machinamenta evertit? Aperto Patriæ salutem Marte aggrediebantur? animosè signa conferebat, obversoque pectore tela, in religionem, in civicam libertatem vibrata, excipiens, conatu haudquaquam irrito retorquebat. per cuniculos agebant? ille tacitè sanguinolenta eorum consilia rimari, providè antevertere, callidè eludere. Fremere ad hæc rasi Patres, & se ita ludos fieri indignè ferre. Quippe iniquitas, cum se retibus, quæ innocentiæ tendebat, constrictâ videt, injuriam foris queritur, intus dente rabido seipsam corrodit. Sed enim tempus erit, ut Pugnatorem hunc Rigam reducamus, & defatigatum aliquantisper refocillemus: mox in Aulam Regiam rursus ablegabitur, ita absoluturus omnia, ut exinde in Patriæ sinu securè quiescere, & aliquando sibi consulere possit. Dictum, factum! Nam secundò reverso, post multa gratulantium P. C. præmia, (A. 1619.) desponsata fuit *Virgo Nobilissima Pudicissimaq;*, ANNA, *Viri Magnifici, Nobilissimi Amplissimi ac Consultissimi, Dn. Iohannis Vlrici, Hæreditarij in* Rügel / Lais & Rehewüld / *tum Syndici in Vrbe hac,*

hac, mox Consulis, Consiliarij Regij, & Vice Præsidis Dicasterij supremi Dorpatensis, Filia: cum qua sequenti anno nuptiarum solennia, bonis omnibus, bene precantibus, celebravit. Ut verò Conjuges istos sincerus amor, & æqualis ferè conditio combinârat: sic corde sese invicem diligebant: nullæ rixæ, nulla dissidia; idem velle, idem nolle: dixisses duobus diversis in corporibus unam eandemque animam habirare. Atque hanc in primis æstimandam felicitatem eo facilius consequebantur, quòd Maritus placidò, Marita tractabili ingenio esset: ille leniter imperaret, hæc promptè obsequeretur. Cum autem ea jam essent in publicum virtutum merita, quæ non vulgare aliquod hostimentum efflagitarent, ut arrhabonem haberet, (A. 1620.) *Supremus Curiæ Secretarius* constituebatur: hîcipse, quâ cœperat industria, quo flagrabat in Patriam amore, pergens, bene gestis ad altiora aditum sibi muniebat. Nam quâ aliâ arte? nisi tractandæ peritiâ, nisi summa integritate, nisi fide in concredito munere sanctissima, ad *Vice Syndicatum* (A. 1626.) evectus fuit. Ne exigat à me quisquam, ut operosè hic acta recensem: publica fama jam ea loquitur; sed ita loquitur, ut humilia ingenia, in quibus ego sponte nomen profiteor, longissimè excedant. Erat enim in Viro isto, singulatis quædam prudentia, & rarum ingenii acumen, ut, quæ vera, quæ recta essent, facillimo opere perspiceret: nativa, &, cum minimè fucum oratorium affectaret, gratiis sti-

pata facundia, ut, quæ visa essent dilucido sermone explicaret: constans animi robur, & nullis perturbata affectibus libertas, ut à proferenda ingenuè sententia ne inimicitiis quidem gravissimis deterretur: sed cum primis mira auctoritas, ut, quod vellet, (nihil autem, nisi quod justum, nisi quod in commune proficuum foret, volebat) bona omnium pace subinde obtineret. Et quis non in ejus concederet sententiam? quem nôsset in dicenda sua, à pessimis illis consultoribus, ira & metu, longissimè abesse: quem nôsset nunquam aliorum gratiam aucupari, aut ad eorum placitum orationem suam accommodare: quem nôsset veritate nihil quicquam prius aut antiquius habere. Jactent Athenæ, cultrix illa artium liberalium felicissima, Aristidis sui justitiam, deprædicent Phocionis sui bonitatem; extollat Roma, dominatrix universi orbis gloriosissima, Catonis sui severitatem, commendent Cæsaris lenitatem: Riga Koyo suo gloriabitur magnificè, in quo conjunctim omnes illæ virtutes resplenduerunt, quas sigillatim in illis seculum eorum, ceu quoddam divinitatis instar, stupebat & colebat. Summum supererat; sed quod à grata Patria negari tanto Viro nomine posset, pietatis pretium, *Consulatus*: is verò (A. 1642.) adeò concordibus suffragiis delatus fuit, ut nemo vel ex PP. vel ex civibus esset, quin maximo cum tripudio in illo ipsum conspiceret fastigio. Et quidni illius incrementa omnes votis omnibus expeterent? quem,

quem, quantum honoris & autoritatis accedebat, tantum comitatis & affabilitatis, raro exemplo, adjicere plurimis experimentis jam pridem cognovissent. Quandoquidem nemo auxilii indigus lares ejus accessit unquam, qui adspectu & colloquio arceretur; cujus postulata non patienter audirentur; cui, dummodo justa rogaret, quicquam denegaretur; sed & ubi negandum aliquid omnino erat, qui æquus & placatus non dimitteretur, cum suavissima sermonis lenitate etiam importuniores ab illo demulcerentur. Publicè autem Judex erat, insontibus optabilis; iis qui per errorem, aut aliam animi imbecillitatem deliquissent, placabilis: at in eos, qui obstinata malitia, & inveterata quadam peccandi consuetudine prævaricati essent, (potiùs ne nimiâ indulgentiâ vitia aleret, quàm quòd nocentissimorum etiam hominum commiseratione non tangeretur) inexorabilis. Hebescit animi acies, dum nomen beati Consulis nostri venerabunda intuetur: id certè fuit, quod CHRISTINAM AUGUSTAM SUECORUM convenerit, ut, inter alia Regiæ Clementiæ ἐπιφάνεια, *Nobilitatis Koyanæ Insignia* (A. 1645) lustrârit, posterisque omnibus sarta tecta esse jusserit. Effecit igitur ipse, dum nec tumidis titulis, præclaris nec Majorum facinoribus, nisus, totum se doctrinæ virtutique dedit, ut jure dubitetur: ipsene plus Avorum gloriæ adjecerit, an illi reliquerint; quatenus in hoc uno erant omnia, quæ singula in aliis videntur maxima. Equi-

dem (ut summos tantùm rerum apices; quoniam istis angustiis circumscribor, & quò plus dico, hòc se uberior subinde materia offert; attingam) honores in Patria summos adeptus, majoribus semper, si qui essent, dignus æstimatus fuit. Decem *Legationibus* aut in Poloniam, aut in Sueciam; sex *Secretarius*, tribus *Syndicus*, unà *Consul*; fidelissimè functus, nunquam non ex sententia suorum confectis rebus remeavit. A *Serenissima Suecia Regina* tertiò *Burggravius* nuncupatus; *Pupillorum Præfectus*, *Consistorij Præses*, *Territorij Vxkellensis & Kircholmensis*, *Cancellaria*, *Gymnasii*, *Scholæ*, *Bibliotheca*, *Typographiæ*, *Stipendiatorum*, *Ephorus supremus*, ubique autoritatem, humanitate (cujus in meam quoque tenuitatem beneficia debitâ gratitudine agnosco libens, & deprædico) ita temperavit, ut *Vrbis Deliciæ* vocari meritis suis potuerit.

Speciosa hæc, si quis reputet, & quanta capere potest humana conditio: tanta tamen non fuerunt, ut eximere tantum Virum communi mortalium miseriâ, aut liberare labore ac dolore quiverint, quin utrumque adauxerint. Etenim, ut, Senecæ judicio, omnis vita servilium: ita vel maxime Hujus erat, quem ad clavum Reipublicæ divina evexerat Providentia. Qui uni, eique angustæ, domui præest paterfamilias, quantas sæpe tolerat ærumnas, quantas experitur difficultates? at infinitis partibus majores, qui saluti amplissimæ civitatis operam suam solicitè dispensant. Qui sacros Ordines con-

stituunt, & ad obeunda intrepidè sanctèque munia sua animant: qui Scholas, seminaria illa, unde latissimus Reipub. hortus conseritur, sapienter aperiunt, accuratè regunt: qui necessitatibus publicis subveniunt, annonam procurant, armamentaria instruunt, munimenta instaurant ac renovant: qui civibus jura dicunt, lites dirimunt, concordiamque, optimum illud arctissimumque cætuum omnium vinculum, stabiliunt: qui, inquam, dum alii quique privatis suis commodis inhiant, soli in commune consulunt, & domi peregreque omnium curas curis suis complectuntur. Agnosceret hæc ingratum seculum, nec pro salute sua excubantium labores obtereret: at nunc, dum in arduis illis muneribus, nescio, quod otium, quas delicias, præposterè nobis imaginamur, quid mirum? si malus oculus invidet, si obstinata mens in pluribus (seq in suum damnum & opprobrium) adversatur. Atque hæc quidem onera alternis gestabantur humeris: domesticæ verò calamitates unicum Caput impetebant. In suavissimo vixerat Conjugio b. *Dn. Protosc.* noster, fœcundoque: nam, benedicente Deo, ex *Anna Vlriciade* duos Masculos liberos, quatuor Fœmellas genuerat: quarum tres; *Anna*, *Magnifico Dn. Paulo ab Selmersen/Consiliario Regio*; *Eva*, *Amplissimo Dn. Iohanni Mayern/Senatori*; *Dorothea*, *pl. Reverendo Dn. M. Hermanno Bauern / Ædis Iohannitica Diacono*; sacro Matrimonio junctæ, & Generis inclutis, & Nepotibus ac Neptibus jucundis,

(quorum omnium laudibus, nisi quòd diuturnam prosperitatem animitus apprecor! consultò supersedeo; ne, etiamsi vera utique dicturus essem, gratiæ aliquid dare, aut fubleſtâ fide agere videat) Parentem locupletârunt. Hæc gaudia; at quantus labor, quantus dolor! si conferas. Filioli alterius, *Iacobi Andreæ*, præmatura mors primum inflixit vulnus: geminavit dehinc ictus Libitina, dum carissima Conjux, (A. 1631.) dolore puerperii cum partu fœmineo suffocata, luctuosum reliquit viduum. Quid tum animi beato Koyo fuisse censebimus? cum Uxoris dilectissimæ, quæ illum, & quam ipse, semper in sinu & oculis gestârat, carendum sibi videret; cum tristes tenerorum pignorum, Matrem invocantium, querimonias audiret; cum Noiliſſimos Socerum & Socrum eodem secum fulmine tactos persentisceret. Obduxerant deinde aliquam vulnera vetera cicatricem, postquam Magnificus *Procos.* noster cum *Virgine Nobilissimâ Lectissimaq;, CATHARINA, Viri Nobilissimi Spectatissimiq; Dn. Alexandri Königs/Hæreditarÿ in Gultrum*, & majoris *Collegÿ Senioris*, relicta *Filia*, ad secunda vota transierat, & sedatis ejus moribus ac officiosis obsequiis demulcebatur: repullulabat tamen subinde infestus labor atq; dolor. Nam ne dicam denuo quippiam de molestiis, quarum honores, quos gerebat, abunde habebant: quem nostrum fugit, quantam cladem perpessa sit Koyana domus unius b. *Dn. Iohannis Koyi, Filÿ familias* optimi, inopinato excessu? Versa-

Versatissimus hic erat in linguis compluribus, exercitatissimus in Philosophia, Consultissimus in Jure; & quoniam, laudabili veterum more, Arti Martem junxerat, sub *Christianissimo Galliarum Rege Prætorianorum Equitum Præfectus:* Invidit hæc incrementa Koyanæ Prosapiæ Parca, & livido cultro stamina felicissimè currentia, æternum per Musas ac Virtutes victuro, præscidit. Quid ad hæc fortunæ sævientis fulmina Koyus noster? Obfirmârat os adversus muliebres querelas, munierat pectus, ne tela improvisa penitrarent. Sævi, agebat cum Sapiente, quantùm voles, Fortuna, non commovebis me! Deus amantissimus mei ad signat te mihi, qua cum lucter; quia me vult esse optimum atq; excellentissimum. Non nova minaris; ærumnarum mollimentum mihi consuetudo est; hæc gravissima quæque in familiaritatem adduxit. Nec minori fuit animo, cum ante has quindecim septimanas in ipsa Curia (non aliter, quàm intrepidus miles in statione sua oppetere exoptat) morbo gravi, ut lectulo confestim affigeretur, correptus esset. Primò enim, ne dolori cederet, Medicos peritissimos adhibuit: cum parùm profici sentiret, adsumpto cœlesti sacræ Synaxeos pharmaco, frequens, imò totus, in precibus (quas quidem in omnibus adversitatibus, & per omnem vitam, spiritu ardentissimo, ad Redemptorem suum fuderat) laborum ac dolorum optatissimum finem patientissimè exspectavit. XI. tandem Calend. Mart. fidei manibus Christum amplexus,

sine labore ac dolore, hos laborum ac dolorum carceres transiliit. Nunc inter cœlites lætissima halcyonia agens, labores ac dolores nostros cõmiseratur. *Vidua* tamen consternata fatorum inclementiam, quę ipsam *Conjuge* fidissimo tam indignis modis spoliărint, incusat: manes dilectos vocat, ut, si fas sit, redeant; sin minùs, in alteram illam vitam assumant comitem, quam in hac sociam individuam habuerint: vigilans, quid sibi ereptum sit, ruminat; dormiens cladem suam somniat: luctum verò suum majorem censet, quàm quem quiritatus ullus indicare, lacrumarumve rivi eluere possint. *Filiæ* mœstissimæ amarissimè deflent *Parentem* dulcissimum; maturè nimis decus sibi suum ademptum queruntur: obversatur paternum illud corculum, flagrantissimus ille in se affectus: quoque magis dolori indulserunt, hòc se minùs, quod pias deceat filias, persolvisse ingemiscunt. *Generi* attoniti plãgunt *Socerum* desideratissimum: & cum dispendia sua perspicacioribus cæteris oculo contueãtur, altiùs dolorum ac mœrorũ vorticibus submerguntur. *Nepotes* ac *Neptes* pavidi *Avum* suavissimum sibi sublatum conqueruntur, cum amore ejus optatissimo fruituros se demum putarent; quin & antequam eum dignoscere cœperint: additurі omne, si quod per infirmam ætatem omissum est, ubi adoleverint, ubi merita æstimare potuerint, pietatis & gratitudinis officium. Civitas universa sacratissimũ illud caput, *Burggravium*, quem Clementissimæ Reginæ providentia

dentia commodis suis præfecerat, in foro & per vicos palabunda, collapsum, inter suspiria & cordalia, refert. *Curia* pullo velata syrmate *Pro-Consulu* sui, cujus pridem sapientissimis consiliis illustrata, singulari alacritate animata, incomparabili autoritate ornata fuit, tristes exsequias ire parat. *Orphani* communem *Parentem* suum exstinctum lamentantur: solebat enim, si qui patrimonia haberent, in ipsorum usum eadem, adversus quosvis vultures, religiosissimè tueri; cæterorũ verò inopiam suis opibus liberaliter sublevare. *Consistorium Præsidem* requirit, qui id ipsũ Ariadnæo prudentiæ filo ex cæcis intricatorum casuum labyrinthis feliciter eduxit, & ad divinarum humanarumq; observantiam ita excitavit, ut vigili ejus curâ offendicula omnia tollerentur, & disciplina, cum Ecclesiastica, tum Politica ordine decoro contineretur. *Cancellaria Ephorum* suum circumspicit; cujus ille, ut præcipua munera obierat, ita à singulis, haudquaquã nescius, multum interesse Reipublicæ, ut intemeratâ fide omnia ibi agantur, acta autem provida diligentia archivis ordine inferantur, humanissima quadam commonefactione sicubi opus erat, exigebat. Musæ *Gymnasii* convolant, & *Mecœnati* suo, qui Professorum industriam dignè pensabat, adolescentium studia paternè fovebat; quiq; orantium & disputantium exercitia quantum per alia negotia & valetudinem licebat, præsentia spectabili & ipsa animabat, & omnibus ordinibus commendabat, inter la-

menta, monumentum ære perennius meditantur. *Schola* desiderat *Patronum*; qui eam adversus venenatos maledicorum ictûs asserebat, molestissimos docentium labores æqua lance librabat, & quantum poterat, poterat autem multũ, remunerabatur: qui discentium profectûs sine tædio exquirebat, & publica examina, postremis etiam temporibus, cum jam languenti valetudine, & viribus fractis esset, præsens ad umbilicum perducebat. Adamantino ergo stylo parietibus suis obsequiosa Cliens inscribet ultimam vocem ejus, quam finito scholari armilustrio, quod mortem ejus luctuosissimam proximè præcessit, Magistris in benevolentiæ contestationem manum porrigens, mente fatorum suorum prælaga, emisit: *Hoc ultimum Examen meum erit; non supervivam aliud!* quò futuræ ætati, si qua futura est, damna sua, & natam inde mœstitiam, intimet. *Bibliotheca Instauratorem* suum reposcit, cujus ipsa favorabili ope multis reditib. locupletata, nova contignatione operta, pluribus loculamentis aucta, plurimis verò pretiosissimisq; hbris instructa est. *Chalcographia Fautorem* suum, dum typos componit, dum prælum versat, anhelat: ejus namque patrocinio debet, quòd in commodo loco, & cum omnibus immunitatibus operas suas fervidè urgere potest. *Stipendiarij Collatoris* beneficentissimi, ex cujus prompta manu studiorum impensas acceperant hactenus, & in futurum accepturi erant, acerbum obitum quo par est affectu dolent. *Boni* omnes

bmnes Pietatis, Justitiæ, Æquitatis, Continentiæ, Gravitatis ac Humanitatis vivum, quamdiu ipse vivebat, *Exemplum* postremis lacrumis prosequuntur. Vos autem, *Æternitatis candidati*, qui modò frequentes, ad cohonestandam pompam funebrem, confluxistis, aut posthac Virtutes Koyanas memori mente crutinabitis. Corporis exuviis graram quietem apprecãtes, discite: *Latitudinem annorum vestrorum laborem ac dolorem.* Vos enim beata inter beatos Anima ex immortalitatis arce compellat:

Mittite vesanas curas, mentisq; tumultûs!
Vilescat, quicquid vita dolenda tenet!
Illæc, cûi pretium statuistis amabile durus
Est *labor*, &, quamvis fors velit alma, *dolor*.
Altera, quam mortem mortalis turba vocatis,
Hæc est, quam solidat pax & amica quies.
Hîc bene pervivo, dum lurida tumba piatum
Restituet corpus; quò sine sorde colam.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

FUNDAMENTA ET EXPERIMENTA GLORIÆ, QVA SUUM SECULUM ET VOTVM, EX BONORVM TAMEN SECVLIQVE VOTO, PER DIVINAM GRATIAM, HIC SVPER GRESSVS EST

ANDREAS COJEN,

POSTQVAM EVM DIVES GLORIA FAMILIA IN LVCEM PROTVLIT, ex qua majores nactus est splendore variô celebratissimos; sed non majores, nisi annis, cum tot ornamentis ipse major multis fuerit, ut, nisi talem habuisset, primus eam atq; solus potuisset reddere nobilißimam;

QUANDOQUIDEM

IIS NATUS PARENTIBUS, EX QVIBUS NIHIL MEDIOCRE NASCI POTUIT, QUAMPRIMUM IPSE PER ætatem potuit, POST PRINCIPEM PIETATIS CURAM, ut virtutis, eruditionis & prudentiæ gloriam consequeretur, varios virtutis, eruditionis & prudentiæ antistites, successu ardentissimô, secutus, post relictam hanc metropolin patriam, inter Musas Gedanenses & Thorunienses vigorem adolescentiæ:

IN ROSETO MEGAPOLITANO ET PARNASSO SALANO IVVENTVTIS SVÆ robur ita conformavit, ita solidô, nec ad inanem ostentationis speciem; sed verum variumq; magnamentis desus accuratô peregrinationis studio firmavit, ut, non suo quidem; (nunquam enim sibi tribuebat per modestiam, qua poterat,) sed saniorum omnium judicio, prodesse ac præesse patriæ saluti posse putaretur: & idcirco

PROFVIT TANDEM, PRÆFVIT TANDEM DIGNÆ TANTO CIVE CIVITATI, DIGNUS IPSE TANTA CIVITATE CIVIS, UTQVE PRIMUM SUI daret Reip. experimentum, magnis demum tempestivè admovendus, postquam prosperè minora exsecutus esset, non minora statim magnis, in Polonia, solertiâ egit maxima, jura patriæ sanctissima adversus virulentas factionis Lojoliticæ machinas, juxta providentissimos PA-

PATRIÆ PATRES alios, cordatè tuitus; sed in patriam vocantem redux, illico ad Secretariatum: pòst ad Syndicatum, Ducibus subinde actionum illustrium optimis, maximis,

VIRTUTE ET FORTUNA,

applaudentibus quibusque bonis, elatus, promotus, evectus est:

QVICQVID ENIM ILLA GLORIÆ FERRE: QVICQVID HÆC FELICITATIS PRÆstare valuit, publicè, privatim: foris, domi: undiquaque, abunde contulit, libenter præstitit: IPSE NOSTER providâ sagacitate, fide masculâ, incomparabili labore, animo negotiis vel pari, vel superiori,

MAGNIS AD MAGNA OMNIA præsidiis,

Singularem SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SVECIÆ gratiam, constantem ILLUSTRISS. REGNI PROCERUM benignitatem, tot ibi pro salute patriæ LEGATIONIBVS inclutus, gratum

tum PATRIÆ in se favorem largiter obtinuit, quæ tandem ipsum CONSVLEM, & PROTOSCHOLARCHAM SVVM, CONSISTORIIQVE PRÆSIDEM, juxta summam Regii BVRGGRAVIATVS dignitatem, aliaque maximorum officiorum nomina libens meritoque constituit, sublimiora etiam datura si quæ habuisset;

SED HÆC DEVS AD SE REVOCATO DEDIT, QVIA HABVIT, ÆTERNAM Æterna beatitudinis gloriam!

Ut omnibus adeam per hos gradus contendentibus, extimplo essent, funebri oratione, pro virili tamen sua, d. 8. Iulii, in pullata, ob amissum Patrem, Musarum nostrarum ade, explanare fusiùs conabitur

ORNATISS. IVVENIS,

JOHANNES BUININGIUS,
Riga-Livonus,

Quem, ut de viro omnium bonorum sensu æstimatissimo, Amico, Collega, Fautore, Patrono, Benefactore suo respectivè commendatissimo dicentem, haut gravatim audiant, & hoc documento ita vivere, ut nunquã moriantur: ita mori discant, ut semper vivant, non tam quod necessum putet; quam ne morem artis interpellet, humiliter, officiosè, humaniter ex officio, ex debito OMNES, OMNES invitat,

M. Ioh. Breverus, Eloq. Profess.

MEMORIA COIENIANA.

QVanta fuerit priſcarum gentium, in ſtatuendis virorum præclarè meritorum monimentis, induſtria, quibus ad virtutum decus excitarent poſteros, cum ex aliis rebus ſatis ſuperque conſtat: tum hâc vel maximè, quod, poſitis poſt fata, non minùs politè, quàm ingeniosè, ipſorum imaginibus, celebrare illos multum conſuevêre. Curioſiſſima hîc Romanæ gentis cultioris, gentis virtutum decore ſplendidiſſimæ, prudentia deprehenditur, quæ effigies majorum ſuorum ſtudioſè colens, undiquaque eas, præprimis tamen in atriis, nulli non ſpectandas propoſuit. Bonum factum! A. magnorum enim virorum memoriam cum ipſis ſepelire non oportet: æquum potiùs eſt, ut, à temporum interitu injuriaq; vindicata, eâdem cum virtute immortalitate donetur. Quid? quod illas intuiti imagines Poſteri, non hæreant in figura corporis; ſed virtutes magis, quibus clarùerunt, quibus excelluerunt majores, imitentur, &, dum illas immortalitatis eſſe matres vident, immortales ſeſe iis quoq; ſtudent reddere. Tanto paſſim ſtudio a gentibus laboratum eſt, ut corpus quidem terris ac tenebris mandantes, illuſtres animæ virtutes publicis encomiis decantarent. Et quid æquius, quàm ut de-

defunctorum facta in conſpectu, in honore, in amore omnium habeantur? Nec aliunde in republica fœcundior virtutum proventus eſt, quam ſi rerum laudabiliter geſtarum magnitudo, & præclara virorum merita, in ſeram uſque poſteritatem diffundantur, ſi ab oblivionis ruina aſſerantur. Quod ſi juſto laudum tituto, & debitis ejusmodi honoribus defraudarentur optimi quique, quis caput ſuum tot periculis, quis tot vitæ diſcriminibus, tot & tantis ſortis dubiæ procellis, quantis perſæpe viri exponunt ſtrenui, exponeret? Multum igitur intereſt, ut magna magnorū virorum nomina magno honorū cultu celebrētur, ne eundem tumulum ac titulum, quem fortes, ignavi; quem animoſi, deſidioſi habeant. Quemadmodum ex ſemente bona fructus ſurgunt optimi: ita ex ejusmodi virtutum æſtimatione, ad optima quæque, generoſi animi commaſculantur. Etenim hanc gloriæ cupiditatem, bene natis atque educatis, natura, ſeu, ut rectiùs loquar, naturæ autor, Deus, implantavit, ut, cum ſola quoq; cogitatione in eā inciderint, amore inflammētur gloriæ, & ita inflammentur, ut non in otio; ſed negotio, non in voluptate; ſed labore, non in umbra atque tenebris deliteſcere; ſed in lucem prodire, & ad ipſum virtutis præmium, honorem, fortiter cōtendere nitantur. Nimirum, ut virtus talium virorum æterna eſt: ita, quicquid in illis unquā honoravimus, quicquid admirati ſumus unquā, manet, & incentivo nobis eſt, quò ad ejusdem

gloriæ cupidinem exſuſcitamur. Sanè, ut ſpeculum, ſi alteri opponatur, eandem ſpeciem refert, eundem vultum, qui in altero aſſumit: non minus ejusdem animi effigiem repræſentare, & ſimile quidpiam imitando exhibere homo poteſt. Et hæc imitatio illud unum eſt, quod ſupra valla, muros, mœnia, ſupra propugnacula, civitates corroborat, ſi elegantioribus ſuorum geſtis, ab ipſius fragilitatis metu aſſerantur. Felices, qui cum Romanis virtutem hoc modo percolunt! Feliciores qui obtinent! quanquam quid de Romanis loquor? quicquid ſuo ullibi merito præclarum habetur, ubique præclarum haberi debet. Quis adhuc hodie tantorum virorum memoriam, qui ad ſacrum virtutis & honoris templum, candidis quaſi quadrigis deducti ſunt, ab oblivionis metu ſervare non accuret? quis ſplendida mundi lumina, in publicum mundi theatrum efferre non laboret? ita olim factum: ita hoc ſeculo conſuetudo obtinet. Tale autem tantumque mundi lumen B. *Dn. Cojenius* fuit; ſed heu fuit! quæ quidem cauſa eſt, quod, cum non ita pridem terræ partem mandaverimus, gratam tanti Viri memoriam officio pio venerati, & nobiliorem alteram, in hoc Muſarum templo, tanquam in ipſo immortalitatis acroaterio, mpræſentiarum, pro virili, ſiſtere conſtituerimus, ut, quæ fundamenta virtutum in eo celebratiſſimarum fuerint, quæ experimenta, Viri tantiamatoribus, cultoribus, æſtimatoribus exponamus. Quod dum, minimus

mus equidem ex iſtis, deditiſſimo facere ſtudio annitor, ſubmiſſo à vobis animo, Auditores benigniſſimi, non tam, quod neceſſarium exiſtimem, ad recentem apud Vos viri laudatiſſimi memoriam, vos excitare, quàm ut conſuetudini obtemperem, contendo, ut, cui honoratiſſimam veſtram commodare præſentiam voluiſtis, promptam porrò attẽtionem, promptumque favorem indulgere ne dedignemini. MAGNUM utiq; felicitatis humanæ momentum in eo poſitum eſt, ſi quis præclaris gaudeat natalibus: majus verò, ſi, ex ſemine majorum nobili, illuſtria virtutum quoque ſemina hauriat. Sicut enim grati fructûs, ex radicis bonitate oriuntur: ita indoles non minùs bona ex majorum ſanguine ſolet ſurgere. Felices, quos omnigenæ felicitatis autor, Deus, ram feliciter naſci voluit! Et ita B. noſtrum D. COJENIUM naſci voluit, ut ex nobiliſſimis majoribus nobiliſſimam indolem duceret. Neque verò glorioſam Domûs Cojeniæ antiquitatem multis enarrabo, ne, quod inſtituti mei non eſt, quid dicam, virium mearum? ſuſcipiam. Dicam modò aliquid, de nonnullis B. Noſtri majoribus, & quæ nobilitatis inſignia, quæ virtutum ornamenta in iisdem exſplenduerint, delibato. Ecce, ne ad remotiores aſcendam, vobis BENEDICTVM Cojenium, Abavum! de ortu quæritis? ex *Sileſia* illum habet. Hic, anno 1471. Thorunium profectus, & Scabinorum Præſes conſtitutus, ex antiquiſſimâ nobiliſſimâque Thoyduſcorum familia uxorem

xorem duxit: postquam autem, præclaris suis in rempubl. meritis, magis magisque eniteret, ne tanta virtus suis careret ornamentis, illustri nobilitatis decoramentô exornatus est, & illis ipsis insignibus, quæ Thoyduscorum fuerant, (nisi quod clypeo galea equestris, in cujus fastigio corona aurea, peculiariter addita fuerit,) exornatus est. Non inferior tanto Parente fuit JOANNES filius, qui suis in rempubl. meritis gloriam, nullo ævo inter morituram pari passu cõsecutus est. Quantis verò laudibus efferendus esset ANDREAS, avus B. Nostri quantis celebrandus encomiis? Quanto hic jubare Promicat filius ANDREAS, Beati nostri Pater, qui splendidissimam hanc familiam ex Borussia in Livoniam transtulit? Erat hic spectatæ prudentiæ vir, Senator Rigæ gravissimus, laudatissimus: erat Præfectus Portorii Regii fidelissimus, ut mortui; quid? ut in grata omnium memoria viventis nomen, illibatum adhuc servetur. II. xorem autem hic, ex nobilissima *Rigemannorum* familia, omnium virtutum laudibus insignem, sibi sociavit. Felix par conjugum, non suis tantùm virtutibus; sed avorum Proavorumque felicius redditum! Quid, nisi germen nobilissimum, ex nobilissima Prosapia, pronasci potuit? Natus inde est, anno M.D.LXXXVI. B. Noster, ANDREAS, Vir in tantum celebrandus in quantum magna celebrari omnia possunt ac debent. Quî enim, ex tam nobili arbore, ignobiles fructus? qui, ex tam insigni scaturigine, rivi sordidi? qui, ex tam illustri radice, alii flores, quàm virtutum quàm gloriæ, quàm meritorum plurimorum, surgerent? Verè Deus est, qui aureum, ex aurea hac stirpe, ramum frutificari, Deus est, qui æternam Patris hîc memoriam, tantâ filii gloriâ, firmare voluit! MAGNUS quippe vir, sine Deo, nullus est. Unde si illustrem aliquam rempubl. beneficio mactare, si splendorem ejus alio augere decreverit, ex sacrario benignitatis suæ virosegregios suppeditat. Dum in hoc cogitationes vestras mittitis, Auditores, non poteritis non admirari mecum vehementer, quod uno eodemque tempore tot, in uno familiæ cœlo, sidera effulgeant! quod tot, ex una domo, Consules numerentur simul ac celebrentur! Haud ita pridem familia Cojorum eminentissima illustres quatuor civitates Proconsulibus ornavit eminentissimis. THORVNII BENEDICTVS, ELBINGÆ JOANNES, RIGÆ NOSTER fuerunt; sed hi tres fuerunt! unus, unus adhuc ex illis superstes est, Vir Magnificus, Dn. JOANNES COJO, PROCONSVL REGIOMONTANUS, defuncti frater germanus, cujus pietatem, qui adspiciunt, suspiciunt omnes: qui virtutem, admirantur, ipsumque velut lucidissimum justitiæ speculum, prudentiæ senaculum, gratis votis vocibusque prædicant. Quis facilè ex historiis tam illustres, tam insignes, uno tempore quadrigas, in tanto dignitatis & eminentiæ fastigio conspicuas, afferet? O cœlo natam

atque donatam Cojorum familiam! Te modò, magne *Regii montis* Consul, (Te enim mihi alloqui liceat,) *Te Deus conservet*! *Te*, qui Cojorum modò lux atque gloria, *Deus conservet*! *Te*, qui lumen atque columen, *Deus* conservet! Vive Deo, vive Patriæ, Pater Patriæ, vive familiæ Tuæ, vive Filio Tuo carissimo, ut *Tibi* filius Tuus vivat carissimus! Perennet in utroque vestrûm *Cojorum familia*! Quemadmodum autem non sufficit, ex radice nobili prodire surculum; multa, ad fovendum, nutriendum, excitandum eum, cura opus est: ita non parva cura ac cultura, in bona indole adhibenda, ut ad virtutum eminentiam & bonum reipubl. efflorescat. Quid verò magis huc facit, quam ut egregia virtutum semina, tenellis animis, maturè inserantur? A viris enim optimè educatis, quanti fructus? quanta in Patriam commoda, in populum felicitas? quantus in cives splendor? Hanc ob causam B. N. sedulam, per omnes ætatum gradus, in studiis curam impendit, excitantibus eum initiò monitis Parentum & curis, qui magna statim de eo omnia augurabantur. Si enim annos pueritiæ, annos adhuc tenellulos replicamus, indolem jam tum erectam prodidit, ingenium nobile, mentem egregiam, ut insignes ejusmodi naturæ dotes spem magni boni Parentibus adferrent maximam. Nimirum, sicut ortus auroræ roseus, limpidum ac sudum promittit diem: ita illa ætatis aurora, splendida pollicebatur omnia. Omnem igitur operam, omne studium, in ritè

ritè rectèque educando filio, intendebant Parentes, parum esse existimantes, ad omnia magna ipsum genuisse, nisi magnum studium adhibeatur, quò ad magna quoque omnia excitaretur. Jam adolescentiæ limina ingressus, Magistrorum fidei in solo committebatur Patrio: horum opera formatus, magni haberi, magni æstimari incipiebat: Et quidni? Tam optata bonæ frugis documenta edidit, tam promtè votis Parentum respondit virtutum avidus animus, ut jure magni habitus magni æstimatus sit. Profectibus ergo ausus majores flagitantibus, consilio Domini Parentis, Anno 1605. Thorunium profectus, Gymnasii ejusdem celeberrimi civibus sociabatur. Videbat ibi faces, quibus ad virtutis & doctrinæ amorem incendebatur: facem autem domus suæ non videbat amplius: exstinguebatur, postquam Parens optimus, Anno 1606. humanæ naturæ pensum absolvisset. Quis tum spem concepisset, in tantum eminentiæ fastigium evectum iri orphanum filium? Nec enim nulli sunt, qui, morte Parentum territi, studia remittunt, aut penitùs omittunt. Sed Nostro Cojenio longè aliter videbatur, qui masculo animo & indefesso indies in studiis studio ferebatur, ut, si non Patri; Patriæ tamen, cui se obstrinxerat, utiliter aliquando inserviret. Allectus semel suavitate literarum mellea, constanter eas in deliciis habuit, nihil jucundius sibi dari posse aliud, statuens. Migravit ergo *Gedanum* ad illustre doctrinæ

& elegantiæ domiciliũ, ut eum Musis ibi Gymnasticis ampliùs versatus, præstantiorem sapientiæ thesaurum colligeret. O felicem, qui felicem studiorum formatorem, ad hunc finem obtinendum, nanciscitur. Talem nactus Gedanensis est COJENIVS, ductorem doctoremque, illo tempore, felicissimum, clarissimum nempe BARTHOLOMÆVM KECKERMANNVM, sub cujus manuductione totum ibi quadriennium, in musarum contubernio, consumsit, ut omni doctrinarum humaniorum genere efflorescceret. Ab illius, in his ipsis, luce lucem hausit: ab illius informatione optimâ optimam discendi modum didicit. Profectò, sicut arbores quascunque palma superat: ita laudatissima docendi felicitate alios, ea memoria, à tergo relinquebat Keckermannus. Quis non ad illum, velut ad fœcundam arborem, ad colligendos eruditionis fructus, tum confugiebat? Quis non Dantiscum tendebat. Quod tanta studiosorum turba ibi tum confluxerat: quod ad tantum gloriæ gradum Athenæum ascenderat: quod tanquam ex equo Trojano, in omnes inde melioris orbis partes, viri undiquaque doctissimi prodibant, Keckermanno debebatur. Testem habemus; sed solidum ac verum, verum nempe discipulum & auditorem illius Philosophi, qui tractandi tam Dantisci studia felicitatem prædicare sæpius solebat, quam quidem & laudatissima informandi ratio, & concursus juvenum diligentissimorum mirum quantum pro-

promovebant. DOCENDI enim prudentia & discendi alacritas duo veluti cardines sunt certissimi quibus felicitas scholarum gymnasiorumque volvitur. Sed jam assiduo labore per insuavia severiorum studiorum scamna, per difficiles scholarum pulveres transvectus *Cojenius* ulteriùs, ubi firmioris exercitationis Palæstram ingredi possit, cogitat. Cogitat in Academicam prodire lucem, & ad magna natum magis exercere animum, ut plus aliquando lucis attulisse majoribus, quàm ab eis accepisse, videatur. Rostochium proinde, Anno 1611. sese confert, quod cum vix salutâsset, magno amore, magno honore à Viris quondam, & JCtis Excellentiss. PAULO BERENS, CHRISTIANO OHNICO, AZARIA STVREO affectus fuit. Qualem verò, in hac arena, se athletam præbuit? præbuit se planè strenuum! Qualem, in studio ac stadio Musarum, cursorem? certè indefessum. Qualem, in hac palæstra, luctatorem? animosum semper, & successibus optatis nobilem. O verè sapientem, qui sic sapit! Sic verò sapiebat COJENIVS. Cum in illustriori & clariori loco viveret, illustriorem se se subinde reddere ac clariorem laborabat. Vivebat ibi, ut floreret. florebat, ut suæ olim Patriæ viveret. Vitam virtutibus exornare studebat, ut honore ac amore aliquando ornaretur splendidissimo. Noverat utique, *neminem* unquam plura scire debere & meliora, quàm qui alios velit regere, qui, suis virtutibus, omnibus esse velit adjumento.

to. Noverat, superiorem aliis, meliorem quoque aliis esse oportere, ut & præsit, & prosit. O cœlo datam indolem! O ardorem discendi incredibilem! quid non efficit, ubi semel generosa pectora occupavit? Ad nobilissimam igitur; sed gravissimam quoque studii Juridici tractionē, erecto statim animo contendit, totum se illi, (totam siquidem requirit hominem) tradens, ut totum, si quis modò posset, exhauriret. Ingenii proinde velum omne explicuit, ne in tam magnifica, tamque augusta facultate ultimus reperiretur, aut sibi quicquam incognitum maneret. Semper juxta lectiones publicas, optimos legit scriptores, lecta inde annotavit, & excerpsit, excerpta in succum ac sanguinem convertit. Hic legum & juris arcana scrutabatur: ibi rerumpubl. formas indagabat: alibi pacta gentium, jura federum investigabat, veterumque monimenta evolveat sedulò, & ita evolvebat, ut, qui imperiorum ortus & occasus, quæ commoda aut damna, perpenderet. Hoc erat illius otium; quid dico otium? hoc negotium illius erat: hoc studium, quod noctes diebus, dies noctibus jungens, tractabat. CUM verò laurea non currenti decerni; sed decurrenti soleat: perseverandum quippe est in stadio, donec ad metam pervenias, donec barbeum obtineas: ideo B. Noster non satis esse duxit, juris studia incepisse; sed perfecisse: non degustasse; sed consumasse glorioſum esse duxit. Hanc ob causam, anno 1613. Jenam benignam semper Musarum

tum altricem virtutumque omnium Palæstram, cursum parat, & acceptus statim Professoribus, jucundus commilitonibus, carus ibi omnibus factus est. Innotuit enim Viris eruditorum optimis, & optimorum eruditissimis, UNGEPAVERO præsertim SUEVIOQUE, magnis lctis: & hujus quidem convictu contubernioque, biennii ferme spatio, usus est. Istum autem in primis audivit, & ita audivit, ut maxima minima ab eo audita, perdisceret: hunc observavit; hunc coluit, vicissim observatus cultusq; plurimum. Gnarus enim erat optimè, optimum esse, optimorum virorum favorem & amorem sibi conciliare, ad quos aditus tibi liber pateat, per quos ad virtutis & doctrinæ templum perducaris. NEMO enim nescit, tenacius hærere, & in interiora pectoris conclavia descendere melius, quæ ex ore tantorum Virorum propinantur. Parum etiam juvabat prodesse COJENIUS, multa multis laboribus, sudoribus multis, multis vigiliis intra musei sui ambitum, sibi corrasisse, nisi quis in lucem prodeat, & ut ita crescat amplius, & ad majora undique excitetur. Latet enim quis quamdiu intra privatos cancellos latet. Quod si prodit in publicum, quanto magis eminet? Representate Vobis, Auditores, in arena stantem Roscium! cingitur hic splendidissimâ virorum coronâ, aures animosque attollunt, suaque in Roscium tela vibrant plurimi; masculo ille animo vibrata excipit, & vicissim in eosdem sua ejaculatur spicula,

ita,

ita, ut feliciter tandem triumfet, & gloriæ palmam exinde reportet. Non aliter de noſtro cogitate Roſcio, qui vires etiam ingenii ſolenniter periclitatus eſt, & in arenam; ſed glorioſiſſimam deſcendit, ſub præſidio nimirum Excell: Ungepaueri publicè diſputans, laudem inde ac gloriam reportavit maximam! Sic, ſic vividum pulcerrimæ Juventutis florem ac decorem, quem multi luſus inter & luxus perire patiuntur, intergraviſſima ſtudia conſumſit! Sic, ſic immenſa ſtudii juridici ſpatia emetiri conatus eſt! Felicem, quisvis ſic in ſtudiis ſudat! felicem qui ſic terminat! Quantum aliàs in ſtudiis accedat ac decus, quanta, ex peregrinatione, animo prudentia, nemo non intelligit. Cum enim ad judicium ſubactum, ſtudium non leve, conſilium prudens requiratur, experientia, prudentiæ magiſtra itidem accedat, neceſſum eſt. Hæc quidem domi inchoatur, foris tamen rubuſtior redditur: domi ſuſcipitur, foris perficitur, non exinde, tamen, ſi quis tantùm multa videt, ſi pedes paſſim circumfert & oculos. Vident multi victoriarum tropæa, magnificas urbes, ſpecioſas portas: vident altas turres, palatia regia, inſigni opere, transmarino murmote, auro argentoque diſtincta vident; domum redeuntes, quid, niſi ſe ipſos reportant? O peregrinatores malè curioſos! malè feriatos! PRUDENS animus videt ea, quæ vidiſſe aliquando proficuum ac ſalutare accidat. Inſpicit præſentia: eruit abdita: latè diffuſa emetitur: ſectatur remota: alrè con-

conſtituta penetrat; aperta, operta obſervat. Prudens animus imperiorum fata, fatorum eventûs, eventuum cauſas, cauſarum momenta expendit, milleformes animorum formas animo examinat, induſtriâ aſſequitur, ſtudio indagat, ſolertiâ ponderat, judicii acumine rimatur. Animus prudens morum elegantiam obſervat, notat leges ac jura, in bonos præmia, in malos ſupplicia & pœnarum exempla connotat: undique modeſtè curioſus eſt, & curioſè modeſtus eſt! Omnes actiones, omnia, quæ ad ſcientiam, prudentiam, & mores faciunt, prudens animus obſervat. Hæc dum dico, dum liberius nonnihil exſpatior, peregrinatorem intelligitis notari; ſed peritum; ſed prudentem, & ſagacem, inprimis B. COJENIUM, qui peregrinari ita voluit, non circumvagari, aut doctior & melior, ut ad vitam ſapienter inſtituendam paratior & Patriæ utilior, ex hoc, ut ſic loquar, mercatu reverteretur. O ſolertem ejusmodi peregrinatoris ſtudioſi prudentiam! Hâc verò duce, nobiliorem orbis terrarum partem, Germaniam, regionum quarumcunque, eo præſertim tempore, germinantiſſimam, peragravit. Lubecam & Hamburgum, ocellos emporiorum præcipuos, inviſit: Viros ibi, virtutis & doctrinæ fama inſignes, convenit: eorum favorem ambiit, amicitiam obtinuit, ut merces inde pretioſiſſimas reportaret. Amorem, quem attulit, retulit. Hinc Luneburgum & Magdeburgum profectus, quicquid vel propter veruſtatem admirabile, vel pro-

propter novitatem commendabile, vel propter administrationis formam scitu dignum, vel propter reipubl. celebritatem insigne erat, susfecit. Posthac primariam illam orthodoxæ doctrinæ sedem Wittebergam, adiit; sed infesta ac infausta pestis, non satis tutum ibi domicilium promittens, in Bohemiam ipsum coegit. Lustratis igitur Bohemiâ, Lusatiâ, Marchia, & aliis Regionibus nobilissimis, rosarum & Musarum hortum, ubi primos eruditionis academicæ flores collegerat, repetiit. Mox anno 1615. per Pomeraniam, & confines Regiones, Warsaviam contendit. Non multò post Uratislaviam, Numburgum, Lipsiam vidit: visis omnibus & observatis, ad præcipuam illam Palladis officinam, elegantiæ & doctrinæ sedem, Jenam, rediit, virorum clarissimorum consuetudine denuò gavisus utilissimâ, ut semper doctior, semper melior evaderet. Ita scilicet peregrinari decet: ita COJENIUS peregrinatus est, & nonnisi, qui sic peregrinatus est, verè peregrinatus est. Hæc igitur solidioris boni fundamenta jecit B. Noster, quibus parum aliàs firmatis, quicquid superstruxeris, corruit. Nevata verò felicissimè tam sedula, tam constanti in studiis industria, latere diutius non potuit; sed in maxima famæ celebritate & hominum oculis versatus est. Sicut flamma cinerum recondi rumulo non potest, multò minùs opprimi; ita virtus excelsa, virtus augusta, omni flamma vehementior, intra angustias compesci non potest;

sed

sed diffundit sese undique. Jam dudum ipsa civem suum Patria desiderabat, suis eum bonis voto destinans. Illa ergò, quæ COJENIUM semper, quam COJENIUS semper mutuo affectu prosecutus erat, in ipso adhuc studiorum stadio Jenæ versantem, omnium judicio ac consensu, Secretarium Aulicum constituit. Quid ad hoc B. Noster? audebo dicere: ipse de se fassus est: perculsus novitate rei stupuit: Neque mirum! præter vota, præter exspectationem omnem, quicquid accidebat, accidebat. Promto tamen & alacri animo concreditum sibi susscepit officium, fati sui cursum videns, videns vota Reipubl. Patriæ, Warsaviam proinde extemplo se contulit, ut, qui antehac sibi laboraverat nunc Patriæ inserviret. Antehac experimenta eruditionis non vulgaria dederat aliis: quia ergo dederat, campus ei nunc dabatur spatiosus ac speciosus, in quo, quid demum posset, ostentare posset. Et hoc ita egit, ut, quicquid patria de eo sibi promiserat, feliciter impleret. Nisi fallor, cogitationibus jam vestris præcipistis, quæ adeptus est, insignia plurima: quo autem modo, ac medio? Non imagines majorum, non munerum magnitudo, non blanditiæ & intercessiones, non ambitio viam ipsi ad officia monivêre clarissima; sed virtus laudatissima, semper illum comitata virtus, inquam, ipsum ad istos dignitatis gradus extulit. Mirum profectò est, nec tamen novum, Secretarium se nescivit; & tamen

fuit. Sic vocatus ex illis locis prius fuit, quàm discessit: privatus adhuc, splendidè inclaruit. Et sanè cum nobilissimus esset, quomodo latere potuit? cum Patriæ addictissimus, quomodo debuit? Tales sui admiratores ubique inveniùt, & publicæ famæ tubæ efferuntur. Bene autem honores obtinet, qui ut B. Noster, obtinet, qui obsequii sui caritatisque in Patriam qui reverentiæ suæ in Patriæ suæ Patres præmium obtinet. Tanta enim illa in B. COJENIO fuerunt, ut, postposita etiam suorum in Patria visitatione, superiorum nutibus se submittens, spartam, quam nactus erat, aulicam, strenuè adiret. Audiant hæc de B. Nostro insidiosi honorum aucupes, qui, quocunque modo possunt, in dignitates irrepunt verius, quàm intromittuntur; qui se obtrudunt magis, quàm accedant. Hæc enim res, cum ubique reprehensionem meretur; tum in publicis, non potest non mereri maximam. Sed jam tempus est, A. ut Patriæ COJENIVM restituamus. Anno igitur 1619. revertitur Patriæ negociator felicissimus: revertitur suis acceptissimus, omnibus desideratissimus. Suum Patria *Cojenium*, *Cojenium* suum amplexa est! Suum amplexi omnes, exosculati omnes! Præmium autem expeditionis in aula felicissimæ ne deesse: quomodo enim deesset? mox aditum ad altiora obtinuit, unde, per omnes publicorum officiorum gradus ad supremum Reip. fastigium postmodum adscenderet.

ret. Supremus anno 1616. Curiæ Secretarius factus, exhaustisque illius officii laboribus, Anno 1630. majori honorum apice condecoratus, Syndicus constitutus est. Dignitatem autem istam cum dignitate gessit, & ita gessit, ut majori dignus haberetur. Cum enim Amplissimus Senatus miram in eo judicii acrimoniam perspiceret, cum exquisitam in negotiis sedulitatem videret, cum dexteritate prudentiaque conjunctam eximia, quod reliquum erat, quàm ut per honores ad honores proveheretur? Unanimi proinde Senatûs decreto, omnium applausu, conscendit, faustisque votis ac fatis in solio dignitatis Consularis, solio Patriæ supremo, anno 1542. collocatus est. Salve hic Pater Patriæ, *Cojeni nobilissime*. Liceat & mihi obortam tum ex dignitate gaudia verbis meis libare. Salve jubar familiæ splendidissimum, cujus ea radiis lætius subinde effloruit! Salve, quo nomine nunc verè gaudes, Consul optime! Tuâ curâ, juxta aliorum, Tuâ vigilantiâ, latissimo respubl. incremento hucusque floruit! Consul eras, &, Consulem Te esse, memineras, ut optimus esses, & nihil infra Te, nisi quod infra Consulem, putares. Consul eras, audiendo facilis, respondendo benignus, consilio auxilioque promptissimus, qui consularem dignitatem, non tam dignitatem esse, quam onus, quam officium laboriosissimum, & sciebat & sentiebas, in quo serviendi alacritate omnibus

nibus gratificandum sit. Hinc amabaris impensè, quia amabas alios: & nihil in Te erat, quod non amaret, quod non amaretur. Sic autoritatem cum humanitate temperabas, ut non posses non summis atque infimis carus esse. Quis non felicem ist hoc nomine rempubl. dixerit, in qua autoritatem humanitatis condimento misceent reip. Proceres? Quis dignitatem tanto viro: quis virum tanta dignitate dignissimum fuisse, non fateatur? Post hæc autem ut labores laboribus cumulentur, S. R. M. voluntate BURGGRAVIUS tandem factus est: accesserunt temporis successu alia honorum onera, ut Ecclesiastici. Consistorii Præses, Pupillorumque Præfectus, ut Territorii Uxkeliensis & Kirckholmensis; Cancellariæque & Gymnasii, ut Scholæ, Bibliothecæ, Typographiæ, & Stipendiariorum Ephorus supremus fieret. O virum meâ; sed quid meâ dico? virum nostrum omnium laude majorem, qui tantis laboribus par fuit? O humeros validissimos, qui tantum & tam varium pondus tulerant! O cœlestem denique animam, qui tantis rebus præfuit ac profuit! Nihil enim hoc loco dicam quod decem legationibus de rebus gravissimis, de rebus rali tractatore dignissimis, tum in aula Polonica, tam Suecia, functus fuerit, & quidem sexies, ut Secretarius: ter, ut Syndicus; semel, ut Consul providentissimus. Talis enim ubique erat, ut non posset non felici

lici omnia successu expedire. Nimirum ut in gladio aliquo permagni interest, cujus manu regatur: ita in legationis munere non infima successus spes exinde nascitur, si digno nempe concredatur. MAGNA negotia, magnis curatoribus egent. Quis, talem fuisse COJENIVM, non dixerit? non solùm domi, sed foris etiam, ut mitum nemini videri possit; quod magnus ille animus, ad magna, apud magnos, obeunda toties electus fecerit. Magnarum rerum capax fuit, in legationibus præsertim, totius Patriæ salutem concernentibus. Concipite animis vestris Auditores, homines astutos, venenatos, sagacissimos, in omnium fallaciarum schola eruditissimos, & cogitate, quantâ cum illis agendi prudentiâ opus sit, quantâ sagacitate: fatebimini haut dubiè, quod tantâ opus sit, quanta ullibi. Tales autem fuêre Jesuitæ, cum quibus adversariis hujus civitatis versutissimis, COJENIO in aula Polonica certandum fuit. Ita igitur certandum fuit, ut, nonnisi duce prudentiâ, tot syrtes, tot vada superaret. Quemadmodum solis splendor reliquorum siderum splendorem vincit: ita, in maxima virtutum corona, virtutum corona, maximè præfulget, prudentia. Illa vitæ magistra, omnium bonorum consiliorum Præceptrix, omnium rerum moderatrix, omnium virtutum lux atque Dux præfulget maximè. Hâc luce prævia,

obscuriſſimas quoque negotiorum ambages feliciter, in auguſtiſſima etiam Suecorum aula, ſuperavit. Utrinque enim officium hoc illuſtre, ſed plenum periculis, plenum moleſtiis, exornare ſtuduit. Et ſanè, munus hoc legationis qui ſuſcipit, arduum ſanè ille ſuſcipit! Quis ſine defatigatione tam illuſtris auditorii legati laudes & virtutes recenſeat? quis curas rerum agendarum ſolertiſſimas? Tales curæ, tales virtutes fulgentiſſimum in COJENII pectore decus & ornamentum fuerunt, ut intricata peritè foveret, obſtacula providè amoliretur, &, quid fugiendum, quid amplectendum eſſet, inſigni vigore ingenii, & oculo prudentiæ emiſſitio perſpiceret. QVANTACUNQVE autem prudentia ſit, niſi fides adſit, aſtutiæ peſſimæ nomen meretur. Inter reliquas; imò ante reliquas virtutes; quibus Patriæ felicitatis tutores inclareſcunt, fides fulget maximè. Hæc ſine ornamenta cætera obſunt potiùs, quàm poſſunt. Quid promiſſa ſibi volunt, niſi fides fieret? quid verba, niſi vera? ſi rebus vidua, fidei ſimulacrum vide! Ancora hæc ſacra eſt, quâ in negotiorum pelago ſecurus homo navigat, turbinum etiam in ſultibus ac tumultibus quibusvis major, quibusvis ſuperior. Quis verò hanc, quis in COJENIO fuiſſe neſcit eximiam? Privata & publica fidei ſpecimina plus ſatis eam loquâtur, ut hanc in eo laudem laudibus perſequi multis, opus non ſit. Si enim multa paucis dicen-

dicenda ſunt, prout meritò hîc dicenda ſunt, quam ſincerè cum amicis verſatus, quàm prompè illos juverit, & ita prorſus, ut non tantum verbis; ſed reapſe fidelem illis amicum ſe præſtaret, omnes nôrunt. Vos hîc convenio, quorum ora in tueri licet, Auditores qui ſpectabili veſtrâ præſentiâ præſens hoc auditorium exornatis! Vos ipſos teſtes omni exceptione majores convenio! Annon ille Vobis omnibus, omni tempore fidem ſuam, ſuam ſinceritatem probavit? Date modò mihi veniam, quod inter laudes B. publicas de privatis aliquid tango. Publicas tam notas ſuo omnibus, ut illas ſæpe ingerendo Vobis videar diffidere. NULLIBI minùs diſerto eſſe licet, quàm ubi maximè licet. Quanquam hoc tacere nequeam, quod, nullis animum muneribus corrumpi paſſus, illibata ſemper fidem ſtuduerit ſervare. O rarum tantæ fidei virum! Æterno, ad omnem poſteritatem, encomio effertut fidiſſimus Patriæ ſuæ Pater, Epaminondas, quod ſe magno auri pondere ab Artaxerxe, per Micytham corrumpi non ſit paſſus. Miſſus ſcilicet ab Artaxerxe Micythas, adoleſcens inſignis, ad Epaminondam erat, quem tam impenſè dilexerat hactenus. Micythas Epaminondam ſuaviter compellat, & ingentem auri copiam ante pedes ejus deponens; En! inquit, cape Princeps à tuo altero tuo! Quid ad hæc Epaminondas? Voce iratâ, nobili tamen: quid, Micytha; mihi adfers, reſpon-

spondet: splendidas terræ laminas mihi adfers. En tibi, quæ apportâsti, repete! Non orbis terrarum divitias, præ fide in Patrjam, accipere vellem. O invictum animi robur! ô dictum mentis aureæ bracteatum? Macte hoc animo, Princeps animose! hâc virtute, hac gloriâ immortalitate donatâ, macte! Laus tua iisdem, quibus solis cursus regionibus continetur. Et in tanti Viri imagine, COJENII quadantenus, tanquam in speculo, apparet limpido! Hac enim virtute famam quoque & immortalitatem, vel sola, meretur, quod majorem muneris, quam munerum quod potiorem laudis, quam lucri rationem habuerit, justum videtur esse mentibus ingenuis, Patriam, quæ illas gremio & sinu suo primùm excepit, in qua infantia illorum vagit, puericia lusit, adolescentia crevit, juventus ad optima quæque educata est, amore singulari prosequi. Unde magnum illud decus esse statuunt, gloriæ & famæ integritatem ex officiis publicè in Patria gestis, reportare. INFIRMA verò famæ cura est, aut potius nulla, in isto, quem munerum fames, excruciat. Periit, cui, ex hoc præsertim morbo, periit fides! Quanquam sola hæc in B. Nostro non fuit virtus: imò virtus hæc constantiæ firmamento & fortitudinis robore in ipso solidata fuit. Nulla ab officiorum cutis pericula, nulla sævientis fortunæ tempestates avertere virum potuere; animo semper intrepidus, infractusque emi-

nebat, ut verè non ANDREÆ modò nomen; sed in primis omen quoque obtineret. Neminì ignotum est, quod viris, præsertim in magistratu constitutis, varia plerumque accidant. Optimè etiam meriti variis periculis, variis incommodis premuntur, sive fortuna, sive calumnia eorum causa exsistat. Sed hoc summo eorundem bono, quia à summo bono fit. Qui enim melius probari possent? qui commendatiores evadere? NULLIUS mens, tam demens est nullius cor tam vecors, qui nesciat, quod maximam magnanimitatis gloriam mereatur, qui cum suis feliciter hostibus conflictatus est. Quid excellentius, quam ut fortis & magnanimus constantiam illis, si quæ occurrunt, ut sæpè occurrunt, difficultatibus opponat, & ad omnem fortunæ impetum imperterritus stet atque immotus! Et sic B. Noster stetit, dum, non minus domestica, quam publicâ incommoda expertus, fortunæ fluctibus non est submersus. Nimirum sicut cautes tempestatum injuriis non læditur, non frangitur: ita fortunæ injuriâ non deficiebatur fortis animus; sed acrior surgebat & alacrior: quid ita? Gymnasium patientiæ virtutisque illi erat, quod ipsum ad omnem casum à puero formaverat, quod ad omnem casum firmaverat, ut quibuscunque etiam insultibus immotam animi fortitudinem opponeret. Quid verò illam ad hæc impulit? amor in Patriam, ne ullas, pro Patria, difficultates susciperé vereretur, aut in pingui otio con-

seneſceret. Quid enim imperantibus difficile, modò amor in Patriam, amor in cives adſit. Nullam amans exhorreſcit difficultatem, nullos refugit labores, modò amati ſalus promoveatur. O amorem in Patriam & cives utiliſſimum, quo tu flagrâſti, Patriæ amator piiſſime, cum & ſtudia tua ad illius decus omnia, omnes actiones pro ſalute ejus promovenda, inſtitueris, laborum nunquam ſatur, quando utilem ſaluti Reipubl. navare operam poteras. Inter præcipuas: quid? ante præcipuas curas Patriæ cura Tibi curæ ac cordi erat, ut omnes, infrà virtutem tuam, moleſtias, ſupra difficultatem amorem tuũ patriæ probares. Quantum aliàs felicitatis publicę in eo ſitum eſt, ſi amantes ejus cives exiſtant? ſi ejus gratiâ agant omnia. Hi n. ſunt, qui ſalutem publicam lætiſſimo ſubindè incremento augent: hi ſunt qui perpetuo florentem vigore aſſerunt! Intuemini illam olim gentium principem atque dominam Romam: quò demum alio, quàm civium ſuorum amore, tantum robur obtinuit? Ecce inter primos Gen. Cipum! qui, oblatum ſibi imperium; ſed libertate Patriæ invitâ, negligens, voluntarium ſibimet exilium & perpetuum elegit. Quid eum, niſi amor in Patriam huc egit? Cui non innotuit virtus M. Curtii heroica? Juvenis genere nobilis erat, ſed genio nobilior: ſuâ quoque vitâ Patriæ ſalutem potiorem habuit. Quis exempla plura orationis flore conveſtire tam brevi tempore au-

audeat? omnibus niſi fallor, præconiis majores tales, omnibus laudum titulis ſuperiores exiſtunt! Sicut igitur vaſtiſſimum ingreſſi mare, id maximè curant, ne, cognito ſubmerſionis periculo, in altiſſimam ejus profunditatem temere deferantur; quin potiùs, ſaluti ſuæ conſulturi, littus legunt, nec evehuntur altius, quam aut vires, aut navigiorum, quibus utuntur, conditio permittunt: ita mihi quoque faciendum video: cum profundum illud aliarum in B. Noſtro virtutum, ſine periculo ingredi nequeã, littus mihi hactenus earum legendum, hoc eſt, aliquot tantum, eæque exſtantiores eligendæ fuerunt, ex quibus tamen, quantus omnium in COJENIO ſplendor fuerit, omnibus facilè appareat. Veſtram verò appello fidem, Auditores, veſtram humanitatem, à qua ſuppletum iri, recordationem laborum exantlatorum, ſatis confido, quod mea mihi imbecillitas non permittit exſequi. Cui enim notius, quam Vobis, Patres Ampliſſimi, quam prudenter, quam fideliter, quàm fortiter, quàm denique amanter omnia ad Patriæ ſalutem & incolumitatem officia adminiſtraverit? Felicem noſtram RIGAM, felicem Patriam, quæ talem Conſulem genuit, nutrivit, habuit! ſed habuit! Habuit quoque illum domus nobiliſſima, cujus quidè decus ipſe dudũ matrimoniis exauxit auſpicatiſſimis. Tãtis certè B. Noſtri virtutibus ea digna fuerunt. Sicut nitidus fulgentiſſimorum ſiderum ſplendor, luce creſcit

crescit mutuâ: ita splendorem sine dubio, insigniter, mutuâ clarissimarum familiarum luce adaugerit nemo dubitat. Hunc in finem dulcissimam tori sociam, vitæ curarumque consortem primò sibi 1620. adjunxit, Virginem nobilissimam, virtutum omnium choragio conspicuam, ANNAM, Nobilissimi quondam & Magnifici, deque hac republ. benè meritissimi Dn. JOANNIS ULRICI, Patriæ tum temporis Syndici: paulo post Proconsulis, Consiliarii Regii, & Vice-Præsidis Judiciæ Aulici Dorpatensis filiam. Quem quidem virum, sed quantum? tacitâ vos commentatione vobiscum modò repetere, & vultum illum gravitatis thronum, pectus musarum & prudentiæ sacrarium, os suadæ Tullianæ domicilium, totum postremò corpus omnibus Gratiarum donis ornatum, adhuc in memoria venerari, facilè conjicio. Non enim poteritis non in præsentiarum ejus reminisci, cujus fama nunquam, apud vos inprimis, consenescet, cum eam immortalia, in hanc Rempubl. merita in omnis posteritatis cultum æternum vigere, florere, semper juvenescere faciant. Quis dignum tantis Viri tanti virtutibus matrimonium hoc fuisse non dicat? Hanc ergo Ulricam nactus, optimam conjugem, sedulam œconomam, &, quod majus est, fœcundam matrem nactus est. Qui verò alii, quam nobilissimi, ex hoc nobilissimo matrimonii horto, flosculi prodire potuerunt? Pro-

Prodierunt ergo pari venustate morum ac virtutum JOANNES JACOBUS ANDREAS, ANNA, EVA, Dorothea, nec prodierunt tantùm, sed felicissimo insuper incremento efflorverunt, ut suavissimo virtutum odore voluptatem atq; gaudia Parentibus adferrent suavissima. O! Sed ò fugitivum felicitatis hujus bonum. Sicut in mari multa falsa occurrunt: ita in hac vita, in matrimonio præsertim, plurima expertus est COJENIUS. Prima præmatura filioli Andreæ mors attulit; sed graviora imminebant: nondum XI. annos cum conjuge carissima egerat, & jam egerat! O calamitatem longè maximam! tam properè, tam subitò animam ab anima divelli, & dolore quidem partus divelli? Quid putatis? num plus gaudii veniens attulit, an doloris abiens? plus certè doloris hic attulit! Quæ enim gravior dari potest & excogitari divulsio? quod doloris vulnus acerbius, quam cum mortis inclementia unanimi fide corda ligata dissolvit! Ut verò tanto dolori malagma adhiberet, ut cicatricem ei obduceret aliquam, ad secunda vota Anno 1635. transiit, ductâ in matrimonium virgine Nobilissimâ, & nullo non virtutum genere florentissimâ CATHARINA Nobilissimi Spectatissimique Viri Dn. ALEXANDRI KOERGES, hereditarii in Butnum Majoris Collegii senioris relictâ filiâ, viduâ nunc longè mœstissimâ. Cum utraque vitam coluit laudatissimè, suavissimè. Non

Erin-

Erinnys, improba tumultuum obstetrix, non Alecto domum infestârunt; sed amor mutuò suavissimus ibi habitavit, ut cytharæ instar esset ipsorum matrimonium, quæ dulcissimâ concentuum harmoniâ, dulcissimum sonum edit. Sed hæret jam ac horret animus, Auditores, postquam ex tam læta, tam jucunda rerum copia, in tristissimum, proh dolor! casum devolvor. Utinam nobis nunquam innotuisset! Filium tanto Patre dignissimum, *Cojenius* habuit, in quo, tanquam in speculo, majorum resplenduit gloria. Nihil humile, nihil mediocre, illius promittebat animus. Laudabili instituto libros cum armis, calamum cum gladio, Palladem cum Marte conjunxerat Nobilissimus Juvenis, JOANNES COJEN, ut etiam, sub Christianissimo Galliarum Rege, Prætorianorum Equitum Præfectus constitueretur. Hic latus ei ac lætus gloriosæ fortitudinis campus dabatur, in quo cum laude ac gloria certaret, & Patri aliquando magno solatio esset & gaudio. O si modo virtuti ejus fata respondissent! dicam, quod vel ipsa audiat invidia, majorum ille suorum gloriam, cum sui ipsius gloria, fuisset supergressus. Summam verò rerum humanarum inconstantiam! Fera ac ferrea parca, hanc domui nobilissimæ felicitatem invidens, manûs æternum victuro sævas ac scævas injecit, ipsumque ex mortalium contubernio tam subitò abire jussit! Si autem quæritis, quomodo mortem hujus filii, filii unicè a-

cè amati, unicè æstimati, B. Noster tulerit? tulit, sicut alias sortis improbæ turbas; sicut primæ uxoris dilcessum tulit, hoc est, patienter & masculè! Carus mihi, ait, fuisti; sed carior Deo! Placuit Deo, Te hinc abire placet & mihi: quod dedit repetiit! Quanquam insigne mærorum solatium & lenimentum, ex felicissimis trium filiarum matrimoniis, hauserit, cum eas Viris in illustri famæ theatro constitutis, Virisinter optimos clarissimis, inter clarissimos optimis tradiderit. Intelligitis utique Vos, qui mœstam interpretationem pietatem præcipuè ostenditis, hic designari; Vos, Magnifice & Nobilissime Dne. PAULE ab HELMERSEN, Amplissime & Consultissime Dne. JOANNES MAIER, Reverende & clarissime Dne. M. HERMANNE BAUERE, Viri splendidissimis officiorum & honorum titulis hinc inde spectabiles & venerabiles, generi B. Consulis Laudatissimi, quorum modestiam meritis hîc laudibus onerare ecquis audeat? Non postremam tamen dixerim ex illis, quod prudentissimo B. COJENII judicio digni tanti Viri generi eminentis. Optandum aliàs fuisset, ut Vir, tantâ virtutum gloria spectabilis, incolumi semper vigore præesset & prodesset Patriæ. Sed tot Sisyphiis exhaustus laboribus, tot itineribus defatigatus, quid mirum, si viribus tandem defecit? Ante annos quidem decem gravi hemiplexias malo concussus & ita concussus est, ut animum quoque

que ingens quasi doloris telum tangeret. Sed Dei tamen providentiâ admirabili tot annos, præter spem multorum, Patriæ bono servatus est. O si modò mors immortalitati ejus, & multorum bono eum non invidisset, adhuc servatus esset! Verum, cum, ex tanto malo, imbecillis admodum esset, vehemens morbi impetus Senem nostrum, septimanis abhinc pluribus, invasit, attrivit, dejecit. Morbus erat pertinax & acris, eò etiam pertinacior & acrior, quia subitus, quia insperatus erat, & inter Patres Patriæ COJENIUM versantem invadebat. Ipse, velut miles intrepidus, in ipsa quoque statione, mori paratus erat. Ne autem vitæ prodigus haberetur, naturæ Mystas, Medicos adhibuit peritissimos, fidelissimos; sed morbus erat, insuperabilis omnem medicorum industriam fallens. Hoc igitur ingravescente, corpusculo admodum concusso, divina anima, toto tempore, quo lecto affixus erat, vel cum Deo, vel de Deo loquebatur. Semper gemitus, semper preces ad Deum fundebat ardentissimè! Ut heliotropium solis iter sequitur, & ad ejus ductum vertitur: ita nonnisi ad Deum mens ejus sese convertebat. O felicissimam animam, quæ nondum inter mortales esse desierat, & jam cum Deo erat! Non dum corporis vinculo soluta erat, & jam inter cœlestia versabatur! O beatissimam animam, quæ æternitatis gaudia prægustabat! Non multò autem post, cum, pastus sacro epulo &

lo & tristi discessus signo aliquoties edito, omnibus & singulis ultimum illud vale! dixisset, cum Patriæ suæ fausta omnia, omnia felicia precatus esset, die Sabbathi, qui erat XI. Calendarum Martii, clausis oculis, ut nihil in mundo immundo amplius rideret, die Simeoni sacro, cum Simeone animam cœli traducem, quæ in hoc corporis gurgustio LXVII. annos cõmorata erat, sub vesperam, horâ XI. sine ullo mortis mõtu, sine ullo metu, Deo suo reddidit. O mortẽm quibuscunque optatissimam! Ita qui vixit, malè mori non potest! ita qui mortuus est, non potuit malè vixisse! OPTIMA vita, optimâ morte terminatur! dignissimâ morte vita honesta coronatur! Nec coronatur etiam, nisi qui beatâ morte coronatur. Sed ò atram nobis & funestissimam lucem illam, quâ Nobilissimus COJENIUS noster cecidit! O cladem, ex unius Viri obitu, seriò dolendam plurimis. Omnes meritò querelis illum & lacrumis post mortem prosequi debent, quem omnes, in vita, suum delicium, amorem suum, suum decus agnoverunt. Ite lacrumæ, lacrumarum fontes aperite! Quanquam quid lacrumas dico? quibusvis lacrumis hoc funus acerbissimum est superius. Huc ædes Patria, & vices tuas dole! Tutum amisisti Burggravium, imò Patrem tuam fidissimum! Dole illum largiter, & memoriam ejus sanctissimam in pectoris scrinio reconde! Huc ades Ecclesia Sanctissima, & vices tuas

dole! amasisti religionis orthodoxæ assertorem pietatis promotorem. Luge Curia amplissima! amisisti Proconsulem meritissimum justitiæ patronum incomparabilem. Luge Cancellaria! qui tuus fuit Ephæus, ille heu fuit! Luge tantâ clade afflicta Schola! qui tuus Protoscholarcha fuit, vindex salutis literariæ; ille heu fuit! Lugete pupilli! habuistis tutorem sed habuistis. Lugete Stipendiarii! habuistis benefactorem; sed amisistis. Huc ades, Musa Gymnastica, ad luctum tu quoque vocaris, quæ tanti Viri jacturam fecisti! In lacrumas voces redeant! tanti siquidem jacturam viri nulla potest eloquentiæ, quàm lacrumarum copia, perorare. Quàm benignum bonarum artium Mœcenatem amisisti! Non videbitis hoc loco vestra posthac animantem exercitia Protoscholarcham, commilitones! Non videbitis magnam hujus Lycei lucem! non videbitis vestris commodis invigilare! lucere desiit! invigilare desiit! Lugete omnes, omnes COJENIVM deflete, cũ eo mortuo decus omniũ, omnium Parẽs, ac Patronus mortuus sit. Quanquam quid dico mortuum? NON moritur, qui sic moritur! Vivit adhuc & in ore omnium, in animis omnium vivet. Vivet nominis magnitudine: diuturnitate famæ vastam remporum profunditatem æquabit; immortalis ille cum immortalitate contendet. Ad vos verò mea singulariter pergit oratio, mœstissimi Generi, qui tam gravi-

graviter lugetis: quid verò lugetis? Num reposcitis beatè mortuum? invidia est, illius quem cum gloria ad cœlestia deductum nôstis palatia, in miseriarum valle, præsentiam acri desiderio, suspicare. Contra pietatem est, in æterna Dei voluntate humiliter non acquiescere. Ad mortem omnes, quotquot sumus, nati sumus. Qui queritur mortuum, queritur hominem fuisse. Pietas illum & probitas eò deduxerunt, quò Deus deduxit. Non ille ad vos; sed vos ad illum venietis. Luctus nos ad mortuos deducit, non mortuos ad nos. Cogitatis quidem: multum est, quod per didimus; sed majus esse, quod accepit ipse, cogitate. Vivit adhuc ipse cum viventibus apud viventes. Mortalitas ejus cessavit, non vita. Quin Te potiùs, beate senex, ex animo salvere jubco! Salve vindex salutis publicæ fortissime; jam, salutis nunquam immutandæ possessor æterne! Salve immortalitatis semper studiosa meus; jam immortalitates hospes gloriosissima! Salve contubernales sanctorum Apostolorum, quorum auditor per omnes vitæ dies fecisti assiduus! Tu ex hac vitæ eremo ad cœlestia transiisti regna! Tu ex tenebris in lucem, ex caducis in æterna commigrâsti! Tu jam inter brachia Salvatoris tui molliùs ac meliùs quiescis! Quàm lætaris modò, qui inter suavissima beatorum consortia, inter lætissima angelorum jubila ac

tre-

tripudia lætaris? Quàm triumfas modò, qui inter ſplendidiſſimos majores, cum nobiliſſimis ſoceris, cum ſuaviſſima Tua ANNA ULRICIA, filiisque beatiſſimis, CATHARINAM ibi Tuam, & nos omnes exſpectans, æternùm triumfas!

FINIS.

(o)